THEOLOGIA MORALIS

IN V. LIBROS DISTRIBUTA,

QUIBUS MATERIÆ OMNES PRACTICÆ

CUM AD EXTERNUM ECCLESIASTICUM, TUM INTERNUM CONSCIENTIÆ FORUM SPECTANTES NOVA METHODO EXPLICANTUR.

AUCTORE

PAULO LAYMANN

SOCIET. JESU THEOLOGO

In epitomen redacta, & nunc primum pluribus in locis expolita, castigata, aucta, & frequentibus luculentissimisque Adnotationibus illustrata

A REV. PAT.

JOANNE DOMINICO MANSI

CONGREGATIONIS MATRIS DEI LUCENSI;

Adcedunt suis locis accommodatæ egregiæ omnes Regulæ in praxi observandæ deprompta ex Theologia Morali

R. P. CONSTANTINI RONCAGLIA


EJUSDEM CONGREGATIONIS.

EDITIO NOVISSIMA

UBERRIMO RERUM INDICE LOCUPLETATA.

PARS SECUNDA

CONTINENS POSTERIORES DUOS LIBROS.



VENETIIS,

MDCCLX.

EX TYPOGRAPHIA REMONDINIANA.

SUPERIORUM PERMISSU, AC PRIVILEGIO.

DESIGNATIO OMNIUM TRACTATUUM, ET CAPITUM,

QUÆ SUNT IN POSTERIORIBUS DUOBUS LIBRIS

SACRÆ THEOLOGIÆ MORALIS

R. P. PAULI LAYMANNI.

PARS SECUNDA.

LIBER IV.

De Virtute, & Statu Religionis.

TRACTATUS I.

De Oratione, & Horis Canonicis.

TRACTATUS II.

De Beneficiis Ecclesiasticis.

TRACTATUS III.

De Juramento, & Perjurio.

TRACTATUS IV.

De Voto.

TRACTATUS V.

De Statu Religionis.

TRACTATUS VI.

De Decimis.

TRACTATUS VII.

De Festorum Observatione.

TRACTATUS VIII.

De Jejunio.

TRACTATUS IX.

De Ecclesiastica Immunitate.

TRACTATUS X.

De vitiis oppositis Virtuti Religionis.

L I-

INDEX CAPITUM.

LIBER V.

De Sacramentis.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in communi.

TRACTATUS II.

De Baptismo.

TRACTATUS III.

De Confirmatione.

TRACTATUS IV.

De S. Eucharistia.

TRACTATUS V.

De Sacrificio Missæ.

TRACTATUS VI.

De Pœnitentia.

TRACTATUS VII.

De Indulgentiis.

TRACTATUS VIII.

De extrema Unctione.

TRACTATUS IX.

De Ordine.

TRACTATUS X.

De Matrimonio.

PARS I.

De Sponsalibus.

PARS II.

De Matrimonio secundum se.


PARS III.

De bonis Matrimonii.

PARS IV.

De impedimentis Matrimonii, tum dirimentibus, tum impedientibus tantum.

THEO-



THEOLOGIÆ MORALIS PARS SECUNDA.

LIBER IV. DE VIRTUTE *ET* STATU RELIGIONIS:



RELIGIO sic dicta est, quia nos DEO vinculo pietatis adstringit, ac religat, dum ei, ut supremo omnium rerum Domino, cultum, & obsequia nostra deferimus.

NB. Religio non est virtus Theologica; quia illæ directe versantur circa Deum, ut *objectum quod*, cum credendo, sperando, amando: Sed Religio versatur circa exhibitionem cultus divini, adeoque hominis actionem, per quam divinæ excellentiæ contestatio fit. Indirecte autem Religio per actionem suam attingit Deum tanquam finem actionis, sive ut *objectum cui*. Quare in honorem Dei sacrificamus, vovemus, jejunamus.

TRACTATUS I.

DE

Oratione, & Horis Canonicis.

CAPUT PRIMUM.

De Oratione universim.

1 ORatio est actus elicitus ab intellectu, supposito actu voluntatis moventis. Et S. Gregorius: *Oratia est conversatio, sermocinatioque cum Deo.*

NB. Licet affectus orandi, seu per orationem submittendi se Deo, ejusque excellentiam supremam protestandi, actus elicitus sit a Religionis virtute; ipsa tamen oratio est actus imperatus. Nam sicut Religio, quæ in voluntate est, aliarum inferiorum potentiarum actus in Dei cultum, & reverentiam ordinat; ita etiam actus elicitos ab intellectu, puta, orationes, & gratiarum actiones.

Quod si oratio consideretur in genere morali, ut humilis a Deo tanquam fonte omnis boni petitio, sic est actus elicitus a virtute Religionis.

2 Oratio ad Deum homini viatori necessaria est necessitate medii ad salutem. Ratio: Quia & rerum naturis, & suavi providentia Dei, rationalium creaturarum cooperationem exigentis, congruit, ut postquam homines Deum authorem, & infirmitatis suæ adjutorem agnoverunt, ejus necessarium auxilium quærant, & petant, juxta Christi promissum Luc. 11. *Petite, & dabitur vobis.*

NB. Oratio est actus rationis practicæ: Nam desiderium nostrum non pandimus coram Deo, ut illud cognoscat, sed ut moveatur ad rem, quam cupimus, præstandam. Hinc duobus modis desideria rerum, quas cupimus, ad effectum deducimus. 1. Si in potestate nostra sunt, per imperium. V. C. *Fac hoc, fiat hoc.* 2. Si in aliena potestate, per petitionem: *Rogo, ut fiat hoc.*

3 Tempora, quibus præceptum orandi per se obligat, determinari non possunt; necesse est tamen, ut propter continua pericula tentationum non nimis diu desistamus ab oratione, juxta Luc. 18. *Oportet semper orare, & non deficere.* Per accidens autem, sive ob occurrentem aliquem eventum plures orandi obligationes ex charitate numerantur. 1. Si gravis tentatio superanda sit. 2. Si eximium beneficium a Deo petendum, ad salutem necessarium. 3. Mortis periculum. 4. Si Communitas in magno periculo versetur.

4 Peccatores bene orare possunt, & orando impetrare, modo adsint hæ quatuor conditiones: *Ut pro se petant, necessaria ad salutem, pie, & perseveranter;* ut dicit S. Thomas in C. a. 16.

5 Animæ in purgatorio Deum orant non tantum pro se, sed etiam pro aliis. Cum enim agnoscant miseriam suam, & sint in spe liberationis, & cum insuper cognoscant miserias nostras in genere, Deoque sint gratæ, quid obstat, quo minus orent pro se, & pro nobis? Et constat Jerem. 15. Jeremiam defunctum orasse.

6 Sanctos in cœlo, ipsumque Christum, qua hominem pro nobis orare, certum est. Tob. 12. Zach. 1. Ratio: Quia Angeli, & Sancti nostras miserias cognoscunt, & charitate nobis conjuncti sunt. Hinc Sanctorum patrocinium fideles recte invocant: Sic Jacob Angeli opem imploravit. Gen. 48. NB. Nos Sanctos invocamus non ut auctores donorum, sed intercessores. Quod Christus ut homo pro nobis oret, patet Joan. 14. *Ego orabo Patrem.*

7 Pro animabus in purgatorio, & omnibus hominibus Deum recte oramus. Prob. prius ex 2. Machab. c. 12. Et tenemur: Quia necessitas est gravis.

Posterius prob. ex 1. Timoth. 2. *Obsecro vos primum omnium fieri obsecrationes, orationes, postulationes, gratiarum actiones pro omnibus hominibus.*

8 Quæ bona hominis absolute sunt, ea sicut desiderari, ita absolute peti possunt; quia nempe sunt conducentia ad vitam æternam: At divitiæ, honores, &c. ea sub conditione solum, si scilicet nobis ad salutem expediant. Prob. Quia talia bona hominis sunt absolute, V. C. sanitas, artes, victus necessarius; sunt enim naturales perfectiones hominis: Ergo appetenda, & sic etiam petenda.

9 NB. Licitum est interdum ob bonum finem petere temporalia mala, V. C. mortem corporis. Ratio: Quia, licet hæc sint mala hominis secundum naturam, ideoque ea ratione non appetibilia; tamen, quatenus conducunt ad salutem, sunt indifferentia, ideo peti possunt saltem sub conditione. Quod divitias, &c. possimus petere sub conditione, patet; quia per intentionem finis boni cohonestantur: Ergo sunt materia rectæ orationis. Quod non nisi sub conditione, ideo est: Quia supposita hominis imbecillitate talia bona ita comparata sunt, ut sæpius ad perniciem, quam ad salutem inserviant.

10 Rem malam, seu auxilium ad peccandum a Deo petere, est peccatum mortale; etiam venialiter malam, si ad finem malum referas: Rem vero indifferenter absque ulteriore honesto fine petere, V. C. lucrum ex ludo, potest esse veniale.

Oratio infallibilem ex Christi promissione Matth. 21. vim habet, modo adsint conditiones requisitæ. 1. Ut petantur necessaria ad salutem. 2. Ut sit oratio pia. 3. Ut oratio sit pro se ipso (etiam pro aliis, juxta Jacob. c. 5.) 4. Perseveranter, juxta Luc. 18. Quæ conditio maxime necessaria est peccatori ad conversionem impetrandam adjuvante divina gratia. Etsi enim opera bona peccatorum de condigno nihil promereantur, tamen utilia sunt per modum impetrationis.

NB. Etiam potest obtineri a Deo per assiduas precationes donum perseverantiæ. Nam Deus secundum propositum gratuitæ voluntatis suæ prædestinavit homines ad gloriam æternam obtinendam per media, quæ sunt precationes, & alia opera bona ex auxilio divinæ gratiæ facta.

Regula in praxi observanda.

I. Dum Confessarius vult ad Pœnitentis emendationem remedia præscribere, nunquam obliviscatur inter ea semper aliquod orationis exercitium recensere. Optimum e. gr. est præscribere Pœnitenti venereis addicto aliquas carnis macerationes &c. at cum frustra speraret, se cohibere sine Dei auxilio; & hoc auxilium media oratione sit obtinendum, patet, inter necessaria remedia ad emendationem cujuscumque peccatoris, semper ponendam esse orationem.

II. Multum etiam defatigantur Confessarii in præscribendis mediis, quibus ii, qui gravibus vexantur tentationibus, debent eas superare. Optimum unumquodque erit, si cum oratione conjungatur, qua Dei gratia ad resistendum impetretur.

CAPUT II.

De Horis Canonicis, quæ, & quot sint?

1 ORatio alia est privata (cujusque) & alia publica, quæ nomine totius Ecclesiæ a Ministris ejus funditur. Litaniæ, & Officium B. V. sunt publicæ preces, quando ab Ecclesiasticis personis funduntur; privatæ, si a privatis.

Canonicæ horæ dicuntur publicæ, ac statæ preces horis diurnis, & nocturnis, ex SS. Canonum decreto ab Ecclesiasticis personis nomine Ecclesiæ persolvendæ: Quia præcipuum, ac maxime proprium Clericorum officium est, divinis precibus apud Deum Ecclesiæ nomine insistere.

Consuetudo Horarum a tempore Apostolorum ad nos pervenit; ut videre est apud Lucianum in Philopatro, Clementem Romanum, Justinum, &c.

Ecclesiasticum Officium dividitur in diurnum, & nocturnum. Diurnum Officium in multis olim Ecclesiis 7. partes, sive Horas complectebatur; quia preces nocturnæ nocte intempesta dicebantur, separatæ a Laudibus: Secundum Romanum vero morem sex tantum continet. Communiter totius Officii 7. Horæ censentur juxta Versus:

Hæc sunt, septenis propter quæ psallimus horis:
Matutina ligat Christum, qui crimina purgat.
Prima replet sputis: causam dat *Tertia* mortis:
Sexta cruci nectit: latus ejus *Nona* bipartit:
Vespera deponit: tumulo *Completa* reponit.

CAPUT III.

In quam diei, vel noctis partem singulæ Horæ proprie cadant?

1 DIes vel accipitur ut naturalis, prout 24. horis; vel ut artificialis, prout horis 12. constat, ab ortu solis usque ad occasum numeratis.

2 Si dies naturalis in quatuor partes secetur, quatuor emergunt præcipua tempora, Matutinum, Meridianum, sive proprie diurnum, Vespertinum, & Nocturnum.

3 Officii proprie diurni tres sunt partes, Tertia, Sexta, & Nona.

4 Orationis hora sacra incipit post expletam profanam, V. C. hora sacra tertia post exactam tertiam diei artificialis.

5 Nox artificialis in partes dividitur, quæ Vigiliæ dici solent.

6 Officium matutinum duas partes in se complectitur, Laudes, & Primam: Illi proportione quadam respondet Officium vespertinum duas partes continens, Vesperas, & Completorium.

7 Consultum est, in privata Officii recitatione publici Chori tempora observare; quamvis nihil etiam obstet, quo minus aliquis primævæ institutioni conformare se possit.

NB. Horas Matutinas licet anticipare hora quarta pridie. Ratio: Quia solemnitas diei sequentis a Vesperis incipit; ideo merito usus obtinuit, ut post publicum Officium Vesperarum, & Completorii preces nocturnas inchoare privatim liceat. In hyeme etiam ante horam quartam in nostris septentrionalibus partibus licet anticipare, ita, ut ante accensam lucem absolvatur.

8 Statutorum temporum metas sine justa causa notabiliter transgredi, vel Horarum ordinem immutare, est veniale propter accidentalem temporis immutationem.

Qui intra diem naturalem Officium ejus culpate, vel inculpate intermisit, altero die supplere non cogitur: Cum enim dies certa cuilibet Officio assignata sit, ideo ea transacta cessat ejus obligatio.

CAPUT IV.

Quæ personæ ad Officium Ecclesiasticum obligatæ sint?

1 OBligatio Canonici Officii aliter communitati, seu Capitulo Religiosi Ordinis Choro addicti incumbit, & aliter singulis. Præsentia singulorum Religiosorum in Horis obligat solum sub pœna estque non mortale, etiamsi aliquis non cantet, sed sileat.

2 Consuetudo interpretatur (licet nullus Canon Ecclesiasticus reperiatur) quod omnes, & singuli Religiosi Professi, exceptis laicis, & conversis, ad Canonicum Officium sub mortali obligentur intra, vel extra Chorum persolvendum, etiamsi non sint in majoribus Ordinibus, & etiamsi extra Monasterium vivant per dispensationem. Contrarium tamen docet Azor, si perpetuo extra Monasterium per dispensationem degant.

NB. Fugitivus Religiosus etiam tenetur ad Horas; ne ex propria iniquitate commodum ferat. Idem dicendum de ejecto per sententiam, & damnato ad triremes; manent enim vere Religiosi.

3 Probabile est, quod Religiosus, ejectus per sententiam, & ad gradum conversorum translatus, si in Minoribus sit, sit liber ab Horis: Quia statum mutavit, cui talis obligatio annexa est.

4 Clerici omnes in Sacris, etsi Beneficiati non sint, ad Canonicas Horas universali Ecclesiarum consuetudine sub mortali tenentur; etiam degradati, ne ex propria iniquitate commodum ferant.

5 Clerici in Minoribus jure communi non obligantur ad certas preces; attamen per diuturnam consuetudinem Diœcesis, veluti sub præcepto acceptam, nihil prohibet eos obligari.

NB. Obligatio Horarum gravis est, & sub peccato mortali ex genere suo, quippe ex virtute Religionis, & in Beneficiatis etiam ex virtute Justitiæ: Requiritur tamen omissio materiæ notabilis; cujusmodi est Hora, licet brevissima, & fortasse etiam dimidium talis Horæ.

CAPUT V.

De Modo, & Circumstantiis recitandi Ecclesiasticum Officium.

1 OFficium tum publice in Choro, tum privatim extra Chorum dici debet secundum ritum Breviarii Romæ reformati.

2 In quibus Ecclesiis, vel Monasteriis antiqui, & proprii Breviarii usus adhuc viget, decet Clericos eundem ritum proprii retinere. Non desunt tamen graves Authores, Navar. Rodriq. Sa, qui ajunt, cuivis extra Chorum licitum esse, Romanum Breviarium recitare, posthabito suæ Ecclesiæ proprio.

3 Clericus beneficiatus, dum ab Ecclesia absens est, debet potius legere Officium Diœcesis, in qua habet beneficium: Si duo in diversis Diœcesibus habet beneficia, tunc ab utraque absens debet legere Officium dignioris.

NB. 1. Licet mutare Officium ob justam causam.

NB. 2. Romanum Breviarium legentes non tenentur ad Psalmos Pœnitentiales &c. Tamen omnes ad Litanias in Festo Sancti Marci, in diebus Rogationum &c.

4 Qui antiquum suæ Ecclesiæ ritum orandi servant, debent recitare Psalmos Pœnitentiales, Officium Defunctorum, &c. sicuti juxta vetustam consuetudinem in Breviario eorum annotatur.

Clericus, Choro non adstrictus, non tenetur ad Officium mortuorum, nisi in Ecclesia dicatur constitutis diebus, V. C. quavis Feria II. pro Fundatoribus Præbendatum.

5 Qui aliud Officium æquivalens pro eo, quod in Breviario designatur, per errorem recitavit, non obligatur ad repetendum: Si vero Officium non æquivalens, & per errorem culpabilem recitasti, teneris resarcire (*a*).

,, (*a*) Quæstio esse posset quid dicendum si hæc
,, recitatio facta fuisset errore inculpato puta per in-
,, advertentiam; sed & tunc non satisfieri præcepto
,, recitandi horas deducitur ex prop. 34. inter dam.
,, ab Alex. VII. *in die palmarum recitans Officium*
,, *Paschale satisfacit præcepto*.

Ecclesiæ, quæ ritum Romani Breviarii receperunt, possunt tamen Officium Canonicum de Sanctis suis recitare.

7 Horæ singulæ Officii continue recitari debent, nisi causa incidens interruptionem postulet: Quia esset irreverentia, cœptam cum Deo collocutionem impertinente actione interrumpere. Tamen non tenetur interrumpens repetere prius lecta, quia quisque Psalmus continet perfectam Dei laudem.

Thurificans sub Horis non tenetur recitare, quod negligit; quia Chorus pro illo supplet, dum occupatur in re tali, quæ ad Officii celebritatem pertinet. Nec ille tenetur supplere, qui tarde venit, si non multum in Choro processum est, conformiter Missæ auditioni.

8 Modus orandi cum socio etiam in privata recitatione commendatur; quia conformis est primæ institutioni Officii Canonici. Absorptio verborum est venialis. Satis est in Choro alium Lectiones cantantem audire.

9 Attentio in oratione triplex est, superficialis, literalis, & spiritualis. Superficialis est ad verba tantum; literalis ad sensum; spiritualis ad Deum.

NB. 1. Obligatus ad orandum sub mortali peccato peccat mortaliter, si voluntarie evagetur. Ratio: Quia sine interna mentis attentione nulla est oratio: Ergo hoc ipso, quod sub peccato mortali divina lege obligeris, attendere debes.

NB. 2. Non attendere, sed voluntarie distrahi in oratione, ad quam non teneris, seposito contemptu, propter irreverentiam est veniale.

10 Qui sine ulla attentione Horas legit, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Ratio: Quia Ecclesia præcipiens Clericis Horas, orationem præcipit; sed, ubi nulla est mentis attentio, sive in Deum elevatio, ibi non est oratio: Ergo.

NB. Non desunt tamen graves Authores, qui dicunt, non satis nobis constare, quod Ecclesia talem attentionem præceperit, ideo non esse mortale, modo nulla externa actione, quæ cum oratione incompossibilis est, ii se occupent. Nam tali cantu, vel prolatione externa non attenta populus etiam ædificatur; sicut cum sacræ cantiones organis musicis personant.

P. Laym. P. II.

11 In decursu orationis sufficit attentio virtualiter manens.

12 Actiones aliquæ sunt cum oratione incompatibiles, V. C. scribere. Aliæ compatibiles, V. C. se vestire, caput pectere; de quibus Cajetanus ait, nullam culpam committi, si eas aliquis intra orandum exerceat, atque interim orationi attendat.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si Pœnitens credat talem debere esse recitationem, ut possit audire seipsum, sicuti & ego affirmavi, non facilis sit Confessarius in oneranda ipsius conscientia, si timeat ita recitasse, ut non audierit seipsum; nam ut plurimum id evenit, quia non reflectitur circa ipsam recitationem, & si advertisset, sese audire potuisset; & hoc satis est.

II. E contra non nimis laxet Confessarius habenas in ordine ad illos Pœnitentes, qui indevote recitant Horas Canonicas. Moneat graviter peccare posse, quia nimis celeriter recitando turpiter truncat verba. Item quia ex nimia festinatione, dum illas recitant cum socio, incipiunt fere semper suum versiculum, antequam a socio suus absolvatur. Item quia non curant attendere vel in Choro, vel extra Chorum ad eam partem, quam Socius recitet. Item quia multoties recitant Divinum Officium in loco, ubi & quæ videntur, & quæ audiuntur, moraliter incompossibilia sunt etiam cum necessaria attentione ad ipsa verba. Hos graves defectus facile adinveniet pius Confessarius in iis, qui indevote recitant Divinum Officium, adeoque omnino curabit, ut ab iis emendentur.

III. Alios adinveniet Confessarius in persolvendis Horis Canonicis nimis scrupulosos. Si e. g. etiam ex causa rationabili interrumpant Matutinum, vel aliquam Horam, iterum ab initio incipiunt, quod non raro sequitur ob ignorantiam Confessarii, & pœnitentis, qui alias nollet onerari iterata recitatione. Alii item sunt infinite scrupulizantes, quia putant non satis ad recitationem attendere. Et quidem in hoc, qui non sunt laxæ conscientiæ difficile peccant, quia quamvis distracti recitent, non advertunt ab attentione Officii esse distractos, adeoque semper perseverat in ipsis attentio virtualis. Item quia licet quandoque per transennam in aliqua re occupentur, dum Officium recitant; non assumunt talem occupationem, ut saltem ad verba attendere non possint. Non nego tamen non debere Confessarium illos admonere, ut a quacumque non necessaria occupatione abstineant, nam forte venialiter peccabunt, non stando ea reverentia, qua convenit. Alii etiam dantur, qui eo quod ex errore unum Officium pro alio recitaverint, putant iterum teneri ad recitationem Officii currentis, a qua tuto possent abstinere: & si Confessarius sciret quantum necesse est, illos ab hac exoneraret obligatione.

Videat ergo Confessarius, ne in Officii recitatione nimis permittat indevotis; vel a contra ne nimis oneret timoratorum conscientias.

CAPUT VI.

De Causis excusantibus ab Officio.

1 CAusæ excusantes ab Officio sunt, naturalis oblivio, gravis infirmitas (in dubio Confessarius consulendus, vel Medicus) necessaria occupatio cum recitatione Horarum moraliter non consistens, V. C. Confessionum illo die auditio, vel alia impotentia. V. C. Si initiatus Majoribus Ordinibus recitandi Breviarii adhuc ignarus sit, aut si sine culpa sit amissum Breviarium, aut si ineptus, & stupidus sit.

2 Si certus sis, quod unam horam, V. C. Nonam, commode recitare possis, reliquas non teneris: Quia quævis Hora per se est Canonica oratio, & divisdua n reliquis partibus. Dubitans, se posse Horam unam recitare ob morbum, liber est, eo quod præceptum Ecclesiæ non cum tanto rigore obliget; si majorem partem recitare non possis, omnino liber es.

3 Qui Horas legere solus non potest, non tenetur alteri mandare, nec loco hujus orationis aliud præstare: Quia obligatio Horarum est personalis, quam si quis præstare per se non potest, omnino liber est.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Non raro Confessarii sunt perplexi quoad judicandum, quæ recitare debeant de Divino Officio Infirmi, & Convalescentes. Quoad Convalescentes suadeo, ut si nimio timore in morbum reincidendi vexentur, moneat eos paulatim resumere Horarum Canonicarum recitationem, docendo quod uno psalmo recitato, possunt quiescere, antequam iterum Divinum Officium resumant. Moneant pariter, ut Socium adhibeant, & ita suaviter illos inducant ad resumendam Divini Officii recitationem. Idem advertant quoad laborantes febri tertiana, & quartana, a qua non nimis vexantur. Cæterum si timor in morbum reincidendi, vel nimis caput defatigandi non sit sine fundamento, notet prudens Confessarius illam doctrinam, qua bene asseritur hujusmodi convalescentem, vel infirmum, non esse in angustias reducendum quoad examinandum quam partem Officii sine gravi damno possit recitare, adeoque totum potest tuto omittere.

Vidi quandoque etiam viros doctos obstupescere Divinum Officium omitti ab iis convalescentibus, & infirmis, qui non parum cum adstantibus loquuntur, vel etiam aliquem librum legunt ad animi relaxationem. At non semper merito obstupescunt; nam præfata attentionem non requirunt, nec afferunt eam molestiam, quæ afferri potest ab attentione in Divino Officio recitando;

unde bene notant DD. ex prædictis non semper bene argui posse Divinum Officium recitari: *Anton. a Sp. S. in Direct. tr. 3. d. 6. num. 1649.*

II. Raro quidem evenire potest, ut tantæ sint occupationes, ut non possit Divinum Officium recitari. Advertat nihilominus Parochus, ut si ex multitudine Infirmorum quam maxime occupatur, non debet ab assistendo illis cessare, ut Divinum Officium persolvat. Si id faceret, scrupulus non omittendi Officium ex ignorantia oriretur. Item noter quod si ex prædicta causa fit quam maxime defatigatus, unde non possit sine gravi incommodo Divinum Officium recitare, potest tuto illud omittere. Accidere item potest, ut qui tenetur ad Horas Canonicas, si infirmum graviter ægrotantem dimittat, id fit ipsi valde molestum; unde & ille, ne deficiat Charitati, potarit ea omittere. Idem dicas de quibuscumque aliis similibus casibus, in quibus non posset Officium recitari.

TRACTATUS II.

DE

Ecclesiasticis Beneficiis.

CAPUT PRIMUM.

De notione, & definitione Beneficii Ecclesiastici.

BEneficium dici solet omnis gratuita concessio, sive gratia Principis. Eapropter Ecclesiastica Præbenda beneficii nomen sortita est; quia, licet ab Ecclesiæ Prælatis ex officio conferenda sit, nemini tamen in particulari stricto jure debetur, sed est gratuita concessio, sive gratia.

1 Hinc definitur: Ecclesiasticum Beneficium est *Jus perpetuum recipiendi reditus ex bonis Ecclesiæ, ratione spiritualis officii Ecclesiastica authoritate constitutum.* Dicitur: *Jus perpetuum.* Quia legitime collatum non potest auferri, nisi gravi de causa.

Deinde, ut excludatur Commenda temporalis, quippe quæ non datur in titulum, nec tribuit jus, sive dominium beneficii, sed solum administrationem ad tempus. Excluditur etiam Vicaria temporalis, & non collativa.

2 *Ex bonis Ecclesiæ.* Nam bona Ecclesiastica immobilia sunt universitatis; Administratores autem sunt Episcopi, aliique Prælati ordinarii.

3 *Ratione spiritualis officii.* Nam *omne beneficium datur propter officium.*

In beneficio Ecclesiastico duo jura consideranda sunt. Primum simpliciter, ac per se spirituale est, videlicet jus officii, sive potestas exercendi muneris spiritualis, quatenus id Ministro Ecclesiæ competit. Alterum vero jus, secundum se præcise spectatum, temporale est, videlicet ad percipiendum reditus Ecclesiasticos. Sed quatenus hoc jus consideratur respective, seu ut annexum spirituali officio, eatenus spiritualitatem quandam per accidens participat.

Hæc duo jura, spirituale, & temporale, possunt separari, ut aliquis habeat V. C. Canonicatum alicujus Ecclesiæ, & nullos Præbendæ reditus accipiat; non enim Præbenda Canonicum facit, sed collatio juris spiritualis, facta ab eo, qui potestatem habet.

Legitima authoritate constitutum. Juxta reg. 1. in 6. *Beneficium Ecclesiasticum non potest licite sine institutione Canonica obtineri.* Canonica autem institutio, seu collatio juris beneficialis dicitur, quæ ab Ecclesiæ Prælato fit secundum formam, & modum a SS. Canonibus præscriptum. Quare excluduntur Cappellaniæ non collativæ.

NB. 1. Reges, & Principes laici, beneficia conferentes, faciunt id ex speciali privilegio, & quasi delegatione Papæ, non jure ordinario.

NB. 2. Præterea, tametsi in aliis causis, si Reus ante litem contestatam contumaciter absit, Actor in possessionem bonorum, vel jurium, de quibus contendit, mitti Judicis authoritate soleat, ac lite non contestata procedatur; tamen in causa beneficiaria petitor mittendus non est in possessionem beneficii ob contumaciam adversarii, sed jus Actoris examinandum, & juxta illud sententia ferenda est, si periculum in mora sit; ne alioquin causa non examinata sine titulo, sive institutione Canonica vitiosus ingressus ad beneficium accidat.

CAPUT II.

De Origine, & institutione Ecclesiasticorum Beneficiorum.

1 IN primitiva Ecclesia fideles prædia sua vendebant, & pretia eorum libere Apostolis afferebant, ut exinde Diaconorum manibus singulis distribueretur, prout cuique opus erat. Postea vero magis expedire visum est, ut Ecclesia bona immobilia etiam possideret, ex quorum reditibus annuis Ministrorum sustentationi perpetuo provisum esset, juxta morem veteris Testamenti Num. c. 35.

2 Olim Clerici in multis locis nihil proprium possidentes ex communibus Ecclesiarum reditibus alebantur, unde Canonici, id est, Regulares dicti sunt; quia in communi viventes ad certam vivendi normam adstringebantur; erantque Collegia Clericorum ædificata præfixo titulo, V. C. S. Crucis, S. Stephani, &c. Nec ullus in Clericorum numerum, ac Ordinem admittebatur, nisi sub titulo alicujus Sacræ Ædis sustentationem haberet. Quod adhuc hodie observatur, ut nemo ad Majores Ordines sine titulo sustentationis admittatur: Alioquin ei Episcopus de suo interim providere debebit, donec aliquem beneficii titulum consequatur.

Quod si Clericus ex patrimonialibus sufficientem sustentationem habeat, potest etiam sine ullo alio titulo ordinari.

3 Quadripartita est Ecclesiasticorum proventuum divisio: Prima pro mensa Episcopi; altera pro fabrica; tertia pro pauperibus, & peregrinis; quarta mensæ Capitulari relicta, ut ea inter Canonicos, & Clericos pro singulorum meritis distribueretur. Itaque hæc est origo Ecclesiasticorum beneficiorum, jus, inquam, tributum Episcopo, aliisque Clericis propter officium, & obligationem suam percipiendi certam portionem redituum ex Ecclesiæ prædiis &c. Unde certum est, ipsorum prædiorum, sive immobilium bonorum dominium non ad Beneficiatos transire, sed manere penes Ecclesiam.

CAPUT III.

Utrum Beneficiati sint veri domini Ecclesiasticorum redituum?

1 BOna Clericorum alia sunt *patrimonialia*, quæ ipsis ex hæreditate, arte, donatione &c. obveniunt, de quibus ut veri domini possunt disponere. Alia sunt bona *quasi patrimonialia*, quæ a fidelibus offeruntur Ministris, tanquam stipendium laboris, ob Missas, Sacramentorum administrationem, funeralia, nihil obstante, quod Clericus alios reditus habeat. Et hæc æquiparantur patrimonialibus: Nam Ministri Ecclesiastici, cum stipendium accipiunt, non debent esse deterioris conditionis, quam alii Officiales. V. C. Judex, Tabellio, &c. *Dignus enim est operarius mercede sua.* Luc. 10. At Ministri sæculares habent dominium stipendiorum suorum: Ergo. Alia bona sunt *Ecclesiastica*: Quia secundum originem suam ad Ecclesiam pertinent; sed ab Ecclesia postea Clericis peculiariter deputata sunt, tanquam beneficium, ob spirituale ab eis præstitum officium. Atque de his est quæstio.

2 Bona, sive reditus Ecclesiastici, quatenus Beneficiatis sæcularibus ad honestam sustentationem necessaria sunt, pleno jure ad ipsos pertinent, adeo ut, si quid sibi propria parsimonia ex victu detrahant, de eo disponere possint, dando V. C. consanguineis: Quæ vera sunt, etiamsi Beneficiatus bona patrimonialia habeat. Prob. 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam?* Sed Clericus beneficiatus, licet patrimonialia habeat, tamen operarius est: Ergo ex justitia debetur ei stipendium.

NB. Nomine stipendii necessarii ad honestam sustentationem comprehenduntur etiam ea, quæ ad familiam Beneficiati pertinent, ad hospitalitatem exercendam erga peregrinos, & consanguineos, ad honestas recreationes &c. Insuper etiam æstimandi sunt labores extraordinarii.

3 Beneficiati redituum Ecclesiasticorum domini fiunt non absolute, sed cum onere annexo, ut, quæ superflua sunt, pauperibus, vel in alium pium usum erogare ex justitia obligati sint. Quod domini fiunt superfluorum, patet; quia absentibus subtrahuntur reditus: Ergo, si præsentes sunt, comparant dominium redituum. Deinde, non voverunt paupertatem: Ergo sunt capaces;

ces; Ecclesia autem non reddit eos incapaces. Quod autem superflua ad pius usus dare debeant, patet ex SS. Canonibus, & communi Sententia Doctorum. Deinde notum est ex SS. Canonibus, si Beneficiati superflua ad profanos usus expendunt, peccare eos mortaliter; talis autem obligatio non potest proficisci ex lege charitatis: Ergo oritur ex justitia propter annexum onus superflua in pios usus erogandi. Accedit etiam authoritas Concilii Tridentini prohibentis, ne ex reditibus Ecclesiæ consanguineos ditare studeant. Excipe, si consanguinei sint pauperes, & nisi aliæ longe graviores aliorum necessitates occurrant.

4 Beneficiatus ex reditibus Ecclesiasticis suos filios etiam spurios alere tenetur, si indigeant, & ipse patrimonialia bona non habeat, & consequenter filiam dotare: Quia *dos succedit loco alimentorum*. Secus non: Nisi liberi sint in obsequio parentis.

5 Beneficiatus, licet patrimonialia bona habeat, potest ex bonis Ecclesiasticis filio subministrare sumptus ad studia literarum. Ratio: Quia, cum pater non teneatur filio suo præstare sumptus majores, qui requiruntur ad studia, sequitur, talem filium, si propria bona non habeat, revera esse indigentem, idemque ex bonis Ecclesiasticis sumptus ipsi ministrari posse.

6 Clerici testari de reditibus Ecclesiasticis ad pias etiam causas jure communi prohibentur. Ratio: Quia reditus superflui post mortem debentur Ecclesiæ, unde profecti sunt. Minutiora tamen in remunerationem beneficiorum famulis V. C. testamento relinquere possunt; majora etiam, si debita sint, ita, ut, nisi ea munera præstentur, non solum vitium ingratitudinis incurratur, sed etiam actio negotiorum gestorum intentari possit. At vero de bonis patrimonialibus possunt testari; si tamen intestati decedant, & nullos habeant consanguineos, succedit Ecclesia.

7 Consuetudo, ut Clerici de bonis Ecclesiasticis testentur ad causas profanas, non videtur esse justa, neque approbata, sed tantum toleratur: Nam consuetudo, quæ legi naturali, ac divinæ repugnat, corruptela dicenda est; talis autem est hæc: Ergo. Nam omnes Doctores fatentur, Beneficiatos mortaliter peccare, si Ecclesiasticos reditus superfluos in usus profanos expendant: Ergo etiam, si mortis causa de iis disponant, peccant mortaliter. Aliud vero est sentiendum de consuetudine testandi ad causas pias, & in remunerationem meritorum, quæ Ecclesia a Beneficiato, & consanguineis ejus accipit. Toleratur tamen consuetudo testandi ad profanas causas in Germania, quia facile aboleri non potest; non vero ut bona, & laudabilis approbata est, cum SS. Canonibus, & primæ, ut dixi, beneficiorum institutioni, ipsorumque Fundatorum voluntati prorsus repugnet.

8 Beneficiarius nec merus usuarius est, nec proprie usufructuarius, comparatione bonorum stabilium, ex quibus reditus percipit: Nam usuarius solum potest capere fructus necessarios ad usum quotidianum; Beneficiarius autem tum in suos, tum in alios usus pios, dum vivit, disponere non prohibetur. Minus autem jus habet Beneficiarius, quam usufructuarius: Nam iste fructus suos tam inter vivos, quam post mortem relinquere potest, quibus vult; non item Beneficiarius.

9 Donatarii, legatarii, & hæredes non possunt accipere, aut retinere, quod ipsis ex Ecclesiasticis superfluis reditibus relinquitur; nisi pauperes fiant. Ratio: Si enim reditus Ecclesiastici superflui ex naturali justitiæ lege in pium aliquem usum erogari debent, quia cum tali onere, ac tacito pacto a fidelibus profecti sunt, sequitur, si eos alio titulo donationis, aut legati accipias, in conscientia tutum non esse, sed restituere obligatum. Quia tamen prior Sententia ob Doctorum authoritatem probabilis est, ideo plurimi eam in praxi bona fide sequuntur. Quod ad causas pia testari possit Beneficiatus, non est dubium, & plerumque bona relicta a Beneficiatis censentur propria parsimonia collecta, de quibus per consuetudinem disponere possunt.

10 Fructus pendentes tempore mortis, aut renuntiationis Beneficiati partim ad ipsum, partim ad successorem spectant pro rata parte anni: Quia Beneficiarius (qui non est proprie usufructuarius, neque fideicommisso proprie gravatus) quam optime stipendiario comparatur; sed stipendiarius, & quicunque pro opere præstando salarium annuum habet, id ei, vel hæredibus ejus debetur secundum proportionem temporis anni, quo officium suum præstitit: Ergo id similiter de Beneficiario dici potest. Pensionarius autem accipit pensionem instar alimenti: Ergo secundum proportionem temporis anni, in quo vixit, debetur illi portio pensionis. Deinde argumentum hujus Assertionis sumitur ex l. divortio, ff. soluto matrimonio, ubi hoc ipsum statuitur de marito, soluto matrimonio lucrante pendentes fructus in fundo dotali secundum proportionem temporis. Eadem ratio est de Beneficiato moriente.

11 Regulares beneficiati plenam suorum redituum administrationem habent, a SS. Canonibus concessam.

CAPUT IV.

Quotuplex sit Beneficium Ecclesiasticum?

1 Beneficium aliud est sæculare, quod Clericis sæcularibus competit. Aliud regulare, quod Regularibus addictum est. Nam beneficium regulare non potest conferri Clerico sæculari, neque vice versa. Excipe: Nisi Monachus eligatur ad Episcopatum, vel aliam Prælaturam sæcularem. Item, cum licentia Prælati potest Monachus fieri Vicarius Episcopi, habitu tamen retento.

2 Canonici Regulares sine dispensatione Papæ ad Parochiam non possunt promoveri (a).

„ (a) Quanquam Canonici Regulares capaces sunt „ beneficii curati ex textu *Quod Dei timorem*, *de statu Monach.*; recipere tamen illud non possunt ex „ sola licentia sui Generalis; sed Pontificis requiritur. „ Ita Benedict. XIV. Instit. Eccl. 98. & id etiam „ servari mandavit in sua Bulla 135. *Quod inscrutabili*, & confirmavit alia Bulla *Cum nuper*, Bullar. „ tom. 3. num. 51. Hanc vero Papæ dispensationem „ non concedendam edicit, nisi instante Episcopo pro „ necessitate, & utilitate Ecclesiæ.

3 Si Conventus Regularium deficiat, reformari debet per Religiosos ejusdem Ordinis, si fieri potest: In horum defectum per alios Religiosos. Clericorum sæcularium Collegium potest ad statum regularem reformari, etiam ipsis invitis, si inhoneste ibi vixerint:

Porro omne beneficium censetur esse sæculare; nisi constet, vel probetur, esse regulare; probari autem potest ex literis Fundatorum, vel ex continua quadraginta annorum possessione.

4 Beneficium aliud est duplex; quod aliquam eminentiam, dignitatem, & jurisdictionem habet. V. C. Papæ, Episcopi; quorum ordo quadripartitus est: Sunt enim Patriarchæ, Primates, Metropolitani, seu Archiepiscopi, & Episcopi. Cardinales etiam hoc habent. Quædam vero beneficia sunt media, ut reliquæ dignitates, Personatus, & Officia, Abbatiæ, Prælaturæ, Archidiaconatus, id est, Vicariatus generalis.

Dignitas est præeminentia cum jurisdictione fori externi conjuncta.

Personatus vero est præeminentia sine jurisdictione fori externi.

Officium est administratio sine jurisdictione fori externi; cujusmodi habet Custos, Thesaurarius, Archipresbyter, id est, Decanus &c. Parochus etiam censetur habere beneficium duplex.

Aliud beneficium est simplex, quod nec specialem præeminentiam, nec jurisdictionem, nec administrationem habet, V. C. Canonicatus, Cappellania, sive Altare authoritate Episcopi constitutum.

5 Aliud beneficium est titulare, quod in titulum perpetuum confertur, & sine justa, & gravi causa auferri non potest. Aliud est manuale, quod in titulum quidem confertur, sed revocabiliter; quia ad nutum Prælati auferri potest, V. C. Prioratus, officium Custodis, Sacristæ, sive Thesaurarii. Loquor autem de Priore, qui est sub obedientia Abbatis: Alius Prior a Capitulo creatus perpetuam dignitatem obtinet, nec potest removeri, nisi sit dilapidator bonorum, aut incontinenter vivat, &c.

Cappellania non est proprie Ecclesiasticum beneficium; quia non est perpetua, sed manualis.

6 Cappellaniæ aliæ sunt temporales, & non collativæ, videlicet quæ sine authoritate Episcopi, quamvis in perpetuum, institutæ sunt, ut a Fundatore, ejusve hæredibus conferantur; & tales Cappellaniæ proprie non sunt beneficia, sed mere temporalia stipendia Sacellanorum. Aliæ vero sunt Cappellaniæ, quæ authoritate Episcopi institutæ, spirituales, & collativæ factæ sunt; ideoque proprie dicta beneficia, quamvis ad nutum Episcopi, vel Patroni auferri possint: Hoc enim ad accidentalem tantum beneficiorum differentiam spectare

videtur. Spectato tamen jure communi beneficia sæcularia censentur esse perpetua, regularia vero manualia, seu revocabilia.

CAPUT V.

De Obligatione annexa Beneficio recitandi Horas.

1 BEneficiati, si Horas Canonicas intermittunt, post sex menses a beneficio obtento, ad fructuum restitutionem obligantur, juxta Concilium Lateranense, & Bullam Pii V. Peccant tamen mortaliter infra illos sex menses. Et descendit hæc obligatio restituendi vel Ecclesiæ, vel pauperibus ex Jure naturali; *quia beneficium datur propter officium*, adeoque quasi sub conditione præstandi officii: Nam datum ob causam causa non secuta jure repetitur.

NB. Si quis annuos habeat 365. aureos, debebit pro unius diei Horis omissis restituere unum aureum, dimidium aurei vero ob omissum Matutinum, & Laudes. Quod si ipsemet negligens sit pauper, potest sibi applicare id de consilio Confessarii, aliud tamen opus exercendo pro Fundatore.

2 Hæc fructuum restitutio præcise fieri non debet pro rata omissionis officii, ac temporis, sed quatenus reditus beneficiarii dantur propter Officium Canonicum, non item propter alias obligationes V. C. Parochiales; nam Parochus negligens Horas unius diei non tenetur restituere fructus totius diei, sed solum secundum proportionem. Quod si fructus beneficii non superent justum vitæ stipendium, V. C. si Parochus annuos habet 350. Rhenanos florenos, ad nihil restituendum tenebitur, si Horas negligat, uti & Cappellanus annuos habens 200. florenos: Quia credibile est, quod Concilium Lateranense noluerit eo casu imponere obligationem restituendi fructus beneficii ob neglectum Officium, cum spectato Jure naturali nulla omnino incumbit obligatio restituendi; atqui in nostro casu Parochus Jure naturæ ad nullam restitutionem obligatur ob Officium Canonicum neglectum, nam ob alia officia divina reditus omnes debentur Parochis: Ergo nihil restaret ob Horas neglectas restituendum.

NB. Si pater reditus filii beneficiati accipiat, & auferat, filius est liber ab obligatione restituendi, & recitandi (a).

„ (a) Hoc utique non assequor. Si pater accipiat „ & auferat reditus beneficiales filii sui periode est „ ac si fur alius externus illos auferret; id vero si „ accideret, nonne filius beneficiatus horas recitare teneretur?

3 Solus titulus beneficii non inducit recitandi obligationem, sed requiritur etiam possessio. Ratio: Quia nec dum talis perfecte est beneficium consecutus, & multa impedimenta occurrere possunt, ut provisus beneficii possessionem nunquam acquirat, aut saltem ejus temporis fructus non percipiat, vel quia ipsi non debentur, vel aliquo colorato quæsito titulo denegantur.

NB. Qui beneficium sine justo titulo possides, interim, dum fructus percipit, ad recitationem Horarum tenetur. Ratio: Quia, cum Beneficiatus commoda, & fructus sibi usurpes, justitia postulat, ut officium, & onera quoque subeat. *Non enim decet, quod invasor eo, qui juste ingreditur, privilegio gaudeat potiori*. Quod si juste quis beneficium possideat, sed lis est ob fructus, si sequestrentur, tunc, si certo sperat, se causam obtenturum, tenetur recitare.

4 Si beneficiatus sine culpa sua nullos reditus accipiat, nec postea accepturus est, ad recitandum Officium non obligatur: V. C. Si quis est in carentiis adeo, ut nihil illi detur, aut hostes fundos omnino devastarunt. Ratio: Quia beneficium non habet secundum omnem effectum; quandoquidem beneficium est jus percipiendi fructus. Nec obstat annus *gratiæ*: Nam ille institutus fuit, cum experientia doceret, multos Canonicos ære alieno gravatos sine pecuniis mori, ut neque honeste eorum corpora sepeliri possent; quod in Ecclesiæ contemptum cedere videbatur. Quare, cum reditus hujus anni ex mensa Capitulari desumantur, & antiquis Canonicis detrahi soleant, ideo de iis perinde, neque de aliis reditibus suis post mortem suam disponere se posse arbitrantur.

5 Justa potest esse consuetudo beneficia valde tenuia conferendi sine Horarum obligatione: Quia, cum lex Ecclesiastica respectu horum beneficiorum mere positiva sit, potuit per contrariam consuetudinem aboleri: Et si Ecclesiæ consuetudo non imperat provisis orandi Officium; non censentur vera esse beneficia, sed pensiones, aut præstimonia, quæ non ratione officii spiritualis, sed aliam ob causam conferri solent. Quod si mos sit tenuia beneficia conferendi cum obligatione orandi, omnino provisi obligantur. Quod si reditus omnes pereant, vel adeo minuantur, ut non sufficiant ad sustentationem, non tenentur pro eo tempore Beneficiati ad Horas. Excipe. Nisi sint in majoribus Ordinibus.

6 Præstimonia (portiones, quæ ab Ecclesiasticis reditibus abstrahuntur, & Clericis Studiosis assignantur) si in perpetuum titulum dantur, & vere Ecclesiastica beneficia sunt, ad Canonicum Officium obligant: Quia talia præstimonia omnia habent communia cum veris beneficiis, ideo obligant juxta Constitutionem Pii V. Præstimonia vero, quæ solum ad tempus dantur Studiosis usque ad sacerdotium, non inducunt obligationem Horarum; cum non sint beneficia Ecclesiastica, sed stipendia.

NB. Beneficia manualia obligant ad Horas: Quia sunt vere beneficia, si authoritate Ecclesiastica conferantur.

7 Commenda est duplex, perpetua, & temporalis. Perpetua (quæ constituitur in utilitatem personæ; quare æquiparatur beneficio, cum habeat vim, & effectum tituli) solet dari a Papa. V. C. Si Clerico non Professo beneficium regulare commendetur, & vice versa. Temporalis Commenda datur in Ecclesiæ utilitatem, ut interim beneficium a Commendato administretur, donec persona idonea instituatur; quæ Commenda V. C. Ecclesiæ Parochialis ab Episcopo data durare non debet ultra 6. menses. His positis dico, commendam perpetuam, sive titularem obligare ad Horas. Ratio: Quia omnes effectus beneficii participat. Commenda autem temporalis non obligat: Quia solum custodiam, sive administrationem beneficii tribuit, non plenum jus de fructibus disponendi.

8 Vicarii alii sunt perpetui, non amovibiles sine justa causa Jure expressa; & hi tenentur ad Horas: Quia censentur esse veri *Beneficiati*; quandoquidem omnes effectus, & proprietates beneficii Vicariæ perpetuæ conveniunt. Vicarii sæculares possunt præfici Ecclesiis Parochialibus annexis Collegiali, ad nutum amovibiles, tanquam Vicarii manuales: Tales sunt nostri Sacellani. Monachi tamen de licentia Abbatis, cum ab Episcopo approbati sunt, possunt per consuetudinem prefici Parochiis suo Monasterio annexis; & tales vocantur *Obedientiarii*. Vicarii alii sunt temporales, qui ad tempus constituuntur, V. C. ob absentiam, infirmitatem &c. Beneficiati; & tales ad Horas non obligantur, cum nullum jus, seu titulum beneficii habeant. Excipe: Nisi Vicario plena administratio beneficii cum consensu Episcopi committatur, vel Parocho infirmo perpetuus Vicarius assignetur.

9 Coadjutor Beneficiati, præsertim qui a Summo Pontifice instituitur cum futura successione, ratione hujus muneris sui non adstringitur ad Horas; tum quia beneficium nondum habet; tum quia ratione unius beneficii duo non obligantur ad recitandum. Cum igitur Principalis, dum ei administratio beneficii relinquitur, recitare teneatur, sequitur, Coadjutorem obligatione immunem esse, licet ratione beneficii propter labores illi aliquid detur. Quod si Coadjutores perpetuo instituuntur cum spe successionis, & Beneficiati sint amentes, ipsi tenentur ad Horas. Interim verum est, omnes in majoribus Ordinibus teneri ad Horas; sed sine onere restituendi, si eas intermittant.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Confessarius Beneficiariorum, si diligenter proprio muneri satisfaciat, facile aliquos adinveniet, qui vel, ut rure degant, vel ob aliam causam neque per se, neque per alios Choro assistunt, & tutos se putant in conscientia, quia animum habent dimittendi distributiones. Hæc opinio neque authoritate, neque ratione fulcitur; ac proinde diligens sit Confessarius in præsentando hujusmodi Beneficiariis suam obligationem; nec facile in ea adimplenda negligentes absolvat.

II. Utinam & non darentur Beneficiarii, etiam ita irreverentes, & irreligiosi, ut crebro in Ecclesia, seu choro fabularentur, ac magna oculorum libertate omnes Ecclesiæ angulos perlustrarent. Id maxime sequitur illis festivitatibus, quibus in cantu figurato aliqua Officii pars persolvitur, vel dum Mansionarii, & Cappellani Antiphonas, Responsoria &c. canunt. Moneant Confessarii hujusmodi Beneficiariis duplici gravi culpa posse suam conscientiam illaqueare, & quia non persolvunt, uti convenit, Horas Canonicas: & quia retineat omnes distributiones, quas retinere non possunt, cum non adfuerint præsentia saltem externe pia, & humana, ut amplius infra explicabo. Non facile etiam admittant hos pœnitentes, nam hujusmodi indevotio designat alias pluribus vitiis esse inquinatos.

CAPUT VI.

De Residentia.

1 RESidentia est assiduitas commorationis in loco beneficii, causa servitii Ecclesiastici personaliter præstandi. Unde Glericus, si nunquam eat ad Chorum, non censetur residere; quia frustranea est ejus residentia, quippe effectu, & fine suo carens. Nihilominus recte ait Navarr. *Aliud esse residere, aliud interesse*. Quare, licet Canonicus interdum negligat Præsentias; noo tamen amittit stuctus residentiæ: Et Canonicus, qui juravit residentiam, licet peccet negligendo divina officia, non tamen censetur perjorus, modo interdum se sistat, & ad Capitulum veniat; tunc enim residentia non omniuo caret fine suo.

2 Spectato Jure commuui omnia beneficia ad residentiam obligant. Conllitutio Concilii Tridentini de officiis divinis, a Canontcis personaliter persolvendis cantando, non elt recepta in multis locis Germaniæ, uti nec consuetudo residendi in multis locis; modo adsint uno certo V. C. S. Michaelis die, totius anni reditus locantur (*a*).

„ (*a*) Benedictus XIV. In sua Encycl. ad Episcopos Ital. mandat, ut Canonici adsilant Choro, eidemque se adjungaot io canendo, omnemque contrariam consuetudinem improbat. Bullar. t. I. n. 103.

3 Obligatio residendi in Curatis est de Jure divino; nam causa obligans Ecclesiasticum Curatum ad præsentiam est salus animarum, ideo, ubi hæc præsentiam exigit Palloris, nou potest Pastor propter commodum suum temporale gregem suum deserere. Excipe 1 Nisi æque utile foret Ecclesiæ Parochiali V. C. ut per Vicarium legitime admiuistretur, tunc consideratis circumstantiis cessat obligatio residentiæ personalis; & consuetudo obtinet, ut etiam iu curatis beneficiis non personaliter residearur; dummodo per absentiam Curati Ecclesia nulium damnum patiatur (*b*).

„ (*b*) Coosuetudo, de qua hic, ut Parochi non resideant dummodo idoneum Vicariom subllitoant ita reprobatur a Bened. XIV. de Syn. Diœc. lib. VI. cap. 7 ut nec velit tempore pestis licere Parocho abesse etiam æque idoneo Vicario substituto.

4 Clerici ad residentiam obligati compelli possunt per Censuras etiam, denique per privationem; dummodo absens prius personaliter citetur, si id fieri possit, alioquin per trinum edictum, si nesciatur, ubi sit, expectato deinde sex mensium spatio.

5 Causæ a residentia excusantes lunt Christiana charitas, V. C. juvandi proximum, ut lites componantur, urgens necessitas, debita obedientia, evideus Ecclesiæ, & Reipublicæ utilitat.

Occupaius in servitio Papæ, quia servit Ecclesiæ universali, babetur pro residente iu Ecclesiæ particularis beneficio.

6 Duo Canonici in servitio Episcopi occupati pro residentibus habentur.

NB. Clericus illegitime absens, si oullum damnum illatum fuit Ecclesiæ, quia Vicarius interim constitutus erat, non tenetur ad restitutionem fructuum ante sententiam (*c*).

„ (*c*) Hæc modo sententia omnino rejicienda est post damnatam ab Alexandro VIII. prop. XXX. *Restitutio a Pio V. imposita Beneficiatis non recitantibus, non debetur in conscientia ante sententiam declaratoriam judicis, eo quod sit pœna.* Quanquam enim hic sermo elt de omittente recitationem Horarom Canonicarum; eadem extendenda sont ad Clericos non residentes, cum otrioque eadem sit prohibitio eademque prohibitionis ratio, & residentia personalis ona sit ex obligationibus Beneficii residentialis, quemadmodum recitatio est Beneficii simplicis.

7 Episcopis permittitur, ut duorum, vel trium mensium spatio, Parochis vero, ut bimestris tantum spatio ab Ecclesiis absint, sine gregis commissi detrimento. Utrum vero ad hanc absentiam Parochis opus sit licentia Episcopi, noo clare exprimitur; unde Navarr. negat, Less. affirmat. Securissimum autem est, cujusque Diœcesis consuetudinem hac iu re sequi (*d*).

„ (*d*) Notat tamen Bened. XIV. Instir. Ecc. 17. omnino petendam a Parochis licentiam Episcopi etiam pro absentia uuius hebdomadæ, eademque non petita, etiamsi tacite presumpta foret, vel negata si Parochus absuerit, non facere fructus suos, ot sæpe declaravit S. Con.

Regula in praxi observanda.

I. Cum ex jure divino teneantur Parochi residere, nec residere dicantur, si & ipsi per se parochialia munera non præstent, videat Parochorum ruralium Confessarius in quanto salutis discrimine plures Parochi versentur. Quidam sunt, qui fere singulis hebdomadibus, nulla justa causa cogente, ad Civitatem per duos, vel tres dies accedunt, & ita verificatur singulis annis per plures menses abesse. Anne Confessarius hos in conscientia tutos debet judicara? Alii sunt, qui sæpissime per totam hebdomadam in Civitate degunt, ut laxiorem vitam ibi protrahant, solumque festis diebus ad propriam Ecclesiam revertuntur. Et hi miserrima Parochi, proh dolor! habent a quo sacramentali absolutione donentur? Alii demum reperiuntur, qui materialiter quidam in Parochia resident, ac totum, seu fere totum regendarum animarum onus aliorum humeris imponunt; & hi aliam quasi propriæ satisfaciant conscientiæ, absolutiona donantur, quotidie celebrant &c. Bene ergo animadvertat Confessarius hos Parochos a Sacramentis arcendos, si non rite munera suo fungantur; simulque cogat ad restitutionem fructuum pro rata, si sæpe absint sine justa causa.

Insuper Confessariut moneat Parochum, quod licet ex quacumque justa causa, pura invisendi Parentes, peregrinandi &c. possit de licentia Episcopi per bimestre abesse, nihilominus ultra tale tempus abesse non debet, nisi ea aliqua gravi causa; nam solum, tali gravi causa existente, admuit Tridentinum, ut Episcopus possit illis concedere licentiam discedendi ultra bimestre.

II. Notet insuper Confessarius, non satisfacere propriæ obligationi illos Canonicos, aliosque, qui in Cathedralibus, aot Collegiatis exhibere debent aliquod ministerium, si illud non adimpleant per se; nam residentia, ad quam tenentur, exigit, ut per se ipsos propria muuera adimpleant. Hinc Tridentinum *sess.* 24. *c.* 12. *de reform.* vult quod omnes divina per se, & non per Substitutum compellantur obire officia.

CAPUT VII.

De Distributionibus quotidianis:

1 DIstributioues (portiones Ecclesiasticorum redituum quotidie distribui solitæ iis Beneficiatis, qui statutis horis diurno Officio interfuunt) quotidianas pro omnibus Canonicis Horis constitui oportet. Ita Juri consonum esse docet Gl. in Clement. In bis tamen consuetudo cujusque Ecclesiæ attendenda est.

NB. Constitutio Tridentini Concilii sess. 21. de reform. decernens, ut distributiones, si ita tenues sint, ut probabiliter negligantur, ex tertia parte proventuum tam Canonicatuum, quam Dignitatum separandas, & inter distributiones quotidianas convertendas esse, non est ubique in praxim deducta.

2 Distributiones præsentibus tantum debentur, iis exceptis, quos vel infirmitas, vel justa corporalis necessitas excusat, aut evidens Ecclesiæ utilitas, juxta Constitutionem Bonif. VIII. Ratio: Quia distributiones quotidianæ propriæ iostitutæ sunt divini cultus augendi gratia ob præsentiam, & frequentiam Ministrorum.

3 Beneficiati ob justam causam absentes extra locum beneficii noo accipiunt distributiones, V. C. tempore pestis: Si autem in loco beneficii commorantes ab Officio absint propter Ecclesiæ otilitatem, vel corporalem infirmitatem, recipiunt.

NB. Quod si Superior jubeat, ut tempore Officii Horarii in alia Ecclesia sacrificetur, debentur ipsi distributiones: Quia censetur abesse in loco beneficii in otilitatem Ecclesiæ; imo per consuetudinem debentur distributiones absentibus io negotio Ecclesiæ.

4 Qui in Ecclesia duplici beneficio fungitur, videlicet Præpositi, & Canonici, æquum videtur, ot duplicem distributionem accipiat. Consuetudo tamen in hac re retinenda est.

5 Distributiones ordinariæ Fundatorum, qoas Canonici ob absentiam amittunt, aliis præsentibus accrescere debent. Quod si distributiones ex fructibus beneficiorum propriia proveniant, possont applicari fabricæ Ecclesiæ, vel alteri loco pio.

6 Ubi consuetudo retinetur, ot Canonici ipsimet in Choro cantent, non possuot saltem integras distributiones accipere, si præseutes cantare negligant: Quia distributiones oon dantur Canonicis ob meram præsentiam, sed præcipue ob servitium, quod est in Ecclesia psallendi. Secus est, ubi consuetudo viget, ut Canonici substitutos cantores habeant, tunc enim sufficit eorum præsentia ad lucrandas distributiooes; dummodo Horas privatim recitent. Ratio: Quia in ejusmodi Ecclesiis distributiones Canonicis dantur non ob canendi officium, sed ob moralem præsentiam tantum (*e*).

„ (*e*) Si tamen ista consuetudo admittenda sit, nam Bened. XIV. in Encycl. ad Episc. Ital. Bull. t. I. n. 103. omnem io ea re excusationem rejicit præter solum privilegium Apostolicum non præsumptum nec abrogatam.

7 Si Canonicus frequenter ; & quasi consuetudine absit, vel eum Ecclesia ex ipsius absentia damnum patitur, mortaliter peccare censetur.

CAPUT VIII.

De pluralitate Beneficiorum.

1 BEneficia alia incompatibilia dicuntur ; alia compatibilia. Incompatibilia sunt ea, quorum singulare per se, vel Jure naturali, vel saltem Ecclesiastica constitutione continuam residentiam postulant ; uti sunt duo Episcopatus &c. Item duæ Dignitates, sive Personatus ; quin & duo Canonicatus, ob institut. Trid. sess. 24. de reform. Deinde beneficia uniformia sub eodem tecto, V. C. duo Canonicatus ejusdem Ecclesiæ. Reliqua sunt compatibilia.

2 Plura beneficia, quorum unum ad honestam sustentationem sufficit, naturali Jure repugnant. Ratio: Quia alioquin Ecclesiastici reditus male, & inutiliter dispensantur, cultus divinus imminuitur ; nisi talis pluralitas justa causa cohonestetur, eaque triplici. Primo: Si necessitas Ecclesiæ postulet, V. C. ob penuriam Ministrorum Ecclesiæ, ob periculum, ne hæretici intrudantur. Secundo: Utilitas Ecclesiæ hoc suadet, si unus solus rei Ecclesiasticæ plus profuturus videatur, quam plures alii ; uti id expedit in Germania, ubi Illustres plura habent beneficia ad defendendam Ecclesiam. Tertia causa est meritorum prærogativa. Quod quis velit piis causis reditus superfluos applicare, si habeat plura beneficia, non est sufficiens, nisi aliqua ex prædictis causis adsit.

3 Specialiter prohibitum est, ne quis plura beneficia curata, vel plures Dignitates, aut Personatus obtineat. Ratio: Quia singula eorum perpetuam residentiam requirunt: Non potest autem idem in pluribus Ecclesiis residere. Pœna ejusmodi hominum est, ut altero obtento prius beneficium ipso jure vacet.

NB. 1. Episcopatus non vacat per adeptionem alterius dignitatis, vel beneficii. Ratio: Quia Episcopatus non potest deseri sine speciali licentia Papæ: Alioquin utroque privandus est per sententiam Judicis.

NB. 2. Canonicatus, & Parochia possunt simul possideri, si sint unita ; secus non absque dispensatione. Quod si Canonicus velit fieri Parochus, debet dimittere Canonicatum, aut desistere a Parochia.

4 Si Episcopo existenti in possessione Episcopatus beneficia conferantur etiam simpliciter compatibilia, collatio irrita est. Excipe 1. Nisi Episcopus sit tantum titularis, & Suffraganeus ; horum enim beneficia non vacant per ejusmodi Episcopatuum (quorum ipsi solum titulum habent) adeptionem. Excipe 2. Si Episcopatus sit pauper, tunc beneficia compatibilia conferri possunt ; incompatibilia vero, si dispensatio Papæ accesserit. Imo possunt etiam retineri in hoc casu beneficia ante obtenta ; cui enim licet, quod majus est, licet etiam, quod minus est.

5 Duo beneficia uniformia sub eodem tecto nemo obtinere potest: Quia Jura maxime abhorrent, & vacat primum adeptione secundi.

6 Nemo etiam duo simplicia, quæ ambo personalem residentiam incompossibilem requirunt.

NB. In Germania pro consuetudine in possessionem duorum Canonicatuum in diversis Ecclesiis requiritur solum residentia V. C. medii anni, aut trimestris.

7 Plura beneficia sæcularia compatibilia quilibet habere potest, quatenus ad honestam sustentationem requiruntur. Compatibilia autem beneficia in diversis quidem Ecclesiis sunt, quæ vel nullam, vel non incompossibilem residentiam postulant. In eadem autem Ecclesia compatibilia beneficia dicuntur, quæ difformia sunt, V. C. Dignitas, & simplex Canonicatus ; quæ proinde simul retineri possunt: Quia taliter non minuitur numerus Canonicorum, nec ibi, ubi nulla residentia opus, vel saltem non incompossibilis est.

NB. Duo Altaria Capellanus habere potest: Quia sunt difformia beneficia.

8 Duo beneficia regularia eidem conferri non possunt: Quia qualecunque beneficium incompatibile est cum primo in Religioso. Excipe: Nisi unum beneficium alteri unitum sit, ita, ut propter annexionem veluti unum beneficium censeatur.

9 In pluralitate beneficiorum incompatibilium jure ordinario Papa dispensat, non etiam Episcopus ; nisi incompatibilitas sit solum ex Jure Diœcesano. Quod si Summus Pontifex sine justa causa dispenset, valet nihilominus collatio ; sed provisus in conscientia tenetur ea, quæ secundum statum suum necessaria non sunt, vel in quibus justa dispensandi causa non fuit, resignare: Fructus tamen interim percepti retineri possunt, si per Vicarium satisfecit.

NB. Quod si beneficia sunt compatibilia, tunc duo, vel plura eidem conferri possunt sine ulla dispensatione: Quia jus, vel saltem consuetudo id permittit, dummodo provisus indigeat ad honestam sustentationem (a).

„ (a) Apud nos ad secundum beneficium compatibile, & ad honestam sustentationem necessarium requiritur Episcopi licentia ; pro tertio Papæ dispensationem omnino requiri, pluries decisum a Sac. Cong. notat Benedictus XIV. Instit. Eccl. 91. ubi tamen ex alio Decr. S. Cong. monet non esse vexandos illos qui bona fide tria vel quatuor beneficia insufficientia cum Episcopi sui venia jam obtinuisset.

10 Nulla consuetudine introduci potest, ut plures ejusdem Ecclesiæ Dignitates, Personatus, Canonicatus eidem conferantur. Ratio: Quia per eam introducitur paucitas Ministrorum, & diminutio cultus divini ; quod plane repugnat beneficiorum institutioni.

NB. Possessio duorum beneficiorum curatorum reprobatur, & præsumptio, atque cupiditas appellatur.

11 In pluralitate beneficiorum, alioquin communi jure incompatibilium, vim aliquam habere potest consuetudo immemorialis, etiam quoad plura curata, quæ personalem residentiam non requirunt, sed per Vicarium idoneum administrari possunt. Ratio: Nam quidquid privilegio, aut Summi Pontificis dispensatione induci potest, idem & consuetudine immemoriali ; sed Pontifex dispensat: Ergo &c.

NB. In Germania est consuetudo, ut Prælati, V. C. Decani, habeant curata beneficia, & per Vicarium administrari soleant ; idque, si fiat sine detrimento Ecclesiæ, non tam facile damnari potest. Quoad Concilium Tridentinum, quod tales consuetudines reprobare videtur, id in aliquibus Ecclesiis receptum non est.

12 Obtinens plura beneficia, residentiam postulantia, in digniori residere debet.

Regula in praxi observanda.

Cum Pluralitas Beneficiorum, si non suffragetur illi vera, & justa causa, tam validis rationibus impugnetur, & tam male audiat apud SS. Canones, & SS. Patres, ideo semper suaderem Confessario, qui excipit Confessiones illorum Beneficiariorum, qui insimul plura beneficia possident, ut bene examinet, an revera reditus Ecclesiastici illis supersint ; & in eo casu optarem non facilem esse in concedenda illis sacramentali absolutione. Meminerit animadvertere Authores non satis tutum esse in conscientia ob obtentam dispensationem, cum Dispensator relinquat conscientiæ dispensati considerare, an plus quam æquum sit de Ecclesiasticis bonis obtineat. Insuper non tam facilis sit in credendo vere probabilem esse quamcumque opinionem, quæ in contrarium afferatur ; nam bene examinatis ipsius fundamentis, ruinosam esse forrasse adinveniet. Ego utique inter meos Pœnitentes hujusmodi Ecclesiasticos non admitterem.

Alia, quæ de beneficiis tractant præcipue Canonistæ, ut de eorum extinctione, alteratione, aliisque, videri possunt apud eosdem ; neque enim multum conducunt ad necessariam instructionem Confessarii.

CAPUT IX.

De unione Beneficiorum.

1 UNio est *beneficiorum authoritate Prælati Ecclesiastici facta annexio*. Est duplex. Alia perpetua, quæ fit ob Ecclesiæ necessitatem, vel utilitatem. Alia temporalis, quæ fit in utilitatem Beneficiati, ideoque solum durat ad vitam. Quapropter odiosa est, atque in dubio non præsumitur.

2 Unio perpetua operatur quasi extinctionem beneficii accessorii ; unde nec vacare debet (V. C. Parochia annexa Canonicatui) quia assumit naturam, ac privilegia principalis beneficii, cui adhæret.

Corollarium I. In beneficii impetratione solius principalis mentio facienda est ; quo concesso, vel collato venit etiam accessorium (tacite.)

Corollarium II. Si Parochia unita sit Canonicatui, non requiritur ætas 25. annorum (cum per Vicarium suppleri possit) sed sufficit ætas, quæ in Canonico postulatur.

Corollarium III. Beneficium minus dignum oportet magis digno uniri, V. C. Parochiam Canonicatui ; non vice versa. Ratio: Quia non decet, ut magis dignum accessorium fiat minus digno.

3 Episcopus ob justam causam in perpetuum unire potest beneficia suæ Diœcesis, quæ nec exempta, nec Papæ specialiter reservata sunt.

Quod si collatio beneficii ad Papam devoluta est ob negligentiam Episcopi, nihilominus Episcopus potest unire, etiam in collatione alternis mensibus facta: Facta autem unione tali extinguitur mensis Pontificius, propterea quod beneficium cum effectu unitum eo ipso extinctum censeatur; dummodo unio non fiat in fraudem, V. C. in mense Pontificio.

4 Certi casus sunt, in quibus Episcopus etiam reservata, vel aliter affecta beneficia unire potest. V. C. Ob paupertatem Parochiarum uniri iis possunt alia beneficia etiam reservata; item ad erectionem Seminarii Clericorum. Alias expectanti specialiter a Papa reservatum beneficium non potest uniri.

5 Ecclesiæ Parochiales Monasteriis, & Dignitatibus, vel Præbendis Ecclesiæ Cathedralis, aut Collegiatæ uniri non possunt juxta Tridentinum. Si tamen talis unio a tempore immemoriali facta est, in dubium revocari non debet; quamobrem cessat in tali beneficio unito mensis Pontificius. Sufficit tempus 40. annorum cum titulo præsumpto ad præscribendam unionem, juxta Garciam.

6 Capitulum potest unire vacante Sede; sed absque præjudicio Episcopi. Episcopus, vel Capitulum beneficia suæ mensæ principaliter, ac directe unire non potest absque Papæ consensu. Ratio: Quia nemo in proprio facto authoritatem præstat. Dixi: *Directe*. Quia Episcopus potest exigente causa beneficium unire fabricæ Ecclesiæ, licet per accidens in ipsum, aut Capitulum utilitas derivetur. Deinde, si Præbendæ nimis tenues sint, potest fieri unio cum consensu Capituli; imo si consuetudo sit, sine consensu Capituli.

NB. Legatus a Latere potest unire beneficia suæ Provinciæ: Quia potest omnia, quæ Episcopus; modo non derogetur in aliis juri Episcopali.

7 Major est potestas uniendi, quam conferendi. Hinc nemo potest unire, nisi habens Episcopalem jurisdictionem; ne quidem Vicarius generalis sine speciali mandato unionem beneficiorum instituere potest.

8 Causa unionis faciendæ sunt *evidens necessitas*, *vel utilitas* Ecclesiæ, puta, si duæ Ecclesiæ vicinæ pauperes sint, ut ad victum duorum non sufficiant, aut bello devastatæ; imo tenetur Episcopus in tali causa, præsertim in necessitate, instituere unionem.

9 Formæ solemnitas ad unionem requisita est, ut antecedat cognitio causæ; vocentur, quibus interest patefieri; adhibeatur Capituli consensus: Nam, *quod omnes tangit*, *ab omnibus approbari debet*. Imo, si Capitulum sine justa causa contradicat, potest Episcopus instituere unionem in necessitate per semetipsum.

NB. Deficiente justa causa, & nihilominus unione instituta, rescindenda est, nisi juxta Concilium Tridentinum 40. annorum præscriptione firmata sit.

CAPUT X.

De Institutione, & collatione Ecclesiasticorum Beneficiorum.

1 Beneficia Ecclesiastica alia sunt *electiva* V.C. Prælati a Canonicis; quæ electio deinde a Superiore confirmatur, si Prælatus idoneus sit. Alia *Patronata*, ad quorum beneficiorum præsentationem Ecclesiasticus Prælatus cogitur instituere præsentatum, si idoneus sit; & hæc collatio proprie dicitur *institutio*: Qua ratione plerique Parochi, & Capellani institui solent. Alia sunt beneficia *libere collativa*, V. C. Personatus, Canonicatus, quæ libere conferuntur, cui voluerit is, ad quem collatio pertinet, modo ille sit idoneus.

Omnis collatio fieri debet beneficii vacantis; unde beneficia non vacantia promitti non possunt, ne quidem ab Episcopo; ideo, ne quis mortem alterius desiderare possit, si sciat, in ejus locum se suffectum iri; quamvis hoc non in omnibus Ecclesiis receptum sit.

NB. Si possessio beneficii manifeste injusta sit, beneficium ipso jure vacat, ac proinde alteri statim conferri potest, nisi possidens prius habeat titulum coloratum; tunc enim prius debet cognosci de jure possessionis.

2 Collator supremus omnium beneficiorum, seu libera sint, seu electiva, est Papa. Ratio: Quia ipse est supremus dispensator omnium bonorum Ecclesiasticorum, & Episcopus Episcoporum. Tribus autem modis Papa beneficium conferre solet. Primo: *Jure præventionis*, cum alicui confert gratiam exspectativam ad beneficium primo vacaturum; quod speciale est privilegium Papæ, neque alteri concessum. Secundo: *Jure concursus*: Nam Papa concurrit cum quolibet Ordinario in potestate, & jurisdictione; unde Papa vacantia beneficia conferre potest, etiam nulla interveniente negligentia Ordinarii. Nam, quamvis Papa potestatem conferendi Ordinariis dederit; sibi tamen majorem reservavit. Quapropter inter Papam, & Ordinarium datur locus præventioni, ita, ut, qui prior contulit, ejus collatio rata sit; in dubio vero potior erit conditio possidentis. Tertio: *Jure devolutionis*, de quo Capite sequenti.

3 Per concordata Germaniæ beneficiorum non Patronatorum collatio alternis mensibus ad Papam spectat, V. C. Januarius, Martius, Majus &c. Permittitur insuper, ut, si post tres menses a die notæ vacationis in loco beneficii nulla dispositio, vel gratia Papalis appareat, Ordinarius ad collationem libere procedere possit; quamquam, si appareat, Papam intra tres menses providisse, licet provisio ad locum beneficii non pervenerit, præsertim sine culpa provisi, collatio haud dubie acceptanda est. NB. Papa ex plenitudine potestatis potest etiam conferre beneficia in mensibus Ordinariorum, tamen non solet sine gravissima causa. Idem sentiendum de beneficiis patronatis.

4 Post Papam Episcopus, vel simili potestate præditus, est ordinarius collator beneficiorum suæ Diœcesis, sed cum consensu Capituli, spectato jure communi; quemadmodum etiam susceptio Monachi ad Abbatem spectat cum consensu Conventus. Excipe consuetudinem legitime præscriptam.

5 Capitulum, vacante Sede, non confert beneficia libera, quorum collatio ad Episcopum proprie pertinet: Quia talis collatio est species gratiæ, & donationis; instituit tamen præsentatos a Patronis, confirmat electos, recipit resignationes causa permutationis, unit beneficia postulante causa, dummodo nihil detrahatur juri Episcopali. Ratio horum omnium est: Quia Jura, vacante Sede, indulgent Capitulo Episcopalem jurisdictionem causa necessitatis, ne ex despectu Superioris periculum generetur.

6 Vicarius generalis, licet beneficia conferre non possit, attamen præsentatos instituere, electos confirmare potest: Quia hi actus sunt necessitatis, & justitiæ. Verumtamen nihil obstat, quin Episcopus speciale mandatum, vel etiam generale *cum libera*, ut vocant, tribuat Vicario suo conferendi beneficia, & alias meras gratias nomine ipsius Episcopi.

7 Legatus a Latere concurrit cum Ordinario in collatione beneficiorum, ita, ut inter eos locus sit præventioni. Aliis porro Nuntiis sine speciali mandato, conferre beneficia concessum non est.

CAPUT XI.

De Beneficiorum Reservationibus, & Devolutionibus.

1 Papæ reservata beneficia (sic dicta, quia eorum collationem Papa sibi propriam vendicat, ut ab aliis Ordinariis conferri non possint) sunt 1. Dignitates in Ecclesiis, maxime post Episcopatum, V. C. Præpositura in Cathedralibus, & Collegiatis. Augustana tamen habet speciale indultum eligendi Præpositum. 2. Beneficia, quæ vacant per promotionem ad alterum, cujus collatio ad Papam spectat. Neque refert, etsi Dignitas sit electiva; sicut in Germania Capitulum Cathedrale jus habet Episcopum eligendi: Siquidem per electionem talem non censetur vacare beneficium prius habitum ab electo, sed primum accedente confirmatione Papali, & adepta etiam possessione. 3. Beneficia Cardinalium, Curialium, seu Familiarium Papæ. 4. Quæ vacant per obitum Legatorum, Cursorum, & ad Curiam accedentium, vel recedentium, si in Curia, vel in locis ultra duas dietas a Curia non distantibus moriantur; & dicitur tunc beneficium *in Curia vacare*, seu apud Sedem Apostolicam, ut specialiter affectum, ejusque collatio Papæ reservata censeatur. 5. Quæ vacant per depositionem, privationem, translationem authoritate Pontificia factam: Beneficia tamen curata, si ea apud Sedem dictis modis vacare contigerit, vacante Sede Apostolica Ordinarii libere conferre possunt; idque ob speciale indultum, ne cura animarum diu vacare debeat.

NB. Ordinarius, vacante Sede Apostolica, beneficia vacantia in mense Pontificio, cum sit reservatio personalis, conferre potest.

Porro hæ reservationes personales restringi debent, ut locum tantum habeant in beneficiis perpetuis, non in manualibus, seu ad nutum amovibilibus.

2 Reservationes Papales locum non habent in beneficiis, quæ sunt juris Patronatus laicorum ex fundatione, constructione, dotatione. Ratio: Quia Papa non censetur juri laicorum ex fundatione, vel dotatione acquisito præjudicare velle, nisi id speciatim exprimat.

Nec habent locum reservationes Papæ in beneficiis resignatis causa permutationis: Quia non censentur proprie vacare.

3 Imperator Romanus in qualibet Ecclesia preces primarias offerre potest; idque ex speciali indulto Pontificio.

4 Si collator beneficium scienter conferat indigno, vel si electores scienter eligant indignum, collatio, vel electio irrita est, & collatores, atque electores privantur ea vice potestate conferendi, eligendi, & devolvitur potestas ad proximum Superiorem.

5 Devolutio collationis beneficiorum interdum fit immediate ad Papam; interdum gradatim ab uno Superiore ad alterum. V. C. In electione Episcopi indigni devolvitur collatio ad Papam; in aliis inferioribus devolutio fit ad Episcopum, Exemptorum ad Papam: Reliqua omnia sæcularia, & regularia in Diœcesi sua non ad Legatum, sed ad Episcopum post sex menses evolutos, tanquam Sedis Apostolicæ delegatum; quandoquidem Episcopus habet specialem delegationem, cui non derogat generalis delegatio Legati. Quod si Episcopus negligat conferre beneficia, quæ ad ipsum spectant jure proprio, & non devoluto, tunc jus collationis ad Capitulum devolvitur.

NB. Causa harum tum Papalium reservationum, tum devolutionum hæc est, ut Ecclesiarum communicatio, ac subordinatio tam inter se, quam cum Romana omnium matre & clarius ostendatur, & facilius conservetur.

CAPUT XII.

De Beneficiis electivis.

1 Beneficia proprie electiva sunt Prælaturæ, seu in quibus aliquis instituitur, ut sit caput Ecclesiæ, seu Collegii.

2 Electus ante confirmationem non habet quasi dominium beneficii, ad quod electus est: Quare interim administrationem usurpare non debet, neque priora ejus beneficia vacare censentur.

3 Electio jure communi ad Collegium spectat, etiam uno solum superstite, utpote in quo jus universitatis permanet; quamvis se ipsum eligere non possit, quia ambitionis notaretur. Ex consuetudine tamen alii extra Collegium possunt etiam eligere.

NB. 1. Sufficit, electorem esse in quasi possessione juris eligendi, licet postea ab eo evincatur. Ratio: Quia bonæ fidei possessor fructus valide alienat; electio autem, institutio, præsentatio sunt quasi fructus juris beneficii, aut Patronatus.

NB. 2. Potestatem eligendi non habent excommunicatus, suspensus ab officio, irregularis, scienter celebrans in loco interdicto: Eligentes scienter indignum, item Decanum ante annum ætatis 25. triennio suspensi sunt. Item, qui per abusum admissæ sæcularis potestatis elegerunt. Qui tribus mensibus Prælatum eligere neglexerunt, privati sunt ea vice. Impuberes, qui in Ecclesiis regularibus professi non sunt; item laici conversi.

4 Omnes, qui jus eligendi habent, ad electionem vocandi sunt; dummodo absentes commode vocari possint. Ab infirmis suffragium per scrutatores exquiri debet. Quod si commode vocandus prætetitus est, valet quidem electio; sed potest ille, si velit, contemptum suum prosequi, & electionem infirmare. Volens cedere suo juri ad electionem non est cogendus; nisi ejus absentia in præjudicium Ecclesiæ cessura sit.

Quod si absens justa de causa accedere non potest, concessum est ipsi Procuratorem, seu mandatarium constituere, qui tamen e Capitulo sit; nam extraneum Canonici recipere non tenentur. Porro Procuratorem, si ex electoribus est, non posse alium suo, & alium nomine mandantis nominare, præterquam si de certa eligenda persona mandatum speciale habeat, habetur de elect. in 6.

5 Electus spatio unius mensis consentire, &, postquam consensit intra trimestre confirmationem petere debet; alioquin electio irrita redditur; & electoribus ad eligendum de novo trimestre in Ecclesiis Cathedralibus, & regularibus, sex mensium spatium in aliis Collegiatis conceditur.

6 Tres sunt modi, seu formæ eligendi. Primus est per scrutinium, sive collectionem suffragiorum, in qua necesse est, ut *major pars* Capituli in eundem consentiat; quo deficiente opus est novo scrutinio. Secundus modus eligendi est per compromissum, si omnes e Capitulo potestatem eligendi idoneum committant uni, vel pluribus viris bonis, ac Deum timentibus; & hi debent esse Clerici juxta c. contingit, de arbitris. Hæc vero potestas data compromissariis revocari non potest, si res integra non est, sive tractatus jam cœptus.

7 Compromissarii unum ex se ipsis eligere non prohibentur.

In scrutinio secreto, si quis se ipsum eligeret, censetur ambitiosus, & eo ipso indignus. Cæterum, si electio palam fiat, tunc aliis te eligentibus tu consentire potes, ita, ut tuum suffragium in numerum computetur.

NB. Compromissarii, indignam electionem scienter tatam habentes, privantur ea vice jure eligendi, & compromittendi.

Tertius modus eligendi est quasi per inspirationem divinam; dum omnes electores, tanquam uno corde, & ore, in eundem absque vitio consentiunt.

8 Postulatio cum electione in his convenit. 1. Quod, qui eligere possunt, ii etiam postulare. 2. Postulatus, sicut & electus, debet approbari a Superiore. 3. Postulantes indignum postulandi potestate privantur, & potestas ad alios, licet pauciores numero, devolvitur. Differunt vero electio, & postulatio. Qui eligi non potest, postulari tamen potest, si non omnino inhabilis sit ad exercendam Prælaturam, sed facile dispensabilem defectum habeat, puta, in ætate legitima, vel in natalibus, vel in Ordine Sacro ad Prælaturam requisito.

9 Beneficiati Episcopo inferiores ad Episcopatum eligi non prohibentur. Etsi vero decens sit, aliquem capitulariter eligi, qui sit de gremio Ecclesiæ, si adsit idoneus, ideoque alius ipsis obtrudi nequaquam debeat; si tamen Capitulares huic suo juri renuntiare volentes alium idoneum sponte eligant, non ideo electio cassari potest.

NB. Episcopus ad alium Episcopatum postulari debet, non eligi, nisi renuntiaverit Episcopatui: Quia cessat tunc ratio matrimonii spiritualis, quippe quod dissolutum est.

NB. Regularis ex uno Monasterio potest eligi in Prælatum alterius Monasterii ejusdem Ordinis, dummodo Prælatura non sit Episcopalis.

Et nemo potest eligi in Prælatum Regularium, nisi Professus.

NB. In Germaniæ locis quibusdam moris est, ut Episcopus loci sibi subjecti idoneo non invento ex alio ejusdem Ordinis Monasterio Prælatum instituat: Quia si talis Conventus sit, ut nullum idoneum habeat ad Prælaturam, plerumque periculum est, ut ne id quidem dijudicare possint Capitulares, quemnam ex alio Monasterio idoneum postulare debeant.

10 Postulantes variare, seu mutare possunt consilium, priusquam postulatio Superiori præsentata est, cum nullum adhuc jus acquisitum sit ei, in cujus gratiam postulatio concepta est: Post præsentationem vero consilium variare non licet, juxta reg. 33. in 6. *Mutare quis consilium non potest in alterius detrimentum.* Quod si electio facta sit absentis, & electionem non acceptantis, non possunt electores variare: Quia *actus præstiti ex debito officii* (uti sunt electio, collatio beneficii facta ab Episcopo) *non possunt per pœnitudinem revocari.* argum. c. tibi absenti, de Præb. in 6.

NB. Superior sine cujusquam injuria postulationem rejicere potest, cum sit specialis gratia, ad quam dandam nemo cogitur, nisi propter necessitatem Ecclesiæ.

CAPUT XIII.

De Beneficiis Patronatus.

1 Jus Patronatus (quod *est jus nominandi, seu præsentandi aliquem instituendum ab benefitium Ecclesiasticum vacans*) ex tribus causis acquiritur, Ecclesiæ fundatione, ædificatione, & dotatione sufficientibus reditibus. NB. Ædificans dotare tenetur Ecclesiam; alioquin Episcopus Ecclesiam consecrare non debet sine dote,

2 Patronus Ecclesiæ tum unicus esse potest, tum etiam plures; dummodo Ecclesiæ detur dos competens, quæ sufficiat ad necessaria Ministrorum, & ad luminaria.

NB. Patronus matricis est etiam Patronus filiæ cum laico, licet a laico ædificatæ. Quod si intra fundum alicujus Ecclesiæ a laico ædificetur, & dotetur Capella, acquirit etiam Ecclesia una cum laico jus Patronatus.

3 Patronus Ecclesiæ efficitur etiam, qui post Ecclesiæ consecrationem ei dotem assignavit; retrotrahitur enim Patronatus, perinde ac si ab initio constitutus fuisset.

NB. Corruente Ecclesia perit etiam jus Patronatus, si ex sola constructione ortum habuit; & si alius de novo ædificet, efficitur novus Patronus. Secus est, si tantum aliquali restauratione indigeat; nam restauratores censeotur tunc benefactores, non Patroni. Imo donans aliquid Ecclesiæ sine animo dotandi non fit Patronus.

4 Duplex est jus Patronatus, Ecclesiasticum, quod Ecclesiasticæ personæ competit ratione beneficii, aut fundationis ex bonis Ecclesiasticis: Et Laicum, quod competit Laico, seu Ecclesiastico ratione fundationis ex bonis propriis, sive patrimonialibus, & ex iis, super quæ Clericus, licet sint bona Ecclesiastica, de consuetudine testatus est amicis.

NB. Laicus Patronus intra quatuor menses non præsentans amittit ea vice jus præsentandi: Ecclesiasticus intra 6. menses. Quod si laicus, & Clericus sint Patroni, tunc laicus gaudet ptivilegio Clerici.

5 Juri Patronatus laici ex fundatione, constructione, vel dotatione, oon tam facile derogatur, quam juri Patronatus Ecclesiastici; nunquam enim derogatur laico juri etiam reservatione facta a Papa, nisi specialis mentio fiat.

NB. Etiamsi laicorum fiat mentio in clausula derogatoria, tamen non comprehenduntur Duces, Marchiones. Neque si laicus, & Clericus simul sint Patroni; nam æquum non est, ut aliquis ratione sui socii incommodum in re individua sentiat.

6 In Patronatu laico Patronus variare potest (non item in Ecclesiastico) V. C. Postquam unum præsentavit, etiam alterum potest præsentare; & tunc judicio Episcopi relinquitur uter eorum magis idoneus præferendus sit.

7 Patroous Ecclesiasticus, indignum præsentans, privatur ea vice jure præsentandi; sed laicus Patronus alium præsentare debet (a).

„ (a) Monet vero Benedictos XIV. in sua Epist. „ ad Archiep. Florentinum Bullar. *To.* 2. *nu.* 4. ab „ Episcopo inquirendum non esse in prælectionem a „ Patrono factam, nisi forte aliquis ex approbatis in „ eam reclamet quasi minus dignus electus sit.

8 Patrono quatuor jura competunt. 1. Instituendos ad beneficia vacantia Episcopo præsentare. 2. Honor præcipuus in Sessionibus, Processionibus. 3. Alimenta in casu inopiæ ab Ecclesia recipere. 4. Ecclesiam defendere, & curam ejus gerere, V.C. ut reditus Ecclesiæ non nisi ad usus fundationis præscriptæ convertantur.

9 Patronus Ecclesiæ servitium, seu onus Ecclesiæ imponere non potest contra SS. Canonum decreta; si tamen conditio aliqua honesta aoto fundationem accepta fuerat, ea servari debet.

10 Ædes Sacræ, & Parochiales cura Patroni debent reparari, & conservari, noo tamen sumptibus Patroni; sed, nisi proprii reditus pro Ecclesiæ fabrica deputati sint, vel loci consuetudo aliud obtineat, ipsimet Beneficiati ex superfluis reditibus contribuere debent. Quod si Ministri non habeant superfluos reditus, compelli debent Parochiani: Cum enim ibi divina percipiant, tenentur ad refectionem Ecclesiæ.

11 Patronus Ecclesiasticus rationem administrationis rerum temporalium exigere potest; laicus non item, sed solum habet eorum curam quoad defensionem.

12 Episcopus extra casum necessitatis non potest disponere circa beneficia cum præjudicio juris Patronatus: Secus, si ejus nihil intersit. Quod in necessitate possit, patet; quia Patroous non potest impedire magnam utilitatem Ecclesiæ, cum jus Patronatus ipsi ab Ecclesia ex gratia, non ex debito concessum sit.

Corollarium. Episcopus non potest absque consensu Patroni Ecclesiam Parochialem convertere in Collegialem: Quia amitteret jus præsentandi Rectorem; quippe electione constituendum. Neque Episcopus (ob eandem causam) potest unire beneficium patronatum sine consensu Patroni.

NB. Si alienatio, vel fructuum subtractio sine justa causa fiat, potest Patronus Ecclesiæ eam impugnare; quippe ad cujus officium spectat providere, ne beneficii fructus perperam insumantur.

13 Fundationes, & quævis ultimæ dispositiones, si justæ, ac rationabiles sint, mutari non possunt sine consensu Principis, qui in spiritualibus est Papa, juxta Baldum: *Ubicunque dispositio defuncti certa est respectu causæ, personæ, loci &c. ab Episcopo alterari non potest.*

14 Hæres, sive successor, renunsiare potest conditionibus in sui tantum favorem appositis; non item iis, quas ob cultum divinum, ob sui memoriam, familiæ commodum, Fundator requisivit: Nam piam, & honestam voluntatem observari naturalis æquitas postulat. V. C. Insignia dotantis Ecclesiam non licet tollere, ut nimirum memoria primæ fundationis perpetuetur.

15 Sepulchra, & insignia eorum benefactorum, qui Cappellam extruxerunt, tolli noo debent, etsi familia extincta sit: Quia Fundator optat in hominum memoria vivere, præsertim Christianorum, quippe qui hac ratione excitantur ad orandum pro anima illius; nam alioquin homines pii revocabuntur ab ejusmodi constructionibus.

NB. Sepulchra aliorum benefactorum Ecclesiæ etiam non licet mutare, nisi tota progenies sit extincta: Quia sicut morte usufructuarii, ejusque descendentium redit ususfructus ad proprietarium; ita etiam jus sepulturæ mortuo benefactore, ejusque hæredibus redit ad Ecclesiam.

NB. Si Fundator conditionem apposuit, aliquem ex familia, ex genere &c. ad beneficium præsentandum, instituendumque esse, si idoneus adsis, non potest tunc alius promoveri.

16 Episcopus sine causa necessitatis non potest unius Ecclesiæ reditus pro fabrica deputatos ad alterius indigentioris subsidium transferre. Ratio: Quia Ecclesia pupillo comparatur, cum se ipsam defendere non possit. Quare, sicuti tutor non potest alteri bona pupilli cum ejus detrimento donare; ita neque Ecclesiarum tutor Episcopus, excepta plenitudine supremæ potestatis Papalis. Excipe deinde magnam redituum abundantiam Ecclesiæ; item gravem necessitatem alterius Ecclesiæ.

NB. Episcopus numerum Missarum fundatarum, nisi temporis progressu reditus sufficientes non sint, mutare non potest.

17 Interpretari voluntatem Fundatoris defuncti, vel pro una vice ob causam rationabilem, & Ecclesiæ utilem dispensare, ad Episcopum cum hærede Fundatoris pertinet.

NB. Si Fundator clare expressit, Cappellaniam sacerdotio insignitis conferendam esse, modo autem se non offerat idoneus, nisi Subdiaconus aliquis, qui intra annum sacerdotium accepturus est, puto, huic conferri posse ex Patroni consensu, si id fieri possit absque diminutione cultus divini: Quia est justa causa.

18 Jus Patronatus tum masculo, tum fœminæ, puberi, & impuberi competere potest, etiam illegitimo. Quod si jus Patronatus annexum sit bonis a muliere marito in dotem datis, jus præsentandi pertinet ad maritum; in aliis bonis mulieris ad mulierem.

NB. 1. Præsentatio Minoris valet sine authoritate Curatoris: Quia Curator non datur Minori quoad Ecclesiastica. De pupillo alia est ratio: Quia Tutor constituitur etiam ad actiones personæ regendas.

NB. 2. Plures æque idonei præsentati possunt sibi invicem præferri ex volontate Principis. Ratio: *Cum enim omnia paria sunt, tunc gratificationi locus est*, ait Abbas.

19 Possessor juris Patronatus, si bonæ fidei est, valide præsentat; post litis autem contestationem de possessione juris Patronatus præsentatio admittenda non est.

20 Jus Patronatus quatuor modis transferri potest. 1. Successione, tam ex testamento, quam ab intestato. 2. Donatione laico facta; ubi providere potest Episcopus, ne Ecclesia detrimentum patiatur. 3. Permutatione, si fiat cum re spirituali, & noo temporali, V.C. cum alio Jure Patronatus. Ut in alium Patronum laicum Patronatus permutatione transferri possit, requiritur consensus Episcopi: Quia interest Ecclesiæ, ne novum Patronum deteriorem acquirat. 4. Per accidens, venditione, V. C. civitatis, villæ &c.

21 Dominium aliquod propter annexum Jus Patronatus majore pretio vendere, simoniacum est.

NB. Nec per locationem fundi, nec per oppignorationem acquiritur conductori Jus Patronatus: Quia per locationem, & oppignorationem dominium rei non transfertur; ideoque alienationis nomine non comprehenduntur. Tamen potest debitor Patronus creditori fundum hypothecæ nomine possidenti committere, ut nomine suo præsentet.

C A-

CAPUT XIV.

De requisitis qualitatibus Beneficiandorum.

1 AD omnia beneficia simplicia requiritur secundum Tridentinum ætas inchoata 14. annorum (Jure antiquo sufficiebat ætas septennii completa) saltem in Ecclesiis, quarum Canonicatus non habeant annexum Ordinem Sacrum. Ad beneficia duplicia, puta, Dignitates, si non sunt curata, requiritur ætas 22. annorum completorum. Ad Abbatiam 25. anni inchoati. Ad Abbatissam 30. anni completi. Ad Episcopatum 30. anni completi.

NB. Consuetudo illa, quæ in multis Ecclesiis viget, ut ad Canonicatus Ecclesiarum Cathedralium assumantur, qui 14. annum ætatis attigerunt, cum obligatione recitandi Horas, ut interim reditus beneficii seu dimidiatos, seu integros percipiant, defendi potest, tanquam non repugnans Concilio Tridentino: Quia Tridentinum non præscribit certam ætatem Canonicatibus Ecclesiarum. Deinde absentes studiorum causa censentur servire Ecclesiæ: Quia studeut, ut Ecclesiæ postea melius serviant.

2 Ad beneficia requiritur Clericatus, sive prima Tonsura.

NB. Quædam beneficia Sacerdotalia sunt, quædam Diaconalia, quæ vel jure, vel consuetudine Ordinem vel Sacerdotalem, vel Diaconalem requirunt. Et quidem jure communi necesse non est, Ordinem ad beneficium requisitum actu habere, sed satis est, si sacerdotium intra annum suscepturus sit. Episcopus tamen, dum eligitur, debet esse Subdiaconus. Quod si in fundatione alicujus Cappellaniæ requiratur Cappellanus, qui per se ipsum celebret, benigne, & juri communi conformiter id explicari posse videtur, satis esse, si intra breve tempus Ordinem sacerdotii suscipere possit; nisi aliud Fundator expresserit, V. C. in nostra unione Altarium.

Quod si Fundator requirat solum certum numerum Missarum, vel ut Cappellanus, ad tale beneficium promotus, toties sacrificet, non censebitur Cappellania sacerdotalis, seu actu, seu aptitudine, & nihil obstabit, quo minus alicui conferatur, qui non per se, sed per Vicarium satisfacturus sit: Nisi, aliam fuisse Fundatoris voluntatem, liquido constet. Ratio: Quia, si Fundator de beneficio expresse nihil disponat, relinquit illud dispositioni Ordinarii.

3 Instituendus ad beneficia ex legitimo matrimonio natus esse debet, vel saltem a Papa, aut alio habente Ecclesiasticam ad id potestatem legitimatus.

NB. Episcopus potest dispensare cum spurio, si solum ad beneficia simplicia, & minores Ordines instituendus sit. Quod si a Papa, ejusve Legato dispensationem acceperit, ut ad Sacros Ordines admitti possit, etiam ad Ecclesiæ Cathedralis Canonicatum admitti potest: Nisi consuetudo obstet.

4 Illegitimus, dispensatus absolute ad beneficia, non ideo censetur habilis ad beneficia curata, aut Dignitates; quippe in quibus major habilitas requiritur.

5 Filius illegitimus in eadem Ecclesia, ubi ejus pater beneficium obtinet, aut obtinuit, institui, aut ex officio ministrare non potest. Excipe nepotes: Nam in materia pœnali (qualis hæc constitutio est, facta in odium paternæ incontinentiæ) non comprehenduntur nepotes. Accedit, quod ratio abolendi memoriam incontinentiæ paternæ magis procedat in filio, quam in nepote ex filio. Potest tamen ministrare ex devotione.

6 Filius legitime natus, & nepos non potest patri suo in eodem beneficio immediate succedere: *Cum in beneficiis ea, quæ hæreditariæ successionis imaginem referant, sacris constitutionibus sint odiosa, & Patrum decretis contraria.* Pater tamen potest succedere filio suo legitimo, sive illegitimo, sed non in eadem Ecclesia, ubi filius illegitimus Minister est de facto.

7 Quarta qualitas est cœlibatus; nam conjugatus ad Ecclesiastica beneficia admitti non debet: *Nisi forte castitatem voveat perpetuam, & qui unicam virginem habuerit uxorem.*

Quod si Beneficiatus valide contrahat matrimonium, ipso jure amittit beneficium, utpote incapax beneficii; etiamsi uxor matrimonio non consummato Religionem ingrediatur. *Quia jus semel extinctum non reviviscit, etsi causa extinguendi postea cesset.*

Quod si invalide contrahat, per Judicis sententiam privandus est, nisi cum eo dispensetur.

Quod si Clericus in Minoribus sine Parochi præsentia contrahat, non amittit ipso jure beneficia, quæ possidet, juxta Sanchez. Ratio: Cum enim præsentia Parochi pertineat ad formam substantialem matrimonii, ea intermissa non potest censeri matrimonii contractum celebrasse, sed potius sponsalia de futuro, per quæ beneficia non amittuntur.

8 Per Religionis ingressum secuta expressa, vel tacita Professione ipso jure vacare incipiunt omnia beneficia ante habita. Novitio autem pro tempore durantis Novitiatus constituto Vicario beneficia servari debent. NB. Irregularis, aut idiota non debet promoveri ad beneficium.

9 Necesse non est, ut, qui beneficium Ecclesiasticum accipit, propositum omnino absolutum habeat in statu Clericali manendi; sed sufficit voluntas conditionalis. Ratio: Quia ex una parte provisus non dolosum animum adfert, cum vere habeat voluntatem perseverandi (nisi periculum incontinentiæ timeatur, aut unicus frater in magno stemmate moriatur) ex altera vero parte Ecclesia talem voluntatem conditionalem non damnat.

10 Qui beneficium curatum suscipit sine proposito intra annum sacerdotium accipiendi, si non promoveatur, omnes fructus perceptos restituere debet. Ratio: Quia Ecclesia cum tali onere curatum beneficium confert, ut obligatus sit intra annum sacerdotium suscipere; si non, fructus perceptos restituere debeat. Episcopus tamen cum hujusmodi promoto ratione studiorum ad tempus septennii dispensare potest; modo intra annum post tempus promotionis Subdiaconus fiat.

11 Qui beneficium non curatum accipit, cui obligatio Sacri Ordinis annexa est, debet habere propositum (saltem conditionale; nisi aliqua rerum mutatio intervenerit) intra tempus jure requisitum se habilem efficiendi; alioquin peccat mortaliter (quippe omni jure se habilem efficere obligatus propter annexam obligationem officii) ad fructuum tamen restitutionem non tenetur: Quia Jus Ecclesiasticum talem fructuum restitutionem non imperat.

12 Qui simplex beneficium, cui nullus Sacer Ordo annexus est, eo animo accipit, ut fructus aliquamdiu lucretur, postea ad statum sæcularem transiturus, peccat quidem, sed non mortaliter, per se loquendo. Ratio: Quia Jura ejusmodi Beneficiato liberam permittunt licentiam ad statum sæcularem transeundi. Veniale tamen est: Quia repugnat naturæ beneficiorum institutorum pro iis, qui divino cultui se penitus dicarunt, ceditque in Ecclesiæ aliquod detrimentum, quæ hac ratione Ministris idoneis, quos longo tempore aluit, spoliatur.

CAPUT XV.

De peccatis, aliisque incommodis ortis ex provisione indigni.

1 MOrtale peccatum est, Ecclesiasticum beneficium indigno conferre, si dignus haberi potest. Patet cum ex gravitate pœnarum, quæ Canonico Jure indignæ electioni, & collationi decretæ sunt; tum ex incommodis, quæ exinde Ecclesiæ accidere solent. Ob majus malum evitandum indigno, si dignus haberi non possit, licebit conferre; provisus tamen operam dare debet, ut se dignum, & idoneum reddat. Irrita tamen est collatio ei, qui non ætatis legitimæ, aut spurius, aut incultis moribus, aut idiota est, nescius legere: Quia *litteris carens sacris non potest esse aptus officiis*. Quod si sciat legere, valida est collatio, licet non intelligat; sed rescindi potest: Si spes sit discendi, potest dispensari.

2 Invalide provisus in conscientia obligatus est beneficium resignare; quandoquidem nullum in beneficio jus habet. Excipe. Nisi dispensationem, vel tituli revalidationem impetret ab eo, qui potestatem habet, V. C. ab Episcopo, si Papa manus non apposuit. Quod si Episcopus potestate præditus dispenset in defectu, non ideo titulus semper revalidatur, nisi defectus occultus fuerit.

3 Invalide provisus, donec ei titulus revalidetur, ab administratione beneficii abstinere debet, ne vitium intrusionis incurrat. Postquam vero titulus revalidatus est, recuperat fructus, si secundum Ecclesiæ morem vacantis beneficii fructus ad successorem pertineant. Quod si impedimentum ignoravit, non tenetur fructus perceptos restituere, nisi extantes; quamvis etiam usucapione triennali horum fructuum dominium acquirere possit.

4 In-

4 Invalide provisus, si beneficium spatio triennii cum bona fide, & titulo colorato pacifice possedit, postea tutus etiam in conscientia est: Nam alioquin regula illa, & beneficium Papale peccandi occasionem pluribus ministraret. Nec deest institutio legitimæ authoritatis: Quia Papa, generali lege confirmando titulum coloratum in triennali bonæ fidei possessione, censetur beneficium de novo conferre (*a*).

„ (*a*) Possessio triennalis juvat tantummodo eos, „ qui beneficium quidem simoniace obtinuerunt quan- „ do simonia ab aliquo tertio commissa est ignorante „ illo, qui beneficium obtinuit; non vero si ab ipso „ per se & simonia commissa fuit, ut DD. omnes „ agnoscunt.

5 Triennalis possessio prodest possessori, si vitiosum beneficii titulum habeat per ignorantiam facti, non juris; V. C. si eo ignorante simonia ab altero commissa est; nam juris error in usucapionibus negatur prodesse.

NB. Triennio possidens beneficium, etiamsi mala fide, fit ejus dominus, juxta Sà. Id tamen intelligitur de possessore, qui allegando, & probando triennariam possessionem intentionem suam fundatam habet, atque adversarium exceptione repellere potest. Interim Beneficiatus, non obstante illa possessione, Episcopo postulanti titulum beneficii semper exhibere tenetur.

6 Beneficium conferre digno, prætermisso digniore, nisi causa subsit, est peccatum, licet non semper mortale: Quia committitur peccatum acceptionis personarum juxta Ecclesiast. c. 42. Consistit autem hoc peccatum in eo, quod aliquis in jure dicendo, vel distributione bonorum, non attendit ad causam, sed ad personam, juxta Levitic. 19. *Non consideres personam pauperis, nec honores vultum potentis: recte judica proximo tuo*.

NB. Peccatum acceptionis personæ non committitur, nisi antecedat aliquod debitum justitiæ.

7 Patronus laicus satisfacit muneri suo, si dignum præsentet; siquidem specialis hic favor ratione fundationis illi concessus est, ut, quem voluerit præsentare, præsentet, dummodo positive agnoscat eum dignum. Alia ratio est de Patronis Ecclesiasticis, quibus ex officio incumbit Ecclesiæ quam optime prospicere (*b*).

„ (*b*) Quamvis non ignoro quosdam DD. hanc „ sententiam Laymani tenere circa patronos laicos, „ etiamsi beneficium sit parochiale; adhuc tamen Be- „ nedictus XIV. adhærens sententiæ S. Thomæ 2. 2. „ qu. 65. art. 2. ad 3. contrariam sententiam amplectitur, Instit. Eccles. 7. §. 5. 8.

8 Ad Prælaturam eligi debent, qui de gremio Ecclesiæ sunt; quia tales magis diligunt Ecclesiam, in qua nutriti sunt: Et ad alia beneficia potius indigenæ, quam alienigenæ promovendi sunt.

9 Graviter peccari potest, si officia sæcularia, jurisdictionem, vel administrationem habentia, indigno conferantur; cum exinde Respublica grave nocumentum accipiat.

10 Episcopatum, aliamve Prælaturam appetere principaliter propter Dei honorem, atque salutem animarum, secundario vero propter temporalia bona, non est illicitum, si debitæ conditiones adsint: Si scilicet dignus sit &c. Quia *qui Episcopatum desiderat, bonum opus desiderat*, juxta Apost. 1. Tim. 3.

11 Ad Prælaturam acceptandam, qui idoneus est, a Superiore suo cogi potest; imo interdum naturalis obligatio incumbit ad acceptandum.

Regula in praxi observanda.

I. Cum soli digniori conferenda sint Beneficia, & maxime habentia curam animarum, Confessarius omnino removeat a quærendis similibus Beneficiis, qui possunt evidentissime se minus dignos, & fortasse indignos cognoscere; ni forte concurrant, ut ostendant suum ingenium, absque ulla spe consequendi beneficium. Nec satis se excusant dicendo, ipsos velle concurrere, ac deinde relinquere Episcopo electionem. Dari etenim potest casus Episcopum ignorare quam parum in studiis profecerint, & judicium de ipsorum scientia formari ex responsionibus, quas in concursu, seu examine tradidere, quibus solum fortuito non erravrunt. Quoties etiam accidit Episcopum ignorare pravos ipsorum mores, cum in iis occultandis fuerint vigilantissimi? Quoties ipsorum latet imprudentia, dum publicam occasionem non habuerunt ostendendi se parum dociles, discordias non vitare, nec scire populis morem gerere, ut ipsos lenirate ad fas, & justum perducant? Si ergo isti ad Beneficia concurrant, dum spes est fore eligendos ultra præjudicia, quæ Dignioribus afferunt, præbere possunt occasionem, ut eligantur, maximo Ecclesiarum nocumento. Nec satis est respondere renunciaturos suæ electioni: qui enim sunt isti, & laudabimus eos? Certe concursui, seu examini non se exponerent, si vellent renunciare. Videat ergo Confessarius, ut longe absint a Beneficiis quærendis, alias suos peccati gravissimi reos pronunciet.

II. Advertat Confessarius quam plurimum suo Officio deesse Patronos, qui tenentur aliquos ex agnatione, seu cognatione ad Beneficium nominare. Qui solet Agnatos, seu Cognatos, magis commendatur; qui magis diligitur ab Uxoribus Patronorum, seu qui habet inter ipsos majores Divitias, cæteris præfertur. Id ne est eligere Digniorem? Admoneantur ergo Patroni de sua obligatione quærendi digniores ad Beneficia maxime curata, neque respiciendum majori clientelæ; sicut nec præterendos eos, qui magis commendantur, præcipue a mulieribus, sed qui magis utiles esse possunt Ecclesiæ, ac promovendæ Fidelium saluti; alias Rei erunt ipsi illarum culparum, & peccatorum, quæ ex hujusmodi electionibus oriuntur.

De eodem moneantur a pio Confessario Patroni, qui etiam extra Agnatos, & Cognatos possunt præsentare.

III. Admonere etiam debet Confessarius Patronos, & quoscumque jus habent conferendi Beneficia, ne antequam vacent illa alicui promittant; nam hujusmodi pacta, cum dent occasionem optandæ mortis Beneficiato ea possidenti, omnino reprobantur a jure: *cap. nulla §. 1. de concess. præbend.* Hac in re propter ignorantiam, maxime Patroni sæculares non raro errant.

IV. Facillime etiam peccatur in resignatione Beneficiorum. Multoties quod magis in iis Resignationibus observatur, est resignare in favorem illius, qui magis vult tribuere Resignanti titulo alimentorum, seu pensionis &c. An vero Resignatarius frequens se habeat inter mulieres, an lusibus addictus, an a libris abhorreat, de hoc minime curat Resignans. Interim adinveniuntur complacentes Confessarii, qui & resignantem, & resignatarium, neque de culpa commissa, seu quam committere meditantur, admoneant. Aliquando etiam Confessarius frustra enititur removere Resignatarium, quem fortasse, avaritia Consanguineorum impellente, uti omnibus numeris absolutum Ordinario repræsentarunt.

V. Mallem etiam pium Confessarium animadvertere quam facile committatur peccatum in conferendis etiam simplicibus Beneficiis, ut ab eo removere possit Patronos, si illorum confessiones excipiat. Validissimæ utique rationes probant, omnia etiam hujusmodi Beneficia Dignioribus esse conferenda; & maxime si agatur de conferendis Dignitatibus, Canonicatibus &c. At si sermo de his conferendis cum patrono instituatur, simulque Dignissimus, qui eligi possit, repræsentetur, statim abnuit. Quod si causa abnuendi quæratur, respondet esse quemdam inter suos Consanguineos, vel affines, qui beneficium exposcit, adeoque cæteris præferendum. At iste est juvenis crassissimæ Minervæ; mores ipsius non omnimode innocentiam redolent; vel si parum loquatur, insipiens, seu etiam insipientissimus appareт. Nihil refert. Consanguineus est. Affinis est. Et hæc ratio sat est, ut Ecclesiæ beneficia ipsi tribuantur, & ut Confessarius sese Patrono indulgentem ostendat.

Quid postea dicendum, dum pinguiora etiam Beneficia non adhuc Puberibus conferrentur, qui solum aliena voluntate fiunt Clerici, quorum mores nondum possunt considerari, & an studiis vacaturi, nescitur? Digniores utique non sunt: an Digni alii videant, Certe in hac nostrorum temporum corruptela plures ex his videntur egregie postea Cicisbeiorum munera adimplere. En qui possident Pauperum, adeoque & J. Christi patrimonium.

VI. Examinatores Synodales videant tanta præditos esse doctrina, ut bene possint suum munus adimplere. Certe quandoque accidere potest ab iis approbari, qui male responderunt, quandoque reprobari eos, qui juxta opinionem vere probabilem responderunt, quam tamen Examinatores, vel ignorabant, vel non probabilem reputabant ex nimio affectu ad propriam sententiam. In his graviter peccare posse nemo non videt, cum ita agendo arcere possint dignos, vel approbare indignos.

CAPUT XVI.

De numero Canonicorum, aliorumve Conventualium augendo, vel minuendo.

1 SI numerus Canonicorum in Ecclesia determinatus non est, tot in Ecclesia institui debent, quot ex redditibus honeste ali possunt; sed ultra Ecclesiæ facultates cogi non debent, ut aliquem recipiant: quare contra Superiorem excipere possunt, imo in tali casu etiam unus Canonicus se potest opponere, qui justæ causæ utilitatis Ecclesiæ suæ nititur.

2 In Monasteriis, præsertim Monialium, plures suscipi non debent, quam ex redditibus ali possunt.

3 Ob modicum redditaum incrementum, aut decrementum non debet numerus instituendorum mutari. Quod si notabiliter decrescant reditus, potest diminui numerus, etiam non obstante confirmatione Papæ; cum confirmatio Papæ intelligatur, si res in eodem statu maneant.

4 Reditus Præbendæ abundantioris Episcopus detrahere potest alteri applicandos. Ratio: Quia *Canonici non possident Præbendas jure proprio, sed jure Ecclesiæ*. Convenit tamen, ut hæc subtractio fiat vacante beneficio.

5 Si numerus Canonicorum in Ecclesia aliqua determinatus non est, non vacat Canonicatus morte alicujus, neque devolutio fit ad Superiorem ob negligentiam instituendi intra tempus semestre. Nec refert, etsi longo tempore fuerit consuetudo tot Monachos recipiendi; quia consuetudo consistens in actibus meræ facultatis, sive liberæ voluntatis non inducit legem, V. C. Si 40. annis ad tuum molendinum accessi, non ideo obligationem contraho. Interim Superior potest cogere Prælatum, & Capitulum, ut novos suscipiant secundum facultatem redituum.

C A-

non sola verba ; imo solo animo jurari potest absque externo signo, V. C. si quis eum intentione jurandi dicat: *In veritate hoc faciam*; dummodo sit ipsi animus Deum in testem invocandi.

4 Ad rationem juramenti requiritur, ut non meram assertionem veritatis contineat, sed petitionem, seu invocationem testimonii divini. Quare, si solum modo enuntiativo dicatur: *Coram Deo hec dico: Deus scit, me verum dicere: Deus videt, ita esse: Deus mihi testis est*: non sunt juramenta; tamen hoc ultimum frequentius ut juramentum accipitur. Ex moribus etiam loquentis potest conjici, utrum is frequenter, an vix unquam jurare soleat.

5 Invocatio testimonii divini tum explicite fieri potest (V. C. per Deum, juxta Apostolum 2. Cor. 1. *Testem Deum invoco*) tum implicite V. C. per creaturas, non simpliciter, sed ut in Deum relatas, prout in iis divina potentia specialiter relucet, juxta Deut. 3. & 4. *Testes invoco cælum, & terram*. Et Matth. 5. *Per cælum, quia thronus Dei est; per terram, quia scabellum pedum ejus*. Simili modo per Sancta Evangelia jurari solet; quippe in quibus, infallibilis Dei veritas nobis manifestata continetur.

6 Tanto deterius est juramentum per creaturam, quanto illa sanctior, aut excellentior.

7 Cum in SS. Canonibus sub Excommunicatione prohibetur juramentum per creaturam, intelligitur de Gentilium juramentis, puta, *per Jovem, Solem &c.* idque propter simulationem falsæ Religionis, & scandalum.

NB In execratorio juramento per creaturam (per animam) in quam Deus judicium exerceat, nisi verum sit, quod dicitur, minus periculi superstitionis, aut scandali subest.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum diximus, intervenire juramentum semper cum Deus vocatur in Testem, certum est habere veram rationem juramenti sequentes formulas: *juro per Deum: testis est mihi Deus: invoco Deum in testem, per Crucem, & Fidem Christi: per SS. Dei Evangelio &c.* Advertendum nihilominus, hæc verba *per Dio*, maxime dum aliquod malum quis alteri comminatur, non habere rationem juramenti comminatorii; nam dum homines in ira dicunt *per Dio voglio fare &c.* non intendunt vocare Deum in testem, sed proferunt illa verba ad ostendendam iram &c. Eadem ratione excusari possunt a juramento illi, qui de aliquo interrogati respondere solent: *No per Dio, si per Dio, per Dio Santo*, qua ut plurimum rudes ita respondentes non intelligunt vocatu Deum in testem. Valde nihilominus increpandi sunt, quia tales responsiones non audiuntur sine scandalo.

II. Ex dictis etiam intervenit juramentum, dum vocantur in testes Creaturæ, quatenus in eis speciali modo relucent Divina Bonitas, & Perfectio; vel quatenus in ordine ad Deum invocantur. Hinc certum est jurare illum, qui jurat per B. Virginem, per Sanctos, per Reliquias, per Templa Sanctorum, per Coelum, per Terram, per Animam suam, quia cum in ipsis reluceant speciali modo Divina Perfectio, & Bonitas, videtur ipse Deus invocari. Idem dicas dum Sacerdos jurat, *tacto pectore Sacerdotali*: nam censetur juratu per Christum, a quo institutus fuit Sacerdotalis Ordo, mediante quo consecratus remanet in Sacerdotem per characterem indelebilem. Item jurare intelliguntur, qui dicit: *per quell' aria di Dio, per questo fuoco di Dio, per questo pane di Dio &c.* quia invocat in testes Creaturas per ordinem ad Deum, qui solus potest esse testis veritatis, præcipue dum Creaturæ irrationales modo dicto invocantur.

III. Juramenta execratoria solent concipi his, & similibus verbis: *Iddio non mi ajuti mai. Il Diavolo mi porti. Possa adesso morire &c. A dannazione dell' anima mia*; quæ juramenta reddunt hunc sensum: si quod affero falsum est, Deus, quem in testem voco, subtrahat mihi omne auxilium, repentina me arripiat morte, tradat me Diabolo &c.

IV. Sequentes formulæ: *In coscienza mia: in verità. E' vero, come è vero, che ho da morire: per la fede mia: da Cristiano: da Sacerdote. da Religiosa*: communiter non reputantur juramenta, quia tantum res creata secundum se invocatur. Sensus igitur talium verborum est: hoc, quod dico, dictatur a mea conscientia: puto esse verum: est secundum fidelitatem viri probi, seu secundum veritatem, quam loqui debet Christianus, Sacerdos, seu Religiosus. Patet igitur, ea verba non continere Dei invocationem, sed duntaxat *res* creatæ.

V. Dantur etiam formulæ quædam indifferentes, quæ possunt esse, & non esse juramentum. Tales sunt illæ: *Lo sa Dio, che sta così: alla presenza di Dio sta così: Dio vede, se dico il vero: Iddio mi può esser testimonio &c.* Si igitur hujusmodi verba proferuntur per modum enunciationis, hoc est, non invocando Deum, sed solum enunciando, Deum scire, videre, esse testem eorum, quæ dicuntur, hujusmodi verba non continent juramentum. Si vero pronunciarentur invocative, hoc est, intendendo per hujusmodi verba vocare Deum in testem eorum, quæ asseruntur, tunc verum intervenirent juramentum; ex dictis etenim supra, qui scit quid sit juramentum, & intendit jurare, etiam per verba indifferentia id præstat, semper cum intendit per ea Deum vocare in testem.

Illa verba; *Vivo Dio, viva il Signore, che sta così*, puto non posse dici indifferentia, cum non solum in S. Scriptura, sed etiam communi usu, ut juramenta usurpentur. Cæterum in foro conscientiæ standum est intentioni ea verba proferantis.

Illa verba: *Questo è vero, come è vero il Vangelo: sono innocente come la Vergine Maria*, & similia, in rigore sunt blasphemiæ; primo etenim modo loquendi æquiparatur certitudo creata certitudini Divinæ, & secundo modo loquendi, æquiparatur innocentia ita loquentis cum innocentia tam supereccedente Beatissimæ Virginis. Hinc ab hujusmodi locutionibus homines sunt valde absterrendi. An vero sint juramentum, nec ne, standum est intentioni proferentis: si quis etenim intelligat per talia verba Deum, vel B. Virginem in testem vocam, continerent juramentum; secus si ea proferens, ut communiter accidit, vellet significare, quod sicut Evangelium continet veritatem, ita & verum est quod ipse affirmat: & sicut B. Virgo in nulla re fuit culpabilis, ita & ipse non commisit delictum, de quo accusatur.

VI. Tandem advertat Confessarius, quod cum, ex dictis, non detur juramentum, si non detur voluntas jurandi, multoties plebeji, & rudes vere non jurant, quamvis verba prolata de se importarent juramentum. Id igitur evenit, vel quia nesciunt quid sit juramentum, & quam pariat obligationem, vel quia non habent intentionem jurandi. Hinc sequitur, in foro conscientiæ non esse obligandos ad adimplenda ea, quæ videntur juramento promisisse.

CAPUT II.

De quibusdam jurandi formulis.

1 HÆ sunt veræ formæ jurandi: Per Deum ita est; (a) Deus mihi testis esto. Item, *Auff mein Ayd*, in foro judiciali, quando Judex dicit: *Gelob on auff dein Ayd*. Id est: *Promitte mihi juratus &c.* Quia hæc est Judicis intentio juramenta exigentis. Et ista verba etiam in vulgari sermone juramentum continent, si deliberate proferantur: Quia ad juramentum satis est, velle verba usurpare eo sensu, quo secundum aliorum ita jurantium consuetudinem usuepari solent; hæc autem consuetudo videtur Germanorum, ut formula illa, *Auff mein Ayd*, pro juramento usurpetur: Ergo tale præsumendum est, nisi de alia usurpantis intentione constet. *Gen meiner Treu*, secundum Theologos non est juramentum: Quia, qui dicit, *Per fidem meam hæc faciam*, non de fide Christiana, sed de morali loquitur.

„ (a) Quamquam verum est, hæc verba *Per Deum* „ *ita est* continere formulam juramenti; quia tamen „ in familiari sermone usurpari solet, non ad jurandum, sed ad dandam vim verbo; ideo non credo „ ab omnibus, qui hæc solent effari, accipienda esse, „ ut verum juramentum.

2 Fides a Sacerdotibus interponi solita per sanctam eorum consecrationem non est proprie juramentum (quia Sacerdotes ex levi causa jurare non debent) sicut nec fides a Principibus interposita: quamvis in externo foro ut juramenta accipiantur, & observari jubeantur, V. C. *Gen unsern Geistlichen Wurden*. Ratio: Quia in totius Clericalis, & Sacerdotalis status gravem ignominiam cedit, si fides tali modo, ac forma data violetur. Et apud Principes, *Men unsern Furstlichen adelichen Ehren*: Quia in ejusmodi personis interpositio fidei principalis, seu excellentis loco juramenti esse censetur.

3 Homagium (*sacramentum fidelitatis*) quod vasalli dominis suis, & Clerici, feudum temporale habentes, præstare debent, est proprie juramentum.

4 *In veritate*, item *In conscientia mea*, non videntur esse juramenta: Quia sunt simplex assertio, seu præstatio hominis vera loquentis. Alia est ratio, si dicas: *In veritate Dei ita est; tam verum hoc est, quam vere Deus est*: Quia his loquendi modis divina Veritas invocatur.

CAPUT III.

Utrum licitum sit jurare?

1 JUramentum, si debito modo fiat, est actus virtutis Religionis, juxta Deuter. 6. *Illi soli servies, & per nomen ejus jurabis*. Ratio: Quia pertinet ad cultum Dei, ejus infallibilem veritatem agnoscere, & prædicare.

2 Christus docens, *Ego dico vobis, non jurare omnino*, Matth. c. 5. mandat sine necessitate jurandum non esse propter periculum perjurii, & propter irreverentiam, quæ committitur contra Deum jurando leviter, & sine causa.

3 Juramentum religiosum tres conditiones habere debet, Veritatem, Justitiam, & Judicium. Veritas in eo consistit, ut veracissimi Nominis testimonium non adducatur in confirmationem falsi: Justitia in eo, ut non in confirmationem rei, aut dicti iniqui. Judicium in eo, ut cum prudente intellectus consideratione, non sine necessitate, aut magna utilitate juretur;

CA-

CAPUT IV.

De Divisionibus Juramenti.

1 JUramentum aliud est necessarium, quod a Superiore ad finiendam litem, ad criminis purgationem, &c. defertur. Aliud est voluntarium, quod sponte suscipitur ex partium conventione. Item aliud est judiciale; & aliud est extrajudiciale.

2 Præterea juramentum aliud est verbale, quod fit per verba, divini Numinis contestationem expresse, vel virtualiter significantia. Aliud reale, si solo tactu Evangelii, aut digitorum elevatione a muto exprimatur, imo per consuetudinem etiam a potentibus loqui. Aliud mixtum (corporale) quod præter verba etiam tactum Evangelii continet, utpote majori reverentia præstandum. Violatio hujus gravior est, uti & obligatio. Aliud juramentum est simplex; aliud solemne, Canonico tactu Evangelii.

3 Interdum juramentum fit per simplicem Numinis divini contestationem: Aliud vero per execrationem, cum jurans sibi ipsi aliquid mali a Deo falsitatis vindice imprecatur, nisi verum sit, quod asserit, aut promittit. Sic S. Paulus 2. Corinth. 1. testem Deum invocabat *in animam suam*. Usitatissimus etiam jurandi modus est: *Sic me Deus adjuvet &c.*

4 Præcipua Juramenti divisio est in assertorium quo confirmatur dictum de præsente, vel præterito: Et in promissorium, quo confirmatur dictum de opere futuro. V. C. Juro, me hominem non occidisse; juro, me in Deum credere, est assertorium: Juro, me opem laturum, est promissorium. Neque obstat, quod interdum etiam alienum factum juramento confirmari soleat ob probabilem cognitionem. Clericus de crimine infamatus, cui indicitur purgatio Canonica, tactis Evangeliis jurare quidem tenetur de veritate; alii tamen, qui ut testes innocentiæ producuntur, jurant tantum de credulitate, existimare se, illum innocentem esse.

NB. Perjurus censeri non debet, si jurantis intentio sit, duntaxat opinionis suæ majorem probabilitatem asserere, & juramento confirmare velle, licet talis persuasio incerta, & in se falsa sit (*a*).

„ (*a*) Ad eximendum tamen peccatum grave hæc
„ intentio non debet tantum interna esse, sed ut sit
„ etiam exterius manifestata requiritur.

NB. In Juramento promissorio etiam includitur assertorium, si juramentum cadat super opus faciendum.

5 Juramentum de opere futuro interdum est nudum, ac per se stans, V. C. comminatorium, quo alteri pœnam commeritam minamur; in eo enim nulla proprie inest obligatio ex virtute justitiæ, aut fidelitatis: Nihilominus ex virtute Religionis erga Deum obligatur jurans ad pœnam inferendam, si licite possit. Ita juratio dandi eleemosynam pauperi est nudum juramentum, separatum ab obligatione ex virtute justitiæ.

6 Prævaricatio juramenti simplicis, puta, si quis sine ulla promissione, ac pacto erga alterum simpliciter juret, se hoc, vel illud facturum, cum contineat obligationem futuro tempore veram faciendi assertionem boni operis, ob reverentiam divini Numinis, ideo unicam ex genere suo mortalem malitiam continet. Sed confirmatorium juramentum promissionis est vel erga Deum; quod est votum juratum, continens duplicem obligationem ex virtute Religionis, videlicet promissa Deo fideliter reddenda, & nominis ejus testimonium in vanum non assumendum esse: Quare prævaricatio talis juramenti duas diversæ speciei malitias contra Religionis virtutem complectitur. Vel est confirmatorium promissionis erga hominem; quod est pactum juratum, continens tum obligationem justitiæ, & fidelitatis erga promissarium, tum obligationem propriam juramenti erga Deum. Et talis juramenti prævaricatio est in duplici specie malitiæ, quarum una est contra justitiam, & altera contra Religionis virtutem. Vel est confirmatorium promissionis erga Deum, & hominem; ut videre est in voto jurato dandi eleemosynam pauperi, promissionem talem acceptanti, in quo actu tres obligationes continentur, duæ Religionis erga Deum, tertia justitiæ, & fidelitatis erga hominem; consequenter prævaricatio ejusmodi promissorii juramenti in triplici peccatorum specie consistit.

CAPUT V.

De Juramento judiciali.

1 JUramenti judicialis (in judicio præstiti) plures sunt species. I. Juramentum calumniæ, quod principio litis, vel postea, alterutra parte exigente, necessario Judex deferre debet; Actori quidem, ut *juret, non calumniandi animo litem se movisse, sed existimando bonam causam habere*; Reo vero, ut juret, se *bona instantia uti ad reluctandum*. Imo uterque jurare debet, *non exacturum se probationem, nisi quam pro veritate necessariam esse existimabat*, & quod nihil dederit Judici causa patrocinii.

Habet hoc calumniæ juramentum etiam locum in spiritualibus: Et licet in prima instantia semel præstitum fuerit, postea in causa appellationis iterum exigi potest. Juramentum vero malitiæ, V. C. quod malitiose non proponatur exceptio, petatur dilatio, Judex semper exigere poterit; etsi antea de calumnia, vel dicendi veritate juratum fuerat. Porro nihil interest, utrum Actor, vel Reus per se, vel per Procuratorem juret; sed consentaneum tunc est, ut Procurator non tantum in animam domini, sed & in suam juret, cum & ipse extrahendo processum, vel causam injustam defendendo calumniari possit. Excepto: Nisi sit Syndicus, aut Tutor, aut Curator; hi enim in propriam tantum animam jurare debent, si causæ cognitionem habent.

NB. Licet partes inter se convenire non possint, quo minus calumniæ Juramentum præstetur, quia tale pactum, tanquam peccandi occasionem præbens, Jure reprobatur; si tamen juramentum calumniæ neque a Judice, nec a partibus exigatur, sed tacite remittatur, non ideo judicialis processus corruit. Denique pœna recusantis hoc juramentum, cum præstandum fuerit, est, ut Actor ab instituta cadat actione; Reus autem haberi debeat pro confesso.

Alterum est juramentum, quod dicitur *in litem*, idque triplex. I. Juramentum *veritatis*; quia defertur ad intelligendam veram rei, per dolum alterius amissæ, quantitatem, seu valorem, quando alia probatio deest. V. C. Si cista, cauponi tradita, ab eodem restituatur amotis seris, aut sigillis, ita ut appareat, vel præsumptio sit de dolo cauponis; vel si damnum passus a fure, probato furto, rei ablatæ pretium juramento affirmet. Unde Regula: *Si concurrant difficultas probandi quantitatem rei amissæ, & odium delinquentis, standum est juramenta petitoris.* Qua simili ratione propter difficultatem probandi crimen admitti solent testes domestici, quamvis in alia causa non admitterentur.

II. Dicitur juramentum *affectionis*. Si enim res tua tibi valde chara dolo alterius amissa sit, V. C. codex, in quo notationes scripseras, tunc permittitur tibi ejus pretium secundum privatam affectionem, & utilitatem jurando in litem, æstimare; præcedente tamen, aut subsequente Judicis taxatione, ne in immensum ob affectionem juretur.

III. Est juramentum *interesse singularis, & extra rem*, puta, si per accidens damnum incurristi, vel lucrum tibi exinde cessavit, quod nummi, apud alterum depositi, suo tempore restituti non fuerint. V. C. Quia frumentum carius emere coactus es, permittitur tibi hoc damnum tuum juramento interposito æstimare.

2 Tertia species juramenti judicialis est, quod dicitur *litis decisivum*; idque vel est necessarium, quod ob inopiam plenæ probationis in causa dubia a Judice defertur, sive ex officio, sive ad instantiam partis. Dicitur necessarium, partim quia Judex quandoque deferre cogitur, partim quia delatum sine justa causa recusari non potest. Justæ autem recusandi causæ sunt, si Actor intentionem suam plene probavit, vel Reus rem cognitam non habet, aut ejus probabilem oblivionem allegat. Voluntarium autem juramentum dicitur, quod a parte parti defertur; idque simpliciter recusari potest: Si tamen sponte suscipiatur, parit exceptionem Reo juranti, Actori vero, si juraverit, actionem tribuit etiam civili Jure. Cæterum, si juramentum in judicio a parte parti defertur, Judice approbante, tunc quodammodo necessarium est, quia vel jurare debet is,

bet is, cui delatum est (nisi justa recusandi causa adsit) vel referre; alioquin lis contra ipsum decisa erit; juxta illud l. 38. ff. de Jurejur. *Manifestæ turpitudinis est, & confessionis, nolle nec jurare, nec jusjurandum referre*. Quod non tantum de Reo, sed etiam de Actore recte dicitur.

Veruntamen in actione famosa, ut furti, delatum ab Actore juramentum Reo non est licitum illi referre: Quia in ejusmodi causis, V. C. furto clandestino, Reus præsumitur melius scire veritatem, quam Actor: Quare, si accidat, Actorem æque informatum esse, ac Reum, tunc etiam in causa famosa licebit juramentum eidem referre.

NB. Juramentum a Judice delatum non obest, quo minus propter Instrumenta de novo reperta retractari sententia possit, & causa ex integro agi: Juramentum autem a parte delatum, cum vim habeat transactionis, confert ad plenam litis decisionem, ut amplius revocari non possit, nisi causa sit, in qua periculum animæ vertitur, non remissibile partium consensu; ut si agatur de valore matrimonii; item, si legatum, vel fideicommissum sibi relictum fuisse aliquis juraverit, idque postea producto instrumento falsum esse demonstretur. Cæterum in conscientiæ foro idem dicendum est de aliis causis, ut, quotiescunque veritas aliter, quam in judicio juratum est, appareat, ea prævalere debeat, atque juramentum solum in ordine ad externum forum oppositionem litis transactæ, & decisæ pariat. Æquissimum tamen etiam in foro externo censetur, ut liceat novo judicio jurantem de perjurio accusare. Sicut etiam transactio, quamvis juramento firmata, retractari potest, si propter falsa Instrumenta factam esse constet.

3 Juramentum necessarium plerumque Reo, & non Actori deferendum est ad litis decisionem. Ratio: Nam *favorabiliores Rei potius, quam Actores habentur*. reg. 125. ff. Et *promptiora sunt Jura ad absolvendum, quam ad condemnandum*, c. 3. de probat. Alioquin, si in causa dubia Actori per juramentum causam mox definire liceret, omnis pene legitimæ probationis necessitas, etiam ea, quæ omnium gentium Jure requiritur, ut *in ore duorum, vel trium testium stet omne verbum*, per suppletorium illud juramentum tolleretur non sine multorum innocentium periculo: Quia callidi homines eadem facilitate ad pejerandum, qua ad calumniandum aggrederentur.

Porro juramentum purgationis Reo præsumptione aliqua, etiam circa semiplenam probationem gravato, in omnibus causis deferri potest, etiam in iis, in quibus animæ periculum vertitur. Neque obstat l. 4. C. de edendo. *Actore non probante Reus absolvitur, etsi nihil præstiterit*. Intelligendum enim id est: Etsi nihil præstiterit probando; quamvis interim delatum sibi juramentum sine causa recusare non possit.

Juxta Gl. in cit. §. sane: Cum Actor habet unam bonam præsumptionem, sive unum bonum, & honestum testem, tunc, habito respectu ad quantitatem causæ, & qualitatem personæ, ut non sit præsumptio, quod pro tanto velit pejerare, defertur juramentum ipsi Actori. Ad Judicis autem prudentis arbitrium pertinet, ut consideratis causæ, & personarum circumstantiis (utrum V. G. Actor sit persona bonæ vitæ, Reus non item? item, utrum causa sit criminalis) in qua clariores probationes requiruntur (an civilis? famosa item, an non famosa? uti & matrimonialis? in qua requiritur plusquam semiplena probatio, & quæ nulla exceptione, vel conjectura probabili elisa sit) quandoque Actori juramentum in probationis supplementum, atque ad litis decisionem deferat.

CAPUT VI.

De Materia, & Obligatione promissorii Juramenti.

1 JUramentum de opere illicito nullam obligationem parit: Nam *juramentum institutum non fuit, ut esset vinculum iniquitatis*, c. quanto, de jurejur. Et reg. 58. in 6. *Non est obligatorium contra bonos mores præstitum juramentum &c.* etiam quoad venialia. Ratio est: Quia contradictionem involvit, ut aliquis obligetur ad patrandam rem illicitam, sive quæ in se peccatum est; V. C. furtum, mendacium. Si enim peccatum est, tenetur jurans ab eo abstinere, sive omittere: Non potest autem simul facere opus, & omittere, consequenter neque obligari ad faciendum.

2 Juramentum illicitum sæpe servandum est, si sit de re licita: Nam sæpe accidit, ut aliquis promittendo, ac jurando peccet, quia lege, aut præcepto prohibitum est, juramentum interim, si res promissa, & jurata prohibita non sit sub peccato, utique executioni mandari debeat.

3 Juramentum de opere indifferente, V. C. te nolle ad illas ædes ire, si alia causa non adjiciatur, nullam obligationem parit: Quia actio humana, quæ secundum se, sive ex objecto indifferens est, si in individuo ad nullum finem referatur, manet otiosa, ideoque mala; consequenter non potest esse objectum juramenti obligatorii. Imo etiamsi detur actio, ut aliqui docent, in individuo indifferens, id est, nec bona, nec mala, erit tamen talis actio nemini utilis, majorisque boni saltem pro eo tempore, in quo exercetur, impediens: Ergo non pertinebit ad cultum divini Numinis, ut propter ejus adductam authoritatem, seu testimonium perfici debeat. Cæterum si actio indifferens ad finem bonum referatur, erit opus virtutis, & capax obligationis juramenti religiosi. V. C. Si jures, cum tali homine te non locuturum, aut ædes accessurum peccati vitandi gratia, erit capax materia obligationis juramenti.

4 Juramentum de re illicita, tametsi mutata circumstantia licita fiat, non ideo convalescit, juxta reg. 18. in 6. *Non firmatur tractu temporis, quod de jure ab initio non subsistit*. V. C. I. Juravit Titius sine causa, se has ædes nunquam ingressurum; postea supervenit justa causa nunquam ingrediendi, quia inhabitatur a persona peccandi occasionem præbente; non ideo ille ab ingressu abstinere cogitur virtute juramenti, quod ab initio vanum, & irritum erat. II. Qui contra fidem primorum sponsaliorum secunda sponsalia juratus contraxit, priore sponsa ante nuptias mortua cogendus non est ad sponsalia secunda; quippe quæ promissionem, & juramentum de re illicita continebant, ideoque ab initio irrita erant. III. Qui voto castitatis obstrictus postea sponsalia absoluta, quamvis juratus, contraxit, post obtentam dispensationem in voto cogendus non est ad servandam fidem sponsaliorum; quippe quæ a principio nulla fuerunt.

5 Juramentum, quod divini dumtaxat honoris intuitu conceptum est de opere minus bono, vel ab initio nullam obligationem adfert, vel arbitrato jurantis in aliud opus melius convertendum est. V. C. Si jurasti, te hac hora oraturum, postea vero intelligis, gratius Deo futurum, si ægroto assistas, potes mutare. Ratio: Nam juramentum suscipit naturam, sive conditionem promissionis, cui adjungitur: Ergo, sicuti promissio, seu votum Deo editum de opere minus bono Deo gratum non est, si ejus directe oppositum melius existat; ita etiam dicendum de voto jurato.

Imo, licet juramentum sit nudum (V. C. Simpliciter jurasti, te matrimonium contracturum) nulla inde obligatio ad Deum oritur: Quia non pertinet ad divini Numinis reverentiam, ut fiat opus minus bonum, omisso ejus opposito meliore. Item, si jurasti, te filium percussurum, postea autem judices, melius esse abstinere a verberibus, non teneris juramento: Quia V. C. mutatur status objecti, quia filius se emendavit, veniamque petiit, aut alius pro eo rogavit.

Item, si jurasti, te ad Sacram Ædem peregrinaturum, potes deinde in opus melius mutare, quod Deo gratius esse intelligis, V. C. ut patri ægrotanti assistas. Ratio est: Tum, quia Deus, in cujus gratiam juramentum editum est, censetur remittere ejus obligationem, ut opus ei acceptius fiat; tum, quia juramentum in Dei duntaxat honorem conceptum, perinde ac votum, tacitam conditionem habet, nisi ad majorem Dei honorem cedat opus omittere, aliudque præstare.

6 Juramentum in gratiam alterius conceptum semper obligat, si sine peccato præstare possis, neque in aliud, quamvis melius opus, arbitratu jurantis commutari potest, juxta reg. *Juramentum homini præstitum servandum est, quotiescunque sine peccato, sive salutis dispendio, servari potest*, etiamsi fit solo interno animo conceptum. Addidi; arbitratu jurantis mutationem fieri non posse in aliud opus, licet melius. V. C. Jurasti, Titio te donaturum decem florenos, etsi eos majore fructu in pauperes erogare possis, tamen juramenti religione obstrictus es, donec Titius tibi sponte remittat; siquidem omne juramentum hac tacita conditione fit: Nisi is, in cujus gratiam juratur, remittat. Censetur

autem Deus remittere; at homo non præsumitur remittere, nisi expresse remittat.

NB. Si quis juret, puellam se ducturum, non tenetur abstinere ab ingressu Religionis. Ratio: Quia juramentum sortitur naturam actus, cui apponitur: promissioni autem matrimonii tacita inesse solet conditio: *Nisi Religionem ingressus fuero*: Ergo etiam juramentum ita intelligitur.

7 Juramentum de faciendo in alterius gratiam opere prohibito, vel infirmato a legibus civilibus obligationem parit, saltem ex virtute Religionis, si legis prohibitio, vel infirmatio non obliget sub culpa. Prob. Quia *omne juramentum editum in alterius utilitatem servandum est, si sine salutis dispendio servari potest*.

Exempla. I. Licet alienatio fundi dotalis secundum leges civiles prohibita sit; si tamen eam mulier sine vi, & dolo juramento confirmet, observandum est.

II. Transactio super relictis in testamento non valet, nisi inspectis verbis testamenti: At vero juramento accedente vim obtinet talis transactio sine dolo interposita in causa dubia. Similiter transactio post rem judicatam nihil valet, cum deficiat objectum transactionis; sed juramento talis actio confirmatur.

III. Pactum renuntiationis hæreditatis, sive non succedendi in paterna hæreditate secundum legem irrita est; sed juramento accedente servandum est.

IV. Contractus Minoris sine consensu Tutoris, vel Judicis decreto in alienatione rerum immobilium Jure civili irritus est; sed juramento accedente servari debet.

V. Donatio facta sine insinuatione ultra 500. florenos civili Jure irrita est; juramento confirmatur.

VI. Pactum, sive promissio non revocandi testamentum civili Jure irritum est; quia liberam de bonis suis testandi usque ad mortem aufert libertatem, quod civilibus moribus repugnat: Juramento tamen accedente servandum est, nisi ejus relaxatio impetretur. Idem dicendum de donatione omnium bonorum, licet civili Jure non subsistat, eo quod liberam testandi facultatem auferat; ob juramenti tamen religionem servanda est.

VII. Donatio inter conjuges Jure civili non subsistit; sed ex juramento robur accipit.

VIII. Si mulier pro altero fidejubeat, non obligatur ob privilegium SC. Vellejani; adhibito tamen juramento cogitur implere fidejussionem.

IX. Quod quis ludo alearum perdidit, Cæsareo Jure solvere non cogitur, atque solventi repetitio conceditur; si tamen juravit, se soluturum, juramento obligatur.

X. Pœna sponsalibus adjecta, quæ a violatore fidei solvenda sit, utroque Jure reprobatur; si tamen juramentum accesserit, obligationem parit.

XI. Pactum legis commissoriæ Jure improbatur: sed juramento accedente obligationem parit.

XII. Pactum non utendi exceptione pecuniæ non numeratæ irritum est, si adjiciatur in eodem Instrumento accepti mutui; quia eadem facilitate tum ad confitendum, tum ad exceptioni renuntiandum aliquis adduci potest. Nihilominus talis renuntiatio adjecto juramento confirmatur.

XIII. Si filiusfamilias pecuniam mutuam accepit, non obligatur ad solvendum ob beneficium SC. Macedoniani; nisi juramentum accesserit, sive huic beneficio per juramentum filius renuntiarit.

8 Quotiescunque lex civilis, vel alia quæcunque sub peccato obligat, ne tale opus fiat, vel promittatur, tunc juramentum de eo faciendo irritum est: Quia juramentum non est vinculum iniquitatis. V.G. Si jurasti, te crimen non manifestaturum Judici legitime interroganti; non accusaturum de crimine Reipublicæ pernicioso. Item, si Clericus juramento interposito renuntiat fori privilegio, aut Ecclesiasticæ immunitati; est enim tam pactio hæc, quam renuntiatio illicita; etiam in conscientia. Pactum, seu promissio condonandi injuriam, aliudve crimen futurum scandali turpitudinem continet: Quamobrem juramento confirmari nequit.

NB. Leges prohibentes, vel infirmantes aliquam promissionem, seu pactionem, quarum finis proximus est commodum ipsorum paciscentium, ne detrimentum aliquod patiantur, non solent eos obligare sub culpa: Nam *quod ob gratiam alicujus, conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*. reg. 61. in 6. Tales sunt leges, sive privilegia concessa ætate minoribus, & filiisfamilias, ne ex contractu, item mulieribus, ne ex fidejussione efficaciter obligentur, quibus proinde renuntiare possunt, si non valide, saltem licite; ut insuper accedens juramentum obligandi vim habeat ex ipsorum etiam communium jurium dispositione.

9 At vero leges prohibentes aliquam pactionem, quarum finis proximus est commune bonum Reipublicæ, V. C. quibus Clericorum immunitas, publicorum judiciorum integritas, rerum ad communem victum necessariarum copia conserventur, eæ sub peccato obligare solent; quare ne juramento quidem accedente iis contraveniri potest: Quia pactum, juxta Bartolum, per quod tollitur jus privati, ipsi paciscenti publica authoritate concessum, saltem accedente juramento validum est. Secus, si tollatur jus publicum: Quia juri publico privatorum pactionibus, vel juramentis derogari non potest. Præterea, si lex civilis aliquid disponat in favorem aliorum, quibus tali lege aliquod jus acquiritur, V. C. ut liberis certa bonorum paternorum portio debeatur, quæ neque donatione, neque legato inofficioso imminui possit; tunc tali dispositioni legis nullo pacto, quamvis juramento firmato, derogari potest: Quia tale juramentum foret injustitiam, ideoque irritum, & inutile est.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum promissio juramento firmata, facta homini, obliget, etiamsi non fuerit de meliori bono, quotiescumque tamen fuerit acceptata, consequens est, non satisfacere hujusmodi promissioni, qui vellet illam in opus melius commutare. Ita qui jurasset dare Petro decem aureos, non satisfaceret suæ obligationi, si vellet dare centum in eleemosynam pauperibus.

II. Quia juramentum promissorium non obligat cum servari non possit absque peccato, probabilius docent Theologi, non dari obligationem adimplendi promissionem prodigam, cum non possit executioni mandari saltem sine peccato veniali. Si vero res promissa sit partibilis, adimplenda erit in ea quantitate, in qua nulla est prodigalitas. Hinc dicunt, quod qui promisit Meretrici, cum qua peccavit, summam excedentem, non tenetur eam totam dare.

Pariter ex eodem fundamento dicunt Theologi, non teneri ad servandum secretum, qui juravit, non revelaturum aliquam artem, seu remedium ad curandum aliquem morbum. Utique, usquedum qui illam artem, vel remedium possunt per seipsos bono communi providere, pariter possunt silere, & servare secretum: at debent curare, ut post ipsorum vitam illius artis, seu remedii notitia non deperdatur, quia tunc servare secretum esset apertissime contra Charitatem.

III. Quia multoties diximus, promissionem acceptatam adimplendam esse, secus non acceptatam, quamvis juramentum accesserit, observare debet Confessarius, hanc doctrinam toties apud Theologos insinuatam, valere solummodo, quando juramentum cadit super observantiam promissionis. Notandum igitur est, quod jurans & potest jurare, se promissionem servaturum, & potest absolute jurare, se daturum, quo casu non respicit promissionem rei, sed executionem. Si juramentum fuit de servanda promissione, non consurgit obligatio, usquedum non fuerit acceptata; nam juramentum erat ad inducendam promissionem, si contingat promissionem acceptari. Dum proinde promissio vel non fuit insinuata, cui facta est, vel fuit revocata, vel non fuit acceptata, vel si postquam fuit acceptata, fuit legitime sublata, nulla consurgit juramenti obligatio. Si vero juramentum fuit de re absolute danda, adeoque respiciebat immediate executionem rei, tunc etiam ante acceptationem servandum est juramentum; quia interpositum est Divinum Testimonium pro futuritione rei, & postulat ejus reverentia, ut adimpleatur. Quod si ille, in cujus favorem factum est tale juramentum, rem illi ex juramento dandam recuset, tunc qui juravit aliquam rem illi dare, liber erit ab observando juramento; semper enim intelligitur se obligare ad aliquam rem dandam, quoties non recusetur. Quomodo vero juramentum cadat in observantiam promissionis, vel potius in rei executionem, resciendum est ex intentione jurantis.

IV. Eo quod juramentum metu extortum, semper, cum adfuit intentio jurandi, servandum sit, bene inferunt Theologi, solvendas esse usuras promissas cum juramento ex mutuo; quamvis enim Usurarius eas recipere non possit absque peccato, bene qui juravit solvere potest absque peccato. Id etiam decisum habetur *cap. debitores de jurejur.* Idem dicendum de pecunia promissa a Viatore cum juramento Latronibus, ut illum liberum relinquant. Si vero jurasset, illos Judici se non denunciaturum, non teneretur stare juramento, quoties valde essent perniciosi, vel Viator a Judice interrogaretur legitime; tunc enim juramentum fuisset de re illicita, adeoque nullatenus servandum. Stante autem quod, secluso juramento, nulla sit obligatio illos denunciandi, tunc servandum est additum juramentum, quia servari posset absque peccato.

Ex doctrina in superioribus stabilita, deducunt Theologi pro praxi, quandonam teneatur ad carcerem redire, qui juramento affirmavit, se ad carcerem rediturum. Et quidem, si carcer sit justus, communis sententia est redire debere etiam cum vitæ discrimine; supposita etenim justa causa, vel sententia mortis, non habet hujusmodi reus jus formatum ad vitam conservandam, adeoque juramentum servari potest absque peccato. Plures vero Theologi docent, non servandum hujusmodi juramentum, si carceratus illud fecerit ad evadendam injustam mortem, quia tunc juramentum fuit de re temeraria, & contra jus naturæ, cum temerarium sit se injustæ morti offerre, & insuper contra legem naturæ, qua unusquisque tenetur vitam suam conservare. Id tamen verum non esset, quoties ad carcerem non redeundo, scandalum, seu injuria oriretur contra Christianam Religionem: ut si Captivus, præstito apud Turcas juramento redeundi ad suam captivitatem, non redeundo occasionem ipsis præberet credendi, apud nos religionem juramenti parvipendi. Cæterum non desunt Theologi universaliter affirmantes, eum debere ad carcerem redire, quoties juravit se rediturum, etiamsi juraverit ad mortem injustam evadendam;

dicunt

dicunt etenim jurameotum affe causam gravissimam illum excusantem, ne temere dicatur exponare vitam, quandoquidem eam exponcret ob reverentiam facti juremenai. Illud tamen certum est, quod si quando exivit de injusto carcere, & jurevit se rediturum, non prævidis se injuste damnandum ad mortem, tunc non tenetur redire, quia censetur se obligasse non superveniente aliqua re notabili.

V. Qui. juramentum confirmat contractus, quando invalidantur a jure ob particulare bonum jurantis, ideo debet Confessarius adverters, tunc non adimplentem juremeutum duo committere peccata, nempe contra religionem ratione violati juramenti, & contra justitiam retione contractus, qui fuit retione juramenti confirmatus. Hinc si Filia juravit, se non redituram ad bona paterna, contenta dote sibi a patre assignata: si Minor cum juremento contractum celebraverit absque Tutoris authoritate; si Filius familias mutuo acceperit pecunias, juramento renuncians beneficio senatus cousulti Macedoniani; si Mulier fidejussit, juramento renuncians privilegia senatus consulti Vallejani: si, inquam, omnes isti non servaverint, quod juramento promiserunt, dupliciter peccaot, scilicet contre juramentum, & contre justitiam, com non servent contractum, qui, accedente juremento, convalidatur, utpote qui principaliter erat irritatus ob ipsorum privatam utilitatem. Videnda tamen quæ dico in Trectatu de Justitia, & Jure.

Semper tamen advertendum, non debere esse in Creditore turpitudinem, seu accipere posse sina peccato id, quod sibi promissum est; nam tunc nullatenus convalidaretur contrectus, & qui juravit, teneretur solvere ex vi solius juramenti, quando tamen illud adimplera posset sina peccato. Sic ex vi solum jurameati tenetur solvere usuras, qui illas juremento promisit retione mutui accepti; sicut etiam qui pecuniam juramentu promisit Grassatoribus. Removeri autem potest etiam hæc obligatio petendo jurameati dispeasationem. Hæc tamen dispensatio, seu relaxatio juremenri nec juste peti, aut dari potest, si juramento firmetur contractus, quia scilicet nulla est turpitudo in recipiente: nam tunc nulla intervanit justa causa vel petendi, vel concedendi, relaxationem.

VI. Quia juremenium factum in hominis favorem, & ab illo acceptatum, est adimplendum ad hæredibus jorantis; hinc fit, etiam hæredes illius, cui aliquod promissum est, habere jus, ut sibi solvatue res juramento promissa. Hoc autem jus non est in illis præcise vi juramenti facti a Defuncto: nam obligetio juramenti est personalis, sed vi realis obligationis contrectæ a Defuncto, quatenus alter acceptando juratam promissionem, acquisivit jus in rem promissam, quod jus transmittere potuit ad suos hæredes. Quod si acceptatio illius, cui aliquid joramento promissum est, nullum peperit jus, qualis esset acceptatio latronis, aut Viator aliquid sub juremento promisit, nec aliquid exigere potest hæres acceptantis, utpote cum non possit habere jus majus ipso acceptante.

CAPUT VII.

De Obligatione Juramenti promissorii ob alterius injuriam præstiti.

1 Qui juravit, alteri usuras soluturum, ex Religionis virtute obligatur, ne nomen Dei in testimonium falsi adductum fuerit: Non tamen obligatur ex justitia; quia usutarius nullum jus habet accipiendi usuras, juxra reg. Abb. *Juramentum obligat, etsi turpitudinem contineat tenentem se ex parte recipientis; non autem jurantis*. Nec talis solotio peccatum continet, sed laudabilis est, ut cognoscatur, quantopere suorum verborum, ac promissorum fidem servet. Deinde, licet peccare potuerit jurans (inducens hominem ad usuram sine necessitate) & sic juramentum fuerit illicitum; tamen non fuit de re illicita.

2 Qui juravit latroni, inique exigenti, pecunias soluturum, juramentum servare debet: Quia ejusmodi juramentum non vergit in interitum salutis, sed honeste servari potest; nisi juramentum relaxetur (*a*). Unde solvere debet; sed solutas in judicio repetere potest, petendo restitutionem in integrum. Si autem solvens juravit, se non repetiturum in judicio, tunc quidem obligatur juramento, quominus ejusdem actionem instituere possit; sed de crimine accusare non prohibetur ad publicam vindictam, seu punitionem.

„ (*a*) Intellige tamen semper cum exceptione, de „ qua supra, teneri hunc solvere ex virtute religio„ nis, non vero ex justitia.

3 Qui juravit, in carcerem injustum se rediturum, obligatur juramento etiam cum vitæ periculo. Prob. Quia talis reditus est opus virtutis fortitudinis; nec reditus est intrinsece malum, sed tale quid, quod justa causa cohonestatur, nimitum ad implendam promissionis veritatem. Sic, licet Princeps graviter peccet, sine necessitate hæreticis promittens libertatem Religionis; tamen juratus servare debet promissionem: Quia permittere hæresim non est intrinsece malum, sed cohonestari potest necessitate fœderis publici observandi propter Jus gentium; cum alioquin nulla inter homines societas tuta esse posset.

4 Matrimonium gravi metu celebratum accedente juramento non confirmatur, sed irritum manet. Ratio: Quia non excedit limites potestatis humanæ, contractum aliquem ob publicam utilitatem adeo infirmare, ut neque juramentó confirmetur; cum alioquin legislatrix potestas finem suum efficaciter non consequeretur, si, una via contrahendi præclusa, altera via ad eundem contractum perveniri posset. Accedit, quod juramentum sortiatur naturam contractus, cui adjungitur. Quare juramentum appositum matrimonio extorto per vim gravem, & injustam, V. C. *Juro, quod accipio te in conjugem*, tacitam conditionem habet; *sicuti talis acceptio de jure consistere potest*.

5 Error, vel dolus, quamvis antecedens sit, & causa jurandi, si versetur circa substantiam rei juramento promissæ, tunc neque promissio, nec juramentum ullius roboris est: Quia deficit consensus substantialis. V. C. Si jures, te alteri donaturum annulum, quem putas esse ferreum, cum sit aureus. Quod si vero error, vel dolus, quamvis antecedens, & dans causam jurandi, atque ab ipsomet, cui juratur, non sine injuria profectus, versetur tantum circa accidentalem rei conditionem, non infirmat obligationem juramenti, sed ejus relaxatione opus est. Sumitur ex cap. 7. Josue, de juramento Gabaonitis præstito: Quia juramentum tale neque irritum est ob defectum consensus substantialis in rem; ut ponimus. Neque ob injuriam: Quia injuria non tollit obligationem juramenti, præsertim eam, quæ ex virtute Religionis est, ob invocati Numinis reverentiam.

Quod si qualitas, seu circumstantia, quæ rei quidem accidentalis, aut extrinseca est, secundum intentionem tamen jurantis implicitam, aut virtualem adeo intrinseca sit objecto, ut in illud non feratur, nisi quatenus tali circumstantia, aut conditione affectum est; tum ea deficiente deficit etiam obligatio juramenti. Ratio: Quia juramentum non extenditur ultra ea, de quibus jurans cogitavit. V. C. Jurasti, dotem te daturum puellæ, quia dicebatur cognata tua; postea intelligis, te deceptum, non obligaris juramento, si explicita, vel virtualis, & rationabiliter præsumpta voluntas fuit, non nisi tali puellæ, qualis dicebatur, dotem promittendi: Nam universim loquendo, actus gentium, præsertim obligatorii, non se extendunt ultra eorum intentionem.

CAPUT VIII.

Utrum pacta, & contractus, alioquin irriti, accessione Juramenti confirmentur?

Non loquimur hic de pactis Jure naturali irritis: Nam illa confirmari non possunt accessione juramenti, cum juramentum non sit vinculum iniquitatis; sed de pactis Jure civili irritis, utrum accessione juramenti confirmentur, adeo, ut etiam secundum forum externum jus, & actionem tribuant ob jurisjurandi religionem?

1 Pacta, & contractus, alioquin civili Jure irriti, aut minus efficaces, interdum accessione juramenti firmantur, V. C. contractus Minoris, alienatio fundi dotalis, donatio facta conjugi, vel alteri ultra quingentos solidos.

2 Si promissio, vel pactum ex parte exigentis, vel acceptantis turpitudinem continet, apposito juramento haud confirmatur, ut exinde actio, & compulsio oriatur. V. C. Si usurario usura cum juramento promissa sit, Judex in externo foro non debet compellere ad solutionem: cum usurarius nullum jus accipiendi habeat. Quare potius cogendus est, juramentum remittere, atque eo invito ipse Judex relaxare poterit: Item, *Per vim, vel per justum metum* extorta *juramenta nullius esse momenti jubemus*.

3 Qui vi injusta a privato adactus est ad promissionem juratam, facile liberationem impetrat; potest enim statim ad judiciale forum confugere, ut, nisi adversarius juramentum sponte remittat, a Judice cogatur, aut ipse Judex relaxet. Nam, *qui vim intulit, meretur, ut ei promissum non servetur*. In conscientia tamen ob reverentiam divini Numinis obligatur ad promissionem servandam; sed non in externo foro: Quia in judicio non datur actio adversus eum, qui ita juravit; quin potius, si eum solvit, in integrum restituitur; idque in odium injusti actoris, ne ex iniquitate commodum ferat, & ob defensionem innocentis, & Reipublicæ tranquillitatem id expedit.

4 Non tantum propter turpitudinem, sive injuriam promissarii, sed etiam ob aliam causam, ad bonum publicum pertinentem, Magistratus ita aliquos contractus pro irritis habet, ut ne juramenti quidem accessione

confirmentur; actionemque pariant, sed nihilominus infirmari possint. Ratio: Quia, ut contractus, qui alioquin minus validi sunt, appositione juramenti ita confirmentur, ut jus, actionemque tribuant, id non provenit ex virtute juramenti præcise, sed ex jure positivo, talem juramento vim tribuente: Ergo, si jus, vel consuetudo, vim legis obtinens, nolit contractum juramento confirmari, sed ei nihilominus resistat, non potest tunc juramentum ejusmodi effectum gignere. Causa autem ita resistendi esse solet, ne ex pacto, civilibus moribus repugnante, ansa, seu occasio peccandi præbeatur. Exemplum habes in pacto futuræ successionis, seu promissione ultimæ voluntatis non revocandæ, quod adeo civili Jure improbatur, ut neque juramento confirmetur, eo quod ansam præbeat captandæ mortis alienæ. Ita, si duo paciscantur inter se de hæreditate tertiæ personæ, censetur esse pactum contra bonos mores, ut neque juramento confirmetur; idque propter machinationem mortis illi tertiæ personæ.

Cæterum, si ejusmodi conventioni juramentum accesserit, obligatio inde consurget ex Religionis saltem virtute; quandoquidem tale juramentum secundum se objectum illicitum non habet, & sine peccato executioni mandari potest.

5 Actus, gestus contra antecedens juramentum, validus est, modo is pendeat a mera facultate agentis, licet agens contra juramentum agendo perjurus fiat. Ratio: Quia non obstante juramento promissorio, & personali contracta obligatione non faciendi aliquid, manet nihilominus homo in naturali libertate, per quam possit facere, quod non facturum se statuit, promisit, ac juravit. Exempla sunt. I. Matrimonium de præsenti validum est, non obstantibus prioribus juratis sponsalibus cum alia celebratis. II. Revocatio Procuratoris valet, tametsi, qui revocat, antea juravit, se non revocaturum. III. Si quis juravit, se testamentum non revocaturum, & postea revocaverit, perjurus quidem est; sed valet revocatio. IV. Aliquis juravit, se votum non editurum inconsulto Confessario; postea temere vovet, nihilominus validum est votum. V. Cajus juravit, se rem Titio, & non alteri donaturum; postea nihilominus alteri donat, ac tradit, valida est hæc donatio: Quia donator, non obstante priore promissione Titio facta, mansit dominus rei.

Dixi autem, assertionem locum habere, si actus contra prius juramentum pendeat a mera facultate agentis. Nam si actus positivo aliquo jure irritus sit, tunc non confirmabitur accessione juramenti editi contra prius juramentum non agendi. Exempla sunt: Si mulier juraverit, se non alienaturam bona dotalia; aut Minor, se non contracturum sine Curatoris auctoritate, postea vero, non obstante hoc juramento, alienent, aut contrahant, quamvis jurati, se non contraventuros; nihilominus contractus, sive alienatio rescindi poterit, tanquam Jure civili inefficax. Ratio: Cum enim juramentum posterius perversum sit, & perjurii criminis confirmatorium, non est credibile, quod ei Jus assistat, velitque eo contractum, sive alienationem alioquin irritam, vel inefficacem confirmari.

CAPUT IX.

De Juramenti interpretatione, & tacite subintellectis conditionibus.

1 JUramentum in dubio stricte interpretandum est propter gravem, quam in se continet, Religionis obligationem, atque perjurii periculum.

NB. Juramentum de servandis statutis alicujus Communitatis intelligi debet de editis, non de novo edendis, nisi exprimatur, vel ex indiciis constet, tam amplam esse jurantium intentionem (a).

" (a) Ita pariter nec ejusmodi juramenta obligant
" ad ea statuta servanda quæ servari ex communi con-
" suetudine non solent.

2 Juramentum, præstitum circa materiam juris, interpretandum est secundum limites juris, neque ultra extendendum. Sensus est: Si quis alioquin jure obligatus sit ad quippiam faciendum, vel omittendum, tunc juramentum accedens non ad aliud se extendit, sed tantum ad ea, quæ sub obligatione juris comprehenduntur; ut proinde intentio jurantis esse censeatur, se nihil illicitum, sive jure inconcessum attentaturum. Exempla sunt. I. Juramentum Episcopi de non alienandis bonis Ecclesiæ interpretandum est de alienatione illicita; quæ fit sine causa necessitatis, aut utilitatis, vel sine requisita Juris solemnitate. II. Clericus, qui juravit residentiam, potest tamen abesse in casibus Jure concessis. III. Juramentum servandi statuta Collegii intelligitur secundum differentiam statutorum, intentionem legislatoris, & loci consuetudinem, communemque interpretationem. Si enim gravis momenti statuta sunt, & ita accipiuntur, quasi sub mortali obligent, tunc juramenti transgressio novam mortalem sacrilegii malitiam adjicit. Si autem levioris momenti statuta sunt, vel si ita accipi solent, ut sub veniali tantum obligent, vel solum ad pœnam subeundam, tunc juramenti obligatio similiter intelligi debet. Quare, si Academiæ Rector, V. C. scholares jubeat sub obligatione præstiti juramenti interesse Missæ, aut Processioni, non obligat transgressores ad culpam plusquam venialem: Secus, si adsit contemptus. IV. Juramentum servandum de secreto Capituli intelligitur, quatenus materia secretum postulat, ita, ut si magni momenti existat, & valde intersit non evulgari, ejus evulgatio mortalem etiam culpam contra Religionis virtutem propter violatum juramentum contineat; si autem res levis sit, solum venialem; denique nullam, si evulgatio nullum omnino incommodum afferre possit. V. Ministri publici, & mercatores, si jurent, se contentos fore taxatione pretii, & stipendii, intelligitur juramentum de taxatione justa, & non de injusta. VI. Qui juravit, se pariturum mandatis Ecclesiæ, eo non obstante, a lata sententia appellare poterit, sicuti ei jure communi concessum est.

3 Juramentum non extendi debet ultra intentionem jurantis, verisimiliter præsumendam, juxta illud Suarez: *Juramentum non est extendendum ad incognita*, sive quæ jurans in specie non cogitavit, & quæ, in mentem si venissent, verisimiliter excepisset.

4 In omni juramento promissorio tacitæ conditiones intelliguntur. I. *Si potuero*. II. *Salvo jure, & authoritate Superioris*. III. *Nisi is, cui juratum, obligationem remittat*. IV. *Si res notabilem mutationem non accipiant*. Ratio: Quia notabilis mutatio quasi novum objectum facit, ad quod, verisimili præsumptione, jurantis intentio se non extendebat. V. C. Sponsus propter subsequentem fornicationem sponsæ etiam post sponsalia jurata resilire potest: Et promissio gratuita, quamvis jurata, revocari potest ob supervenientem ingratitudinem promissarii.

5 Homo promissorem liberare potest, si promissio principaliter in ejus gratiam facta est; V. C. si sponsalia jurata contrahas cum Titia: Secus, si principaliter in Dei honorem; V. C. si votum juratum edas, te pauperi Titiæ dotem daturum: nam illa licet renuat, tamen Deus ejusmodi promissionem sibi factam non tantum acceptat ob utilitatem hominis, sed etiam ob proprium honorem, & cultum.

6 Juramentum assumit naturam, & conditiones promissionis, cui adjicitur. Ratio: Quia juramentum adjectum promissioni non auget ejus obligationem extensive, cum circa idem objectum versetur; sed auget obligationem intensive, quia intra limites objecti novam obligationem ex virtute Religionis superaddit. Exempla sunt. I. Sicut promissio interdum conditionem tacite adjectam habet; nisi notabilis postea mutatio superveniat: Ita etiam juramentum, seu promissio jurata; ut paulo ante dictum est. II. Juramentum fidejussoris secum trahit exceptionem, quæ fidejussioni competit, ut prius principalis debitor conveniatur, & executiatur. III. Qui juravit, se debita soluturum, is potest ob justam causam compensatione uti cum alio simili, eoque liquido debito; cum enim debitor, ad solvendum obligatus, quibusdam casibus compensatione uti possit, sequitur, quod tali compensationis jure non privetur per juramenti accessionem. IV. Si juramentum reciprocæ promissioni, vel contractui accedat, eam tacitam conditionem habet, si alter quoque promissis suis steterit, juxta c. pervenit, 2. jurejur. Quia *non servanti fidem fides servanda non est*.

CAPUT X.

Utrum Obligatio Juramenti personalis sit, & num actio inde oriatur, atque ad hæredes transeat?

1 JUramentum per Procuratorem fieri potest: Quia *potest quis per alium, quod potest facere per se ipsum*. reg. 68. In 6. Nam, sicut obligat juramentum per scripturam, ita etiam obligabit per Procuratorem utentem verbo *Juro* (Procurator agit id ministerialiter, tanquam

quam alienam personam repræsentans) sed requiritur mandatum speciale in causa speciali. Unde sequitur, si juramento Procuratoris falsitas subsit, principalem ipsum, cujus mandato alter juravit, perjurum esse; quamvis Procurator, si conscius doli fuerit, eodem crimine tenebitur, juxta illud: *Agentes, & consentientes pari pœna puniuntur*.

2 Ex juramento confirmatorio promissionis acceptatæ in externo foro actio conceditur. Ratio: Quia hoc casu juramentum non tantum inducit obligationem Religionis erga Deum, sed etiam firmat obligationem naturalem fidelitatis, ac justitiæ erga hominem; quippe quam tam Jus civile, quam Canonicum acceptat, & ad ejus executionem compellit ob reverentiam juramenti. Sic ex contractu puberis sine Tutoris authoritate inito, & ex pacto simplici, si juramentum accesserit, etiam civili Jure actio conceditur, quæ alioquin non concederetur. Quod si vero juramentum non sit confirmatorium promissionis, sed per se stans, ideoque solum obligans ex virtute Religionis erga Deum, eo casu nullam proprie actionem parit; ut si quis juravit, Ecclesiam se ædificaturum, eleemosynam daturum, nemine promissionem acceptante. Ratio: Actio est jus persequendi in judicio, quod sibi debetur; sed in juramento per se stante nulla est obligatio, sive debitum ex justitia, sed tantum ex virtute Religionis erga Deum: Ergo non est locus proprie dictæ actioni. Nihilominus in foro Ecclesiastico exteroo talis jurans compellitur ad servandum juramentum.

3 Obligatio, quæ est juramenti propria ex virtute Religionis, omnino personalis est; V. C. si Episcopus, Rex, Canonicus ad suum officium admittitur sine præstito juramento, non obligatur ad servandum juramentum, quod Antecessores ejus ediderunt sub virtute Religionis, licet interdum teneatur vinculo statuti, aut pacti.

4 Si juramentum non sit proprie confirmatorium promissionis, sed per se stans, tunc nulla omnino obligatio ex eo ad hæredes jurantis transit, propterea quod hujusmodi juramentum unam simplicem obligationem Religionis continet, quæ pure personalis est; ut si quis juravit, usuram se soluturum, pecunias latroni daturum. Veruntamen probabile est illud Abbatis, qui ait: *Licet juramentum non transeat ad hæredes* (voventis, se Ecclesiam ædificaturum) *servare tamen tenentur, ne lædant animam defuncti*. Et possunt cogi a Judice Ecclesiastico.

5 Obligatio juramenti proprie promissorii transit ad hæredes, aut successores ejus, cui juratum est. Unde juramentum ex parte jurantis personale est, sed respectu ejus, cui juratur, reale, id est, transitorium cum re, puta, dignitate, hæreditate. Et patet ex c. veritatis, in quo habetur, vasallum, qui juravit Prælato fidelitatem, aut obedientiam, eandem etiam sine novo juramento debere Successoribus, quamvis eorum expressa mentio facta non sit.

CAPUT XI.

De promissorii Juramenti Irritatione, Dispensatione, Relaxatione, Commutatione.

1 Sicuti vota, ita & juramenta edere non possunt personæ, quæ alterius potestati subjectæ sunt, nisi cum dependentia a voluntate eorum, quibus subsunt, ita, ut ea irrita reddere possint, quatenus ipsis præjudicant. Est autem duplex talis dependentia. Una per se, si ipsamet hominis voluntas alienæ potestati subjecta sit, V. C. Religiosi, & impuberis. Altera per accidens, sive ratione materiæ, circa quam votum, seu juramentum versatur; ut si uxor voveat, vel juret, se peregrinaturam cum præjudicio mariti sui; Clericus cum præjudicio Episcopi sui. Unde sicuti vota, ita & juramenta per dominativam potestatem irrita reddi possunt, etiam Deo præstita. Prob. Juramentum promissorium Deo factum aliud non est, quam votum juratum, Juramentum autem accedens promissioni, ac voto assumit naturam, & conditionem ejus: Ergo perinde, ac votum, tacita conditione fit, salvo jure Superioris, irritandi potestate præditi.

2 Juramentum etiam homini præstitum irritari potest, si versetur circa materiam alterius dispositioni subjectam, aut circa promissionem, quæ dominativæ potestati patria, Tutoris, Prælati, mariti &c. subdita est. Prius prob. Quia in juramento intelligitur jus Superioris exceptum; ut proinde juramenta in cujuscunque gratiam edita per authoritatem Papæ, Episcopi, alteriusve potestatis, etiam laicæ, irritari queant, si sint circa materiam ejus dispositioni subjectam. Unde Pontifex suo arbitratu irritare potest omnia juramenta edita circa beneficia Ecclesiastica distribuenda; quippe in quibus plenissimam potestatem noscitur habere. Episcopus quoque Clericorum juramenta, quæ versantur circa res suæ dispositioni subjectas, rescindere potest, V. C. Si Clericus juravit, se non discessurum loco ante solutionem debitorum. Poster. prob. Quia juramentum recipit naturam, & conditiones actus, cui apponitur. Quapropter Prælatus omnes promissiones Religiosorum juratas sine consensu suo factas irritare potest; pater, & Tutor omnia pacta jurata impuberis, cum ob ætatis imbecillitatem etiam ejus voluntas alienæ potestati subjecta sit; maritus item uxoris, quatenus in ipsius præjudicium cedunt juramenta.

3 (Posito, quod dispensatio versetur circa juramenta Deo facta, & relaxatio circa juramenta homini facta) Quicunque habet potestatem dispensandi, aut commutandi vota, potest tali facultate uti, tametsi vota jurata sint: Quia votum, sicut & quævis alia promissio, retinent naturam suam, licet jurata sint. Quare, nihil obstante juramento, remitti possunt; quia juramentum est accessorium promissioni, & voto.

4 Vota, & juramenta pia æquiparantur. Quare sicuti vota quinque, ita & juramenta, Summo Pontifici reservata censeri debent.

Juramenta continentiæ perpetuæ, Religionis, alteriusve materiæ reservatæ, si pœnalia, aut conditionata sint (V. C. jurans, se Religionem ingressurum, si Titiam non accipiat) quia circa hominem versantur, perinde ac vota ejusdem conditionis, ab Episcopo relaxari possunt.

5 Juramentum confirmatorium promissionis erga hominem ordinarie relaxari non potest absque consensu ejus, cui præstitum est; Quia tali juramento jus homini acquisitum est, quo proinde, sicuti & aliis bonis, privari non potest. Nam in juramento promissorio, quod homini fit, ipse homo est creditor, cujus proinde in hac re commodum, atque voluntas spectari debet, eoque invito obligatio remitti non potest. Votum vero promissorium, quod Deo fit, censetur a Deo remitti, si Ecclesiæ Prælatus judicet, ita expedire ad salutem voventis.

NB. *Quandoque aliquid juramento promittitur, de quo dubium est, utrum sit licitum, an illicitum, proficuum, vel noxium, in illo potest quilibet Episcopus dispensare*; dicit S. Thomas q. 89. a. 9. ad 3.

6 Juramentum in hominis utilitatem principaliter editum, si non est proprie promissionis confirmatorium, sed per se stans, Episcopali authoritate relaxari potest. V.C. usurario usuras solvere juramento promissas. Cum enim hujusmodi juramentis nullum jus acquiratur ei, in cujus gratiam eduntur, ideo sine cujusque injuria ob causam ad Dei honorem cedentem a Prælatis relaxari possunt. Etiam juramentum ædificandi Ecclesiam non producit aliquam justitiæ obligationem; consequenter nec confert alteri parti proprie dictum jus, sive actionem.

7 Privilegia dispensandi, aut commutandi vota, & juramenta dari solent sine præjudicio tertii; quod intelligitur, postquam illi per acceptationem jus acquisitum est.

8 Qui habent privilegium dispensandi, vel commutandi vota, possunt etiam commutare juramenta pia, quæ sine promissione in Dei honorem principaliter concepta sunt: Non possunt autem vi privilegii relaxare juramenta directe in hominis utilitatem edita, quamvis acceptata non fuerint. Prius prob. Quia vota, & hujusmodi juramenta æquiparantur. V.C. Si juras, te in tali Ecclesia Altare ædificaturum. Posterius prob. Quia talia juramenta cum votis nullam habent æquiparationem. Unde, qui juravit, se Cajam ducturum juramento obstringitur, quo minus propositum cœlibatus amplecti possit.

9 Directa relaxatio juramentorum, quæ fit per modum absolutionis, aut dispensationis, ad Ecclesiasticos tantum Prælatos pertinet; cum sit quædam remissio ex parte Dei facta per ejus Ministrum, cujusmodi potestas spiritualis est. Indirecta vero etiam laicæ potestati competere potest, dummodo materia sit temporalis. V.C. Si laica potestas ob justam causam aliquid præcipiat, vel prohibeat, cui non obstante contrario juramento suo subditus obtemperare debet, V.C. ut civitatis gubernationem accipiat.

10 Obligatio juramenti, utpote in Deum tendens, per se spiritualis est; si tamen super contractu inter laicos interpositum est, ad ejus observationem tum Ecclesiasticus, tum laicus Judex compellere potest, juxta illud: *Juramentum non mutat forum, sed addit forum foro*. Quare contractus juramento firmatus est mixti fori: Unde ad juramentum usurario remittendum potest compellere Judex Ecclesiasticus.

CAPUT XII.

Quæ personæ jurare possint?

1 DEUS secundum quandam metaphoram ad nostrum intelligendi modum in Scriptura Sacra jurasse dicitur: Alioqnin dictum divinum nullam confirmationem admittere potest, cum ex se ipso infallibilem certitudinem contineat.

2 Omnis creatura intellectualis, ipseque Christus, qua homo, proprie jurare potest; etiam rationis usu præditi ante pubertatem.

3 Juramentum impuberis, item perjuri, in judicio non recipitur. Prius prob. Quia nondum tantam rationis discretionem obtinere censentur, ut eorum juramentum cum partis litigantis præjudicio recipi debeat. Prob. posterius. Quia, quem semel pejerasse constat, periculum est, iterum pejeraturum: A juramento calumniæ, & fidelitatis tamen non liberatur perjurus.

4 Sacerdotes non nisi gravi de causa in judicio jurare coguntur, V. C. ad purgationem sui, vel alterius innocentiam probandam, ne lædatur; item pro fide, pro obedientia, pro pace, pro indemnitate Ecclesiæ, pro absolutione a vinculo Excommunicationis. Ratio: Quia *non indigeat dictum hominis confirmatione, nisi quia de ea dubitatur: Hoc autem derogat personæ, ut dubitetur de veritate eorum, quæ dicit, & ideo personis magnæ dignitatis non convenit jurare: propter quod sacerdotes ex levi causa jurare non debent*; ait S. Thomas q. 89. a. 10. Ne quidem juramentum calumniæ præstare debent sacerdotes sine consensu Superioris.

5 Clerici in manu laici non debent præstare juramentum coactivum; voluntarium tamen possunt, V. C. si venientes ex loco pestifero velint civitatem ingredi. Quamvis magis deceat, eos non corporali tactu, aut manuum elevatione &c. jurare instar laicorum, sed interrogari tantum, & sponsionem, sive fidem eorum postulari per sanctam consecrationem. *Gen ihren Geistlichen Burden und Ehren.*

CAPUT XIII.

De Mendacio.

1 MEntiri est aliter enuntiare contra id, quod in animo quis sentit, fallendi causa.

2 Duplex est falsitas. Una materialis, cum res aliter se habet, quam homo enuntiat, sed præter intentionem loquentis, quia credit esse verum, quod loquitur; & tunc non est objectum proprie mendacii, & perjurii. Alia vero est falsitas formalis per se, & secundum intentionem loquentis, quia credit falsum esse, quod loquitur, etiamsi altas re ipsa verum sit; quia in moralibus actionibus, quæ speciem suam accipiunt ab objecto, non prout est a parte rei, sed prout est apprehensum, & voluntati ab intellectu propositum, magis spectandum est id, quod est per se, & secundum intentionem, quam quod est per accidens, & præter intentionem.

3 Mendacium non tantum verbis, sed etiam aliis signis, & actionibus animi interpretibus fieri potest.

4 Mendacium est triplex: Perniciosum, quod cum injuria profertur, ut obsit. Officiosum, quod fit sine injuria, ut prosit. Jocosum, quod, cum nulli noceat, profertur, ut delectet. Excipe locutiones figuratas, hyperbolas, fabulas, parabolas; quia verum sensum continent.

5 Amphibologiæ, seu locutiones ambiguæ, quæ videlicet duos sensus habent, mendacia non sunt.

6 Si signum per se, aut per circumstantias determinatum est ad unum, eumque falsum sensum, non est locus æquivocationi, sed est verum mendacium. V.C. Si adultera, examinata a marito de commisso adulterio, negat, se fidem matrimonii unquam violasse, subintelligendo; *hora præcedente*. Prob. Is mentitur, qui contra id, quod animo sentit, alteri loquitur, animo fallendi; hoc autem facit is, qui alteri (quem rei ignarum putat) loquitur enunciationem determinatam ad unum, eumque falsum sensum: Ergo.

7 Si restrictio mentis omnino aliena sit a loquentium consuetudine, & in externa locutione nec explicite, nec implicite significetur, a mendacio excusari non potest, si animo fallendi fiat.

NB. Si V. C. alieni malitiose interroganti, quæ edicere non oportet, Principis Consiliarius respondeat, *Nescio*, non mentietur subintelligendo, *ut tibi dicam*. Sic Confessarius a Judice injuste interrogatus de iis criminibus, quæ ex Confessione cognita habet, rectissime ait, se nihil scire; supple, notitia ad revelandum. Est enim in his locutionibus non inusitata ambiguitas; quandoquidem homo aliquid scire potest vel secundum notitiam privatam, quæ etiam alteri manifestari queat, vel secundum notitiam publicam, quæ alteri, cujus scire non interest, manifestari non debeat. Quod si vero talis loquendi modus, ac circumstantiæ adsint, ut verbum *Nescio* determinetur ad omnem ignorantiam, puta, si Confessarius adigatur, ut dicat, an nullo modo sciat? tunc vere mentietur, si verbo *Nescio* erga alterum utatur, intra mentem cogitans: *Ut tibi dicam*.

8 Mendacium per se malum intrinsece est, & nullo casu licitum. Prob. I. ex S. Scriptura: *Non mentiemini, nec decipiet unusquisque proximum suum*. II. Qui mentitur, is alteri locutione falsa errorem ingenerare vult; id autem est per se malum, & alienum a ratione, & contra honestatem humanæ perfectionis.

9 Olim non ita cognitum erat, omne mendacium esse peccatum. Sic David, Judith, & Jacob Patriarcha ex invincibili ignorantia potuerunt existimare, fas esse tali casu mentiri.

10 Veritatem verbi æquivocatione, aut facti dissimulatione alteri celare interdum licitum est, si justam ob causam fiat. Ratio: Quia simulatio, ac mendacium est falsi, dissimulatio autem est veri; atqui falsum dicere per se malum est. Sed, quod verum est, interdum juste celamus: Quia præceptum affirmativum manifestandæ veritatis non semper obligat, & dissimulans veritatem non dat causam alteri erroris, aut deceptionis, sed permittit, ut alter falsam opinionem concipiat; alioquin omnes allegorias, & stratagemata, tanquam mendacia, damnari oportebit.

11 Æquivoca locutio, aut dissimulatio veritatis, si justa ratione non nitatur, licet mendacium non sit, tamen dolus malus censetur.

12 Calliditas in sermonis ambiguitate societati humanæ valde noxia est. Quandoquidem humano generi nihil magis naturale, atque commodum est, quam ut inter ipsos charitas, fides, & societas consistat; illa autem violatur per calliditatem, & animi duplicitatem, juxta Eccl. c. 37. *Qui sophistice loquitur, odibilis est*.

13 Qui absque debita consideratione falsum dicit, non ex proposito, peccat contra veritatis virtutem, licet proprie non mentiatur. Prob. prius. Quia ex virtute veritatis obligamur, si loqui alteri velimus, ut vera, non falsa, loquamur. Posterius prob. Nam mendacium, cum sit dictum contra mentem, alterius fallendi causa, directum, seu formalem dolum requirit. Sed fieri potest ut aliquis, existimans, dictum suum verum esse, nihilominus mentiatur, videlicet si asserat, sibi certum, & exploratum esse; cum tamen de eo non nisi opinativam, seu probabilem persuasionem habeat.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum bene se gerat Confessarius non removendo a suo Pœnitente ignorantiam invincibilem circa aliquod peccatum, quando prævidet admonitionem non profuturam, atque ignorantia remota peccaturum non materialiter ut prius, sed formaliter; hinc caveat ab admonendo rudes mulierculas, & quosdam alios crassioris capacitatis, qui putant non esse peccatum officiose mentiri, ne herus, vel hera repleant domum clamoribus, vel aliquem dimittant a famulatu &c. Si admoneantur, nihilominus perseverabunt in suis mendaciis, & ex remotione ignorantiæ peccabunt.

II. Studere debet quantum potest Confessarius, ut caveat in hac materia a laxitatibus, quas Summi Pontifices condemnarunt, puta a restrictionibus pure mentalibus &c. ab iisdem damnatis, At e contra videat, ne in gravissimas angustias redigat conscientiam sui Pœnitentis, quoties possit eidem consulere, docendo unum ex modis, quo non sine fundamento occultari posse dicunt veritatem. Et quidem quid respondere debent Consultores Sac. Inquisitionis, quid Consiliarii Principum, quid Confessarii interrogati de gravissima veritate, quam omnino debent celare? Quid Famuli interrogati de adulterio Dominæ, quod alias sciunt? Quid domina de eodem delicto interrogata &c.? Certe si absolute non possunt negare; ipsum silentium, vel etiam ipsa trepidatio in respondendo pro affirmatione reputabitur: & quæ tunc non orirentur mala? Debet ergo Confessarius illos monere, qua ratione possint sine hæsitatione negare.

CA-

CAPUT XIV.

De Perjurio, seu Juramento falso.

1 PErjurium stricte est *mendacium juramento confirmatum*; late autem accipitur pro omni juramento illicito, videlicet destituto aliquo trium comitum, quæ sunt veritas, justitia, & judicium. Quare triplex est perjurium. Unum proprie dictum, quod veritate caret; idque dividi solet in assertorium, & promissorium. Alterum, quod justitia destituitur; puta, si quis rem illicitam, ac prohibitam juret. Tertium, quod judicio vacat; puta, si quis sine justa causa temere juret. Atque hæc duo postrema improprie perjuria sunt; quia falsitatem quodammodo in se continent: Nam, qui rem injustam jurat, is tenetur dictum suum falsum efficere, abstinendo ab opere; qui vero temere jurat, is committit se periculo falsitatem incurrendi.

NB. in illo præcepto, *Non assumes nomen Dei in vanum*, prohibetur omne perjurium, maxime vero id, quod veritate destituitur: Nam juramentum vanum est, quod fine suo frustratur; juramenti autem finis est confirmatio veritatis: Ergo maxime vanum est juramentum, cui deest veritas.

2 Omne perjurium assertorium est mortale, si cum plena deliberatione fiat, etiam in re levi, V. C. jurare, se habere viginti nuces, cum habeat novendecim. Ratio: Quia Deum veracissimum in confirmationem cujuscunque falsitatis adducere, non vacat gravissima irreverentia, & contemptu. Cum enim veritas latitudinem non habeat, sed in indivisibili consistat, videlicet in adæquatione dicti ad rem, sequitur, omnem assertionem, quæ vera non est, omnimode falsam esse.

3 Juramentum incautum, sine debita consideratione, est peccatum grave, & leve, secundum proportionem defectus debitæ considerationis. Ratio: Nam malitia juramenti incauti in eo consistit, quod aliquis periculo se committat jurandi falsum; atqui hoc periculum tanto majus, & propinquius est, quanto minus jurans rei juratæ veritatem considerat, & attendit: Ergo.

4 Juramentum incautum non continet malitiam proprie dicti perjurii. Ratio: Quia omne perjurium pro fundamento habet mendacium; sed, qui aliquid asserit minus considerans, sed subdubitans, num verum sit, is non mentitur, cum nihil asserat contra mentem voluntate fallendi: Ergo. Confirmatur. Omne perjurium assertorium est mortale; juramentum autem incautum non est semper mortale: Ergo distinguitur a perjurio assertorio. Idem dicendum de iis, qui per consuetudinem sine advertentia falsum jurant; non enim proprie pejerant, cum non mentiantur: Quia tamen hujusmodi juramenta deordinationem quandam habent, ideo consuetudo existens causa voluntaria horum juramentorum aggravatur ab eis, tanquam ab effectibus indirecte volitis.

5 In juramento assertorio major, vel minor certitudo requiritur, pro diversitate rerum juramento assertarum. Nam jurans de proprio facto debet habere evidentem certitudinem veritatis, qualis de propriis actibus haberi potest. Sin vero jurans factum alienum afferat, de quo evidens cognitio haberi non potest, sed tantum verisimilis, tunc major etiam ad assertorium juramentum certitudo non requiritur, etsi præter opinionem contingat, rem aliter se habere. Si testis deponat in judicio de facto alieno, requiritur cognitio certa. Jurare, aliquem esse dignum ad Sacrum Ordinem, intelligitur; *quantum humana fragilitas nosse sinit* de personæ qualitate.

6 Non omne promissorium perjurium est mortale, sed ob levitatem materiæ veniale fieri potest. Prius patet propter gravem irreverentiam, cum quis facit, quod Deus in testimonium falsi adductus fuerit; qui autem se aliquid facturum juravit, sive magnum sit, sive parvum, ac postea intermittit, is facit, ut Deus in testimonium falsi adductus fuerit: Ergo. Posterius prob. Violatio voti circa materiam levem non nisi venialem irreverentiam adversus Deum continet: Ergo etiam violatio juramenti promissorii circa similem materiam.

NB. In violatione juramenti promissorii Deus non in testimonium falsi, aut mendacii adducitur, sed solum authoritas Dei in confirmationem infidelis promissionis adhibetur. Sic pater jurans, se percussurum filium, postea intermittens, peccat venialiter propter irreverentiam adversus Deum, propositum bonum, divini Numinis authoritate firmatum, sine causa immutando.

P. Layman P. I.

7 Juramentum amphibologicum; licet proprie perjurium non sit (quia alter sensus amphibologiæ verus est: Ergo, qui illum juramento confirmat, perjurium proprie non committit) mentitur tamen talis, quia exterius loquitur aliter, quam in animo sentit, & peccat graviter etiam contra virtutem Religionis; quia utitur juramento, ut sit quasi instrumentum alium decipiendi. Imo juramentum amphibologicum omni culpa vacat, si justa ita jurandi causa adsit (quia amphibologicæ locutionis unus sensus verus est: Ergo secundum illum, postulante necessitate, juramento confirmari potest, V. C. Judice incompetente, aut non juridice interrogante, vel etsi juridice interroget, tamen ejus intentioni satisfiat ita respondendo) juramentum tamen amphibologicum illicitum est, & quodammodo perjurium, si sine justa necessitate fiat: Quia vergit in detrimentum humanæ societatis, & si in re gravi, erit mortale (*a*).

,, (*a*) Amphibologia duplex est, altera quam continent verba prolata, quæ duplicem sensum continent, unum proprium, alterum qui petitur ex circumstantiis extrinsecus. Secunda amphibologia est cum verba seu signa exteriora unam tantummodo significationem important, sed interius datur ei alia significatio, quæ extrinsece nullo modo apparere potest; ut si dicam *Petrus est homo*, & interius adjungam *non est*. Posterior hæc non excusat a mendacio, & in nullo casu usurpari potest, condemnaturque tribus propositionibus damnatis ab Innoc. XI. nempe XXVI. XXVII. XXVIII. De priori amphibologia intelligendus est hic Layman, non de posteriori.

8 Amphibologici sermones defendi possunt V. C. Qui pecuniam mutuo sibi datam fideliter solvit, is postea in judicio conventus, si aliæ probationes desint, juratus dicere potest, se hunc mutui contractum non instituisse; intellige, tali obligatione, ut bis solvere debeat. Ratio: Quia consuetudo est inter homines, ut responsio interrogantis intentioni conformetur; ideoque aliquis non plus, sed hoc ipsum respondere censetur, quod alter interrogat: Judex autem V. C. solum intendere censetur, an Reus conventus contractum instituerit, ex quo modo obligatus sit. Ex quibus etiam judicium ferri potest de doctrina Soti dicentis, quod Reus de occulto crimine præter Juris ordinem interrogatus, si neget, intelligendus sit de tali crimine, quod in judicium venire debet.

NB. Si latroni V. C. pecunias stipulanti juratus promittas, te daturum, intra mentem retinendo, *Dabo, si tibi debeam*, est mendacium, & non amphibologia. Ratio: Quia verba tum secundum expressam exigentis intentionem, tum secundum alias circumstantias determinantur ad absolutam promissionem.

9 Juramentum, cui deest justitia, si sit assertorium videtur veniale. V. C. Si crimen occultum proximi sine justa causa juratus reveles. Ratio: Quia in tali casu juramentum non confirmat assertionem, ut iniqua est, sed tantum, ut vera est; ideoque malitia detractionis per accidens tantum ad juramentum se habet. Excipe: Nisi ea directa intentione detractionem mortalem juramento confirmes, ut facilius ei fides habeatur; tunc enim nomen Dei assumitur ut instrumentum ad gravem injuriam proximo irrogandam, quod magnam irreverentiam continet: Quare hæc circumstantia in Confessione manifestanda est (*b*).

,, (*b*) Non requiritur hæc directa intentio; sed sufficit mera prævisio quod hæc manifestatio delicti occulti si juramento confirmetur, multo certior fiat.

10 Juramentum promissorium de re mortaliter mala continet mortalem irreverentiam ob justitiæ defectum; ut si jures, te hominem occisurum: At vero de re venialiter mala continet tantum irreverentiam venialem; ut si jures, te puerum non ita meritum castigaturum. Ratio: Quia tanto major, vel minor irreverentia Deo irrogatur, quanto majus, vel minus peccatum est, cujus committendi propositum Dei authoritate confirmatur (*c*).

,, (*c*) Si tamen juretur res venialiter mala sine voluntate illam exequendi, tunc juramentum efficitur grave perjurium, utpote cui veritas deest.

NB. 1. Si quis rem malam, quam juraverat, postea opere compleat, quasi ex obligatione juramenti, pertinet id ad superstitionem, & zelum, sed non secundum scientiam. Simplicitas tamen a mortali excusat.

NB. 2. Juramentum de opere, vel omissione indifferente, aut repugnante Evangelicis consiliis, per se

loquendo; est veniale ob justitiæ defectum. V. C. Si jures, te non futurum Religiosum, te hodie non jejunaturum. Ratio: Est enim irreverentia, sed non gravis.

11 Juramentum, cui judicii discretio deest, quia sine necessitate fit, tantum veniale est; quia levem irreverentiam continet: Dummodo jurans sufficientem cautionem adhibeat, ut, quod juramento affirmat, falsum non sit. Qua ratione mercatores excusantur a mortali crimine perjurii, quando jurare solent, tantidem, vel pluris sibi mercem constare, quanti divendant, licet aliquod lucrum interim reportent: Quia tale juramentum, etsi indiscrete prolatum sit, potest tamen habere verum sensum, videlicet æstimato etiam labore, periculo &c. tanti, vel pluris sibi constare.

12 Crimen perjurii est gravissimum, gravius adulterio, homicidio, & Deum ultorem habet; apud Magistratum tamen non habet pœnam corporalem, sed arbitrariam.

Clericus perjurus convictus deponendus est, sed ante Judicis sententiam nulla pœna Canonica, seu Censura incurritur.

13 Homines simplices non satis distinguunt inter juramentum, blasphemiam, & maledictionem. Nam maledictio est mali alicujus imprecatio, quæ si Deo fiat, blasphemia appellatur; hominibus facta, quatenus licita vel illicita sit, dixi Lib. 2. Tract. 3. Cap. 8. num. 6. Juramentum autem est explicita, vel implicita divini Numinis invocatio, ad alicujus dicti confirmationem. De eo temere prolato si homines in Sacra Confessione se accusent, intelligere debet Confessarius, an vere, an falso juraverint: Si vere, plerumque non est mortale; sin vero dicant, falsum juramento se affirmasse, & quidem scienter, ac deliberate, gravis culpæ rei censendi sunt.

Ad gravitatem juramenti, falsi aut temere concepti etiam pertinet, si aliquis per execrationem juraverit: *Moriar; Deus mihi propitius non sit;* Diabolus me rapiat, nisi verum sit, quod dico. Si tamen aliquis tali juramento confirmet, quod scit, aut certo credit, verum esse, non debet mortalis peccati damnari, per se loquendo, & scandalo cessante: Nisi frequenter ita jurando animadvertat, sibi malam consuetudinem ingenerari, per quam denique ad perjuria perveniet.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum, justa interveniente causa, licitum sit jurare verbis æquivocis, sequitur, Confessarium hujusmodi juramenta bene posse permittere, & quandoque etiam suadere suis Pœnitentibus, quando necessarium esset, vel utile ad conservandam salutem, & corporis indemnitatem, vel honorem &c. Neque obstat ex juramento facto cum æquivocatione induci posse alterius deceptionem; nam eam impedire non tenemur cum nostro gravi incommodo. Si vero ex deceptione Proximus grave damnum pateretur, tunc regulandæ essent nostræ operationes juxta ea, quæ dicta sunt in Tractatu de Charitate, ubi vidimus quo pacto cum nostro incommodo teneamur impedire damnum Proximi. Secundo, potest permittere Pœnitenti verba æquivoca, quando conferant ad actum virtutis, sive expediens sit occultare veritatem ad aliquem finem honestum. Exemplum sit in eo, qui vult abstinere ab aliquo cibo nimis sibi grato, & nollet adstantes cognoscere suam abstinentiam. Hic potest dicere *mi fa danno*, quæ verba habent duplicem sensum, quatenus scilicet significare possunt damnum corporis, & animæ; & in hoc secundo sensu possunt intelligi ad abstinentiam occultandam.

II. Cum multoties simus in gravi necessitate celandi veritatem, vel ad avertendum malum nostrum, vel malum proximi, & simul sæpe non suppetant verba æquivoca ad eam sufficienter occultandam; cumque alias licitus non sit usus restrictionis puræ mentalis, ideo Confessarius ad manus habere debet plures modos, quibus instruat Pœnitentes de ratione celandi veritatem, quoties id fuerit necessarium. Quomodo e. g. debet se gerere uxor adultera, si adigetur a Marito ad jurandum se Fidem thori non violasse? Quomodo respondere debet Confessarius, si cogatur jurare Titium non confessum fuisse peccatum, quod re vera confessus est? Quomodo respondere debet, qui aliquid scit sub secreti sigillo, si cogatur jurare se illud nescire?

Primus igitur modus celandi (urgente tamen gravi, & justa causa) licite veritatem, est respondere ad mentem interrogantis, quo casu non verificantur verba per restrictionem pure mentalem, sed veritas verborum innotescere potest ex circumstantia Personæ interrogantis, seu respondentis. Hujusmodi modo occultandi veritatem usus etiam fuit Christus Dominus Jo. 7. ubi Discipulis interrogantibus, an ascenderet ad diem festum, respondit: *Non ascendam*, & postea ascendit occulte; cum etenim discipuli voluissent scire, an esset manifeste ascensurus, jam dicendo ad mentem interrogantium *non ascendam*, idem erat ac dicere, non ascendam manifeste. Eadem ratione dixit *Marc.* 13. se nescire diem Judicii: interrogantes enim Discipuli de notitia talis diei, non poterant habere aliam intentionem, nisi quod ipsis manifestaretur, si esset illis manifestanda; ac proinde dum dixit se nescire, voluit significare se non habere notitiam talis diei ipsis communicabilem.

Hac regula stabilita; Si Confessarius interrogetur, an audierit aliquod peccatum; si Judex interroget aliquem qui non tenetur fateri veritatem; si Maritus interroget Uxorem, an fidem violaverit; si sciens aliquid sub naturali secreto de illa re interrogetur, isti omnes possunt absolute dicere se nescire, ita respondendo ad mentem interrogantis. Qui enim de aliqua re interrogat, præsumitur interrogare de illa in casu, quo quis posset eam revelare vel sine peccato, vel sine suo gravi incommodo.

Sed quid dicendum, si aliquis urgeret Confessarium ad dicendum, si sciat peccatum Petri ut Minister Christi? si Maritus instaret apud uxorem adulteram, ut dicat, an fidem violaverit etiam in notitia, quam non teneatur communicare? & sic de reliquis. In his circumstantiis adhuc respondent Theologi, posse personam interrogatam absolute respondere se nescire, seu non fecisse id, de quo interrogatur; cum non teneatur respondere ad mentem formalem interrogantis, sed ad debitam, hoc est, ad eam, quam debet habere, si non vult injuste interrogare. Sed, meo videri, clarius explicari potest hæc doctrina, & excludi pura restrictio mentalis, damnata a S. Pontificibus. Jam igitur diximus, non intervenire præfatam restrictionem mentalem, quoties ex circumstantiis vel Personæ, vel loci vel temporis, satis dignosci potest quem sensum habeant verba, quamvis non percipiantur ab Interrogante. Cum proinde unusquisque jus habeat occultandæ veritatis, quoties non manifestaretur sine peccato, sive (ordinarie loquendo) cum gravissimo incommodo, hinc est quod Confessarius interrogatus an sciat peccatum Petri etiam ut Minister Christi, si respondeat *nescire*, satis patet, externe ex circumstantia Personæ se nescire ad dicendum; & idem dicas de uxore modo præfato a marito interrogata, & respondente se non fregisse fidem. Stante ergo quod circumstantia Personæ satis explicet sensum responsionis, tollitur pura restrictio mentalis, adeoque tali responsioni potest sine perjurio addi juramentum.

Ex regula respondendi ad mentem Interrogantis plura alia salvant Theologi a mendacio, & perjurio. Qui e. g. habet justam causam occultandi Fisco aliqua bona, interrogatus potest cum juramento dicere, se nihil occultasse, quia præsumitur Judex interrogare de bonis, quæ non potuerit licite occultare. Qui aliqua clam surripit in justam compensationem, a Judice interrogatus potest respondere, se nihil rapuisse, quia intelligitur interrogari de re furto ablata. Si aliquis non possit mutuo dare nummos sine gravi incommodo, potest cum juramento dicere petenti, se non habere nummos; nam intelligitur petere mutuo nummos, si sine gravi incommodo possit mutuare. Quod si posset dare sine gravi incommodo, non deberet respondere, se non habere nummos, intra se intelligendo ad mutuandum, quia hæc esset pura restrictio mentalis damnata a S. Pontificibus. Ex his exemplis poterit facile prudens Confessarius dignoscere in quampluribus casibus quomodo possit Pœnitens sine mendacio, & perjurio occultare veritatem per hoc, quod respondeat ad mentem Interrogantis.

Secundus modus celandi veritatem sine mendacio, (urgente semper gravi causa) est aliquid externe facere per quod verba generalia determinentur ad aliquem sensum particularem verum. Afferri solet exemplum S. Francisci, qui interrogatus a Latronibus, num quidam per viam, in qua erat, transisset, positis manibus intra manicas vestis, respondit: *Nullus huc transivit*, & eamdem responsionem dare potuisset, si pedem posuisset super lapidem.

Tribus igitur modis vitari potest restrictio pure mentalis. Verbis æquivocis. Respondendo ad mentem Interrogantis: Faciendo aliquid externe, per quod verificentur verba prolata, si non satis verificari possint ex circumstantia personæ interrogantis, sive respondentis, seu ex circumstantiis temporis, & loci.

III. Quando in interpretatione juramenti promissorii attendenda est illa implicita conditio ipsi semper adhærens, nempe *si potero*, advertat Confessarius, quod si superveniens difficultas in re adimplenda est levis, nullatenus est attendenda, cum tunc non reddat moraliter impossibile adimplere promissum. Hinc si promisisti nuptias puellæ, stare debes promissis, quamvis aliquantulum deperdat de sua pulchritudine. Si promisisti, & jurasti societatem, non potes ante tempus eam dividere, quamvis socius sit aliquantulum rixosus. Quod si puella evadat notabiliter deformis, graviter infametur &c. si socius sit valde molestus, non teneris stare promissis, quamvis juratis, tum quia valde difficile est ea adimplere: & dum primo jurasti, non censeris consensisse in rem valde difficilem, si hæc difficultas non fuerit ab initio prævisa. Ex his facile est alias facere illationes.

IV. Ex illo fundamento, quod juramento accessorio competunt omnes illæ conditiones, & restrictiones, quæ naturaliter competunt promissioni, quamplura inferre potest prudens Confessarius, ut videat quando suus Pœnitens servare teneatur juramentum. Aliqua adnotabo. Quia cessat obligatio promissionis, si alter non adimpleat quod ex parte sua promisit, vel si sit valde ingratus, ideo, his intervenientibus, cessat etiam obligatio juramenti promissorii. Quia cessat obligatio promissionis, si ante acceptationem revocetur, eo tamen modo, quo diximus supra: idem dicas de juramento promissorio. Quia cessat obligatio promissionis castigandi Filium, si emendetur, vel si exinde grave consurgat incommodum: sicut etiam quia cessat obligatio assertionis de non ingrediendo primum, de non sedendo in nobiliori loco &c. si alter valde roget, & illi molestum valde sit, si primus non ingrediaris, si non præcedas &c., ita & cessabit in præfatis circumstantiis obligatio juramenti: Denique, si nemo tenetur stare promissis de non appellando, si injuste gravetur vel a Judice, vel ab Arbitro; ita & dicendum de juramento emisso de non appellando: *cap. prout nobis de d lo*, & Glossa *in cap. ad hæc. a. de appellat.* Omitto quamplura alia exempla, cum facillime ex dictis innotescere possit quid dicendum in pluribus aliis casibus.

TRA-

TRACTATUS IV.

D E

Voto, & Voti relaxatiore.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, ac definitione Voti.

1 VOtum definitur *promiffio deliberate Deo facta de meliore bono.*

NB. Dicitur: *Promiffio* (non nudum propofitum) procedens ex voluntate fe obligandi, ita ut promiffario, videlicet Deo, jus acquiratur.

NB. Vovens, & ignorans vim, & effentiam voti, revera nec vovet, nec obligatur: Quia incogniti nulla eft voluntas.

2 Qui vovet animo fe obligandi, quamvis non exequendi, vere obligatur: Nam ficuti re ipfa accidere poteft, ut aliquis caftitatis voto obftrictus fit, caftitatem tamen non fervet; fic etiam hæc duo voluntate feparari poffunt, ut aliquis voto obligatus effe velit ad fervandam caftitatem, non tamen obligationi fatisfacere.

NB. Votum fecundum fpeciem, & fubftantiam, quam ex objecto præcife accipit, eft actus bonus ex virtute Religionis. Interim vero fieri poteft, ut prava operantis circumftantia vitietur, ideoque fecundum individualem rationem actus fimpliciter vitiofus exiftat. Sic, fi aliquis motus defiderio vanam gloriam captandi eleemofynam vovit, Religione voti tenetur: Quia, licet male voverit, votum tamen bene implere poteft. Et licet talis actus vovendi, feu promittendi, qua peccatum eft, Deo difpliceat; res tamen, quæ voto promiffa eft, eidem placet.

3 Tantum voluntarium requiritur ad voti obligationem, quantum ad mortaliter peccandum.

4 Ad votum non fufficit voluntas indirecta in caufa fua; fufficit tamen voluntas virtualiter permanens in effectu. V. C. Voviſti in ebrietate; votum hoc eft nullum: Quia ad votum intrinfece requiritur voluntas directa fe obligandi. At vero, fi propofitum habuiffi V. C. votum Religionis edendi, eoque propofito virtualiter manente ad Altare acceffifti, os ad loquendum aperuifti &c. quamvis animo ad alia diftractus, valet votum: Sicuti etiam Sacerdos cum tali intentione valide celebrat.

5 Votum editum circa fubftantialia rei promiffæ ex ignorantia, aut errore tollente voluntarium nullius roboris eft: Quia, cum incogniti nulla fit voluntas, ideo, qui rei fubftantia ignorata vovit, non habuit voluntatem eam vovendi, feu ad illam fe obligandi. Quod fi accidentalia annexa voto, V. C. abftinentia a carnibus in Ordine Carthufianorum, fint in intentione voventis, non valet votum. V. C. Si quis Ordinem Carthufianorum vovet, exiftimans, in eo permiffum effe carnibus vefci, ita, ut ille error fit caufa vovendi, non obligatur voto. Secus eft, fi voveat Ordinem, & nefciat, effe in illo abftinentiam perpetuam a carnibus; talis enim nihilominus voto obligatur, tametfi fortaffe non voveret, fi eam cognitam haberet.

6 Votum proprie loquendo foli Deo editur: Quia eft actus latriæ. Votum immediate Sancto factum non eft proprie votum, neque elicitive a virtute Religionis, fed duliæ, feu obfervantiæ. NB. Quod in quibufdam regionibus dicitur, *Voveo Deo, B. Virgini, & Sanctis*, intelligendum eft, quafi dicatur: Voveo Deo coram B. Virgine, & Sanctis, tanquam teftibus, & Advocatis.

CAPUT II.

De materia Voti.

1 QUod voto promittitur, debet effe in poteftate voventis; unde fequitur, factum alienum voveri non poffe.

2 Irritum eft votum nunquam venialiter peccandi, ob moralem ejus impoffibilitatem: Quia moraliter impoffibile eft vitare omnia venialia, quæ fiunt cum deliberatione imperfecta: Validum tamen eft votum, nullum peccatum cum plena deliberatione committendi; quia hoc poffibile eft cum Dei gratia ordinaria. Item validum eft votum ab omnibus mortalibus abftinendi; quia eft poffibile, licet aliquibus fit valde difficile.

3 Si pars voti impoffibilis fit, quæ in fenfu compofito, feu dependenter a toto promiffa fuit, corruit totum votum. V. C. Si voveris, te Ecclefiam ædificaturum, & paupertate poftea fuperveniente non poffis, non teneris ædificare Cappellam. Qui vovit, fe peregrinaturum in cilicio, fi peregrinari non poffit, non tenetur induere cilicium; quia hoc tanquam acceſſorium voti: Ruente autem principali ruit etiam acceſſorium; non vice verfa. Aliud eft, fi mille aureos eleemofynæ voveas, & poftea totum non poffis, debes largiri, quantum potes. Ratio difcriminis eft: Quia in priori voto materia eft individua, & per modum unius copulari promiffa præfumitur. In pofteriore autem materia eft dividua, & per modum plurium promiffa cenfetur; nifi de contraria voventis intentione conftet.

Quod fi partes totius promiffæ fint diverfim, & fine dependentia inter fe, ita, ut partes fingulæ fuerint per fe materia voti, virtute quafi multiplicis, tunc reg. Jur. 37 in 6. locum habet: *Utile per inutile non vitiatur*, fi utile ab inutili feparari poffit. V. C. Si voveris jejunium integræ feptimanæ, & omnibus diebus jejunare non poffis, debes jejunare, quibus potes. Si puella voverit virginitatem, fi poftea fornicatur, debet fervare caftitatem, fi voventis intentio fuerit, vovere omnia, quæ virginitas in fe complectitur; fecus, fi voventis intentio tantum fuerat, fuum clauftrum virginitatis integrum fervare. Qui vovet, quod oraturus fit humi ftratus quotidie decem Pater nofter, & Ave; fi humi non poteft, debet faltem orare.

4 Si quis plura vota, eaque incompoffibilia edat, fervare debet, quod dignius eft; alioquin, fi paria, aut fi dubitetur, prius præfertur pofteriori. Ratio: Cum enim quivis recte, & laudabiliter votum fuum commutare poffit in aliud opus melius, Deoque gratius, fequitur, quod edito voto de tali opere ad hoc etiam obligetur. Confirmatur: Nam duobus præceptis concurrentibus, quorum unum impleri non poteft, quod minus dignum eft, cedit digniori: Votum autem eft quafi lex quædam, quam fibi ipfi aliquis impofuit.

5 Qui vovit, aut juravit, fe non editurum vota fine Confeffarii confilio, fi poftea non adhibito confilio voveat, tenetur. Ratio: Quia, licet homo peccet contra virtutem Religionis prævaricando votum de confilio Confeffarii adhibendo factum; tamen, quia ad valorem voti non requiritur, ut prudenter, & fine peccato fiat, fed fufficit, fi habeat objectum bonum, & fiat cum fufficiente deliberatione, valet. Excipe: Nifi quis expreffe decreviffet, fe nolle, Impofterum valida effe vota fua fine confilio Confeffarii edita (a).

„ (a) Vera hæc funt, fiquidem quando fecundum
„ votum concipit recordatur prioris. Si tamen fecun-
„ dum votum ediderit immemor præcedentis, fecun-
„ dum votum nullum eft, utpote editum ex igno-
„ rantia antecedenti, adeoque involuntarium.

6 Opus, quod voto promittitur, debet moraliter bonum effe, utpote Deo gratum. Hinc, fi quis voveat, mortale peccatum fe commiffurum, V. C. homicidium, peccat mortaliter contra Juftitiam, & contra Religionem: Si veniale, venialiter peccat. Quod fi tamen veniale promittat, quafi Deo placeat, erit irritum, & peccatum blafphemiæ mortalis.

NB. Votum peregrinationis die fefto impediens a Miffæ auditione irritum eft. Excipe: Nifi peregrinatio fit majoris momenti, ad Ecclefiæ utilitatem, & Dei honorem cedens, ut Ecclefiaftico præcepto incompoffibili, ideoque in tali cafu non obliganti, anteponi poffit.

7 Finis pravus, tenens fe ex parte rei promiffæ, votum vitiat: Secus, fi tenest fe ex parte voventis. V. C. Si quis vovit, fe eleemofynam daturum ad vanam gloriam captandam, ita, ut eleemofynæ largitio facienda fit vanæ gloriæ caufa, nulla oritur obligatio voti: Quia malum eft, eleemofynam dare jactantiæ caufa.

Quia autem gloriæ aucupandæ gratia coram aliis vovet, fe eleemofynam daturum, is rem bonam vovet, quamvis male; ideoque voti religione tenetur. Quod fi vero ad confequendam a Deo rem illicitam eleemofynam te daturum voviſti, irritum omnino eft

votum:

votum: Quia dare eleemosynam, tanquam medium ad impetrandam a Deo rem illicitam, est mala, & blasphema operatio.

Valet votum tale: *Si ex fornicatione, nulla prole concepta, infamiam vitavero.*

8 Opus secundum se indifferens, utpote otiosum, non potest esse materia voti, nisi fine bono cohonestetur. V. C. Voveo, me non intraturum talem domum; quia occasio est medium peccandi.

9 Opera bona, quæ sub præcepto sunt, etiam possunt esse materia voti: Quia nihil obstat, eandem rem ex diversis obligationibus debitam esse.

10 Votum rei in se bonæ propter finem mere indifferentem invalide concipitur. V. C. Si quis voveat, se jejunaturum, ut sumptibus parcat. Cum enim in moralibus species rei sumatur a fine, ideo si finis rei promissæ sit indifferens, totus actus ex objecto indifferens erit, adeoque inepta materia voti. Ad impetrationem tamen temporalium bonorum valet votum tale: Quia hæc a DEO petere honestum est.

11 Materia voti debet esse opus melius, quam ejus oppositum. Cum enim Deo magis placeat opus, quod majus, & melius est, quam ejus oppositum, sequitur, Deo placitum, & acceptum non esse, si homo se obliget ad faciendum minus; quia hoc ipso se obligat ad omittendum oppositum, quod melius est: Quare talis obligatio, sive promissio Deo accepta non est. Per oppositum autem intelligitur carentia rei promissæ, vel status carentiæ; hæc enim carentia si melior sit, Deoque gratior, quam res promissa, tunc promissum non obligat. V. C. Ludere recreationis causa, comedere temperate, sunt actus honesti; plerumque tamen est irritum votum hodie ludendi, cœnandi. Validum vero est votum non ludendi, jejunandi: Quia harum oblectationum voluntaria carentia, sive abstinentia plerumque Deo gratior est.

12 Matrimonium ordinarie non potest esse materia voti (quia status ipsi oppositus continentiæ melior, ac beatior est) sed in certis tantum casibus; V. C. si quis sine gravi injuria sponsæ, vel liberorum ab ea conceptorum a sponsalibus recedere non possit; item si matrimonium Reipublicæ maxime utile futurum existimetur; quia ex eo pax inter Christianos Principes eventura sit.

13 Plerumque illicitum est, matrimonium eo animo contrahere, ut postea deserta, ac decepta conjuge Religionem quis ingrediatur, juxta Navarr. Sanchez, & Suar. ex communi Sententia.

14 Validum est votum non acceptandi Episcopatum, nisi necessitas cogat: Quia honestum est, & conservat hominem in humilitatis custodia, & a periculo ambitionis avocat. Alioquin Episcopatus quidem est status perfectissimus; sed non ideo, quia ad perfectionem consequendam ex se multum promovet, sed potius, quia supponit, & requirit perfectionem in suscipiente.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Eo quod materia voti debeat esse de meliori bono, inferunt DD. votum jejunandi omnibus diebus etiam die Dominica esse obligatorium; quamvis enim *cap. ne quis jejunet de consecr. dist. 3. cap. si quis tamquam, & cap. Sacerdos 26. q. 6.* prohibitum fuerit jejunium die Dominica ad evitandum errorem Manichæorum, qui tale indixerant jejunium in contemptum Resurrectionis Christi; cum tamen modo non amplius vigeat talis error, neque amplius habet locum talis prohibitio, & melius est tali die jejunare, quam non jejunare. Verum tamen est, quod si quis voverit jejunare aliqua determinata die v. g. in vigilia Annunciationis B. Virginis, melius erit, si se conformet Ecclesiæ dum talis dies incidat in Dominica, adeoque satisfaciet voto jejunando sabbatho antecedenti, *Leand. d. 4. qu. 46.* Id tamen dictum velim, si dum emisit votum non habuit expressam intentionem jejunandi etiam in Dominica, quando tali die incideret vigilia Annunciationis &c.

II. Ex eo etiam quod materia voti esse debeat de meliori bono, inferunt DD. non esse validum votum de immoderatis macerationibus corporis; ut enim habet *D. Th. 2. 2. qu. 88. a. 2. ad 3.* vigiliæ, jejunia &c. sunt Deo accepta, in quantum fiunt cum debita discretione, *ut scilicet concupiscentia refrænetur, & natura non nimis gravetur, & sub tali tenore possunt hujusmodi sub voto cadere.* Item per se invalidum est votum non vovendi, quia vovere est actus religionis, & proinde res Deo grata, & accepta. Bene autem valeret votum de non vovendo sine licentia Confessarii, ne quis se exponat periculo inconsiderate vovendi.

Non tamen judicarem invalidum votum factum de non petenda dispensatione de aliquo voto facto, quamvis multi in contrarium opinentur; nam melius est rem debitam velle exacte adimplere, & cedere omni juri se ab obligatione contracta eximendi. Aliunde cum casus, quo dispensatio utilior sit animæ, raro contingat, non vitiata videtur materiam talis voti, quæ solet tantum comprehendere casus communiter contingentes; unde si respectu istorum materia voti est de meliori bono, non est cur tale votum non sit validum: *Azor. l. 11. c. 19. qu. 15. Pal. t. 3. tr. 15. d. 1. p. 8. §. 5. num. 4. Bonac. tom. 2. d. 4. qu. 1. par. 5. num. 18.* Bene autem perpendat Confessarius, quod si tale votum evadat Pœnitenti perniciosum, & utilius illi sit petere dispensationem, cum amplius illi non sit de meliori bono, licite petitur dispensatio, si anceps esset, an tunc cessaverit votum, nec ne. Item notet, quod quamvis illi melius non esset petere dispensationem, si tamen haberet causam legitimam petendi, ut si præcipitanter tale votum emisisset, dispensatio obtenta subsisteret, quia tunc non impedit potestatem dispensantis. Quod si insuper vovisset, se dispensatione non usurum, prius petere debet dispensationem a voto non utendi dispensatione, inde non petendi dispensationem, ac demum a voto de re, quæ primo vovit, v. g. castitate &c. Videantur *Suar. l. 2. cap. 15. n. 6. Sanch. l. 4. c. 8. n. 29.*

III. Item animadvertendum, quod dum dicitur votum esse debere de meliori bono, juxta communiorem opinionem sufficit, quod sit de meliori bono directe, quamvis indirecte majus bonum impediat. Exemplum sit in eo, qui voveret aliqua die determinata invisere aliquam Ecclesiam, quo tempore forte facere posset aliqua opera perfectiora, si ad Ecclesiam non progrederetur. Illud votum videtur omnino validum, cum melius sit invisere illam Ecclesiam, quam non invisere. Nihilominus talis visitatio potest indirecte impedire opus perfectius. Scire tamen debet Confessarius, posse voventem propria auctoritate tale votum in opus perfectius commutare: *Sanch. l. 4. c. 7. num. 47. Trull. l. 2. c. 2. dub. 5. n. 57.*

IV. Notare etiam debet prudens Confessarius, quod dum dicitur votum debere esse de re meliori, id intelligi debet respectu ipsius voventis, ita ut res ab ipso per votum promissa sit illi majus bonum ea re, qua per votum privatur. Ratio est, quia Deus non respicit præcise id, quod ipsi offertur, sed an res illi oblata a vovente cedat in sui majorem honorem, & gloriam, & si ita non se habeat, ab ipso non acceptatur. Hinc quamvis vota, ordinarie loquendo, non debeant esse contraria Consiliis Evangelicis; nihilominus possunt dari vota valida, quæ videntur ipsis adversari, quia in quibusdam circumstantiis melius bonum potest esse voventi talia consilia non servare. Ex his habetur, validum esse votum nubendi emissum ab illo, qui non se potest continere; non jejunandi emissum ab illo, cui jejunium graviter officit valetudini; non mutuandi, seu dandi eleemosynam, emissum ab illo, cui pecunia est valde necessaria ad familiæ sustentationem, & sic de pluribus aliis.

V. Ex illo principio, quod materia voti debeat esse de re moraliter possibili, bene inferunt Theologi, nullum esse votum de vitandis omnibus peccatis venialibus; attenta etenim humana fragilitate, ordinario rerum cursu, & ordinariis Dei auxiliis, est moraliter impossibile ea omnia vitare. Quamvis autem lege naturali divina teneamur omnia etiam peccata venialia vitare, id non probat, fugam omnium venialium posse esse materiam voto aptam; nam ut ea teneamur vitare ex lege naturali divina, sufficit habere potentiam physicam ad ea vitanda. Cum autem obligatio voti nascatur a libera nostra voluntate, censendum est, non se extendere ad id, quod est moraliter impossibile; nemo enim prudens censetur velle se libere ad hujusmodi obligare. Solet objici votum emissum a S. Theresia de faciendo semper quidquid cognosceret esse perfectius: sed communiter respondetur, ita vovisse ex speciali Spir. S. impulsu.

Validum e contra est votum de vitandis omnibus peccatis mortalibus, sicut & venialibus in aliquo determinato genere, puta de vitandis mendaciis, prolatis cum plena advertentia. Possunt tamen dari aliquæ personæ ita virtute spoliatæ, & ad malum proclives, ut respectu istarum, videatur moraliter impossibile peccata venialia etiam in determinata specie vitare. Cæterum hujusmodi vota ordinarie permittere non debet prudens Confessarius propter periculum transgressionis. Idem dicas de voto confitendi omnia venialia, quod licet validum sit, si referatur ad ea, quæ memoriæ occurrunt post factam mediocrem diligentiam: nihilominus, exinde oriri possunt multi scrupuli, & conscientiarum perplexitates &c. Multo minus permittat Confessarius Pœnitenti votum de vitandis venialibus omnibus quantum in se est, quia ultraquamquod non sit de re certa humana ratione cognoscibili, qualis esse deberet materia voti, quis non videat, hujusmodi votum infinitis perplexitatibus obnoxium? Quis enim cognoscere valet, se fecisse quantum in se est, ac omnem sibi possibilem diligentiam adhibuisse? &c.

CAPUT III.

De obligatione Voti.

1 QUod quis voto promisit, præstare obligatus est, juxta Isa. 19 *Colent eum in hostiis, & muneribus: & vota vovebunt Domino, & solvent.* Quia habet rationem debiti. Imo in externo foro Ecclesiastico vovens ad executionem compelli potest: Ratio: Quia ad Ecclesiastici Judicis officium pertinet impedire, ne gravia crimina committantur; cujusmodi est sacrilega transgressio voti.

2 Obligatio voti ex genere suo est gravis, & sub mortali peccato; quippe quæ tendit ad fidelitatem Deo ex Religionis virtute præstandam, juxta Apost. 1. Timoth. 5. *Habentes damnationem, quia primam fidem irritam fecerunt.* Sed ob materiæ levitatem fit venialis: V. C. Si quis vovet, se recitaturum 3. Pater noster, & Ave. Ratio: Quia votum est quasi privata quædam lex, quam quisque sibi sponte imponit; ideoque ejus obligatio ad modum aliarum legum explicanda est.

3 Votum in dubio interpretandum est secundum naturam, & conditiones rei promissæ: Quia quisque promittens præsumitur tali modo se obligare voluisse, sicut rei promissæ natura postulat.

Quod si dubium sit de intentione voventis, tunc inter-

terpretatio fieri debet secundum verborum communem usum, & acceptationem. Exempla sunt. I. Qui vovit Rosarium, debet pie orare. II. Qui vovit jejunium, intelligitur Ecclesiasticum (a).

,, (a) Ita qui vovit jejunium in locis ubi est con-
,, suetudo abstinendi a lacticiniis, intelligitur obligasse
,, ad jejunium ut in ea regione mos est.

NB. Violans votum abstinendi certa die a carnibus toties peccabit, quoties ea die carnes comederit: Ratio: Quia votum abstinentiæ negativum est, Prædicato distributionem adferens, ut sensus sit: Voveo, me tali die nunquam carnes comesturum.

4 In dubio votum (idem dic de juramento) interpretandum est, quatenus minorem obligationem adfert: *Quia, cum agitur de obligatione, stricta interpretatio facienda est*. Votum autem gravissimam obligationem continet: Ergo. Deinde magis homines movebuntur ad vovendum, si eorum exactio benigna potius, quam rigida fuerit.

5 Votum sine temporis determinatione editum executioni mandari debet, quamprimum commode potest, juxta Deuteronom. 23. Ratio: Quia hoc est commune omni promissioni absolutæ, & non limitatæ, ut statim obligationem pariat, & consequenter exigi possit; atqui, Deum statim exigere executionem voti, constat ex Deut. 23. Voti Religionis dilatio notabilis sine justa causa est mortale; propterea quod quasi mutiletur obsequium Dei perpetuum, ad quod se obligavit vovens.

6 Obligatio voti personalis est, & ad aliam personam non transit. Ratio: Quia obligatio voti, & cujuscunque promissionis ex propriæ voluntatis consensu nasci debet: Ergo non alium, quam ipsum voventem, ac consentientem obligat; nisi alius sponte velit pro alio supplere votum, tunc enim fit proprium, juxta illud: *Subrogatum sapit naturam ejus, in cujus locum subrogatur*.

7 Ad votum a Communitate factum non obligantur posteri, nisi ex vi pacti, & consuetudinis longæ; dummodo approbatio tacita, vel expressa Episcopi accedat.

NB. Factum alienum voveri non potest, sed intentio voventis esse censetur, curaturum se, ut alius faciat. Unde liberi non obligantur voto parentum, offerentium eos Religioni, nisi consentiant, & ratificent: Nam ingressus Religionis debet esse liberæ voluntatis.

8 Vovens, se jejunaturum, non satisfacit, si alteri persuadeat, ut pro ipso jejunet. Ratio: Quia vovens factum proprium promisit: Ergo ad illud obligatur.

9 Si vovens impotens est implendi voti sui, non debet aliam personam substituere. Ratio: Quia actus se non extendit ultra intentionem agentis; voventis autem intentio fuit, se facturum: Ergo, si id non possit, non tenetur per alium præstare.

10 Triplex est votum. Personale, quod est promissio facta a vovente alicujus functionis præstandæ. Reale, quod est promissio facta alicujus rei dandæ, etiam per famulum, V. C. eleemosynæ. Mixtum, quod participat de utroque, V. C. vovere, contra hostes fidei se pugnaturum, suis sumptibus peregrinaturum.

11 In voto mixto ex reali, & personali attendi debet, quidnam principaliter promittere animus fuerit? Si enim, quod est personale, principaliter promissum fuerit, reale autem accessorie, tunc, si vovens per se peregrinari, vel contra hostem militare non possit, non tenetur sumptus mittere, quos proficiscendo facere debuisset. Contra autem dicendum, si reale sit principaliter, personale autem accessorium, V. C. vovere, propriis manibus se daturum eleemosynam, is nihilominus tenetur ad eleemosynam.

12 Ad voventis hæredem post aditam hæreditatem transit obligatio votorum realium, non item personalium. Ratio est: Quia hæres libere adeundo hæreditatem sentit commodum: Ergo etiam debet sentire onus, quod est votum reale; atque non ex voto Religionis, quippe quæ solum voventem astringit, sed ex virtute Justitiæ, ratione acceptatæ hæreditatis una cum omnibus oneribus.

13 Hæres non tenetur vota, & legata pia præstare ultra vires hæreditatis; imo neque cum diminutione legitimæ necessariis hæredibus debitæ.

NB. Solutio votorum, utpote potioris obligationis, præfertur omnino legatis piis. Quod vero vota personalia defuncti hæres non teneatur exequi, ratio est: Quia hæres succedit defuncto, ejusque personam repræsentat tantum in realibus commodis, & oneribus debitis; non item in privilegiis; & obligationibus personalibus. Excipe: Nisi sub ea conditione hæres non necessarius institutus sit, ut talia vota exequatur; item, nisi hæres sponte se obligaret ad vota personalia defuncti exequenda.

14 Vota mixta non tenetur hæres implere, nisi quod in eis reale est, per se, & independenter a personali obligatione defunctus promiserit.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Plura observare potest in praxi Confessarius ex illa generali doctrina, quod quando dubitatur de materia voti, licet votum sit certum, salva proprietate verborum, semper stare debet pro mitiori obligatione. Plura, inquam, potest in praxi observare. Si e. g. aliquis voverit recitare Rosarium, & non recordatur, an integrum, vel tertiam ejus partem, potest obligari ad solam recitationem tertiæ partis, nam id communiter intelligi solet nomine Rosarii. Qui vovit audire Missam quotidie, & non recordetur, an habuerit intentionem duplicem Missam audiendi diebus festis, potest & his diebus unam tantum Missam audire, quia intentio voventis præsumitur fuisse, ut nulla dies transiret sine Missa. Qui vovit jejunare, & dubitat, an habuerit intentionem jejunandi in pane, & aqua, sufficit si modo ordinario jejunet, & sic de reliquis.

Dixi tamen, semper salvandam esse proprietatem verborum, quibus aliquis votum emisit, si de ipsius diversa intentione non constet: nam semper quis præsumitur voluisse se obligare, quo pacto sonant verba suæ obligationis. Hinc qui vovit e. g. non bibere aliqua die vinum, vel abstinere a carnibus, intelligitur voluisse se obligare per modum præcepti negativi obligantis pro semper ad talem abstinentiam, & per consequens toties peccat, quoties vel bibit vinum, vel carnes comedit. Si vero vovit jejunare, quamvis votum esset de jejunio in pane & aqua, solum peccat prima vice, comedendo aliam carnes & bibendo vinum. Ratio est, quia votum factum est per modum præcepti affirmativi semper obligantis, sed non pro semper, unde eo ipso quod vel comedendo, vel bibendo reddita sit pro illa die impossibilis executio voti, non amplius obligat. Neque alicui faciat difficultatem id, quod dixi, scilicet comedentem carnes solum prima vice peccare, quando votum non est negativum. Ideo igitur, quando quis tenetur ad jejunium ex præcepto Ecclesiæ, toties peccat quoties comedit carnes, quia in tali præcepto Ecclesiastico duo intelliguntur præcepta; unum positivum de jejunando, alterum negativum de non comedendo carnes, & proinde peccatur quoties violatur. At qui se obligavit ad jejunium ex vi voti, non intelligit se obligare ad carnium abstinentiam per distinctam obligationem, sed solum quatenus necessaria est ad jejunandum: stante ergo quod reddatur impossibilis observatio voti per primam comestionem, non amplius urget obligatio abstinendi a carne.

Observandum etiam, verba vo[v]entis de aliqua materia, de qua extet lex divina, & humana, intelligi prolata secundum dispositionem talis legis. Ex hoc inferunt Theologi, voventem jejunare in vigilia alicujus Sancti posse in Sabbato anticipare jejunium, si talis vigilia incidat in Dominica, quia ita fert mos, & consuetudo Ecclesiæ. Item ex eadem ratione non teneri ad jejunium diebus Dominicis, qui vovit singulis diebus jejunare, si non habuit expressam intentionem etiam diebus Dominicis jejunandi. Non pauci etiam volunt quod qui vovit jejunium singulis sextis feriis, non teneatur jejunare die Natalis Domini, si incidat in feria sexta, quia Ecclesiæ mos est, ut tali die comedantur carnes, adeoque non fit obligatio jejunandi. Verum contrarium videtur satis clare decisum *cap. fin. de observ. jejun*.

II. Quando observantia, & executio voti pendet ab aliqua conditione, & hæc pendeat a libera voluntate alterius, videat Confessarius, ne pœnitens illam malitiose impediat; nam si votum sit de materia gravi, semper id erit peccatum mortale. Si vero conditio talis sit, ut ea pendeat ab ipso vovente, eamque habuerit intentionem ponendi, tunc observandum est ut adhibeat moralem, & sufficientem diligentiam ad ipsam ponendam. Vovit e. g. religionem, si convaluerit; tenetur adhibere moralem diligentiam, ut recuperet sanitatem, adeoque abstinere a cibis noxiis. Item si voverit ingredi Religionem, casu quo acquirat aliquam scientiam, tenetur adhibere moralem diligentiam ad eam acquirendam. Quod si aliquis malitiose abstineat ab hujusmodi, ne teneatur votum adimplere, tunc peccabit contra votum; secus si e. g. comederet cibos noxios, vel abstineret a studendo, non animo votum subterfugiendi, sed victus passione, & negligentia. Si vero malitiose impediens conditionem, a qua votum pendet, peccat contra votum, dicendum est, voventem e. g. religionem, si non laberetur in peccata carnis, & ex industria ita peccaret, ne cogatur ingredi religionem, duo peccata committere, unum scilicet contra castitatem, aliud contra religionem.

III. Cum vota personalia solum afficere possint voventem, & non alios, videat Confessarius quid dicendum de iis, qui vovent factum alienum, puta si Pater voveat ut Filius religionem ingrediatur; si Mater quod Filia tali habitu induta incedat, vulgo *del Carmine*, *de' Dolori*, *del Terz' ordine &c.* Non tenentur ergo Filii talia vota Parentum adimplere, ni forte ratificaverint, quia solum ex ipsorum intentione pendet personalis obligatio. Suadendum tamen iis est, ut se voluntati Parentum accommodent, si id sine gravi incommodo valeant præstare. Parentes autem, qui talia vota fecerunt, tenentur suadere filiis, ut non a se promissam adimpleant, sed hoc non debent facere nimis importune.

CAPUT IV.

Utrum melius, magisque meritorium sit opus ex Voto; quam sine Voto.

1 MAgis meritorium, & melius est opus ex voto, quam sine voto. Prob. Nobilioris virtutis nobilius est opus; Religio autem omnium virtutum moralium nobilissima est: Ergo &c. V. C. Opus temperantiæ, si ex voto fiat in Dei honorem concepto, altioris virtutis, nempe Religionis, honestatem consequitur. Confirmatur. Quia omittens opus bonum, voto promissum, sacrilegium committit, & gravius peccat: Ergo, qui observat, magnam virtutis laudem a Deo consequitur: Quia oppositorum eadem est ratio opposita; neque congruit divinæ Justitiæ, ut voti transgressionem plus puniat, quam ejus observationem remuneret.

2 Necessitas implendi voti non minuit libertatem voluntatis; Quia homo justus sponte, ac libere operatur, quod lex jubet, licet forte non operaretur, nisi lex juberet.

3 Pœnitentia voti, si efficax non sit, nihil culpæ habet: Quia talis simplex displicentia non versatur circa malum, & prohibitum objectum. Nam sicut ab initio potuit homo nolle vovere; ita postea optare potest, quod non vovisset. Est tamen ejusmodi actus plerumque otiosus; interdum etiam, præsertim in votis gravioribus, & perpetuam obligationem inducentibus, cum periculo prævaricandi junctus: Quamobrem veniali culpa, interdum etiam mortali non vacat.

CAPUT V.

De Voto pœnali.

1 VOtum pœnale dicitur, cum quis minime affectus est ad rem, quam in pœnam vovet; sed ideo eam promittit, si crimen commiserit, ut retrahatur a crimine. V. C. Voveo, me ingressurum Religionem, si fornicatus fuero, aut eleemosynam in pœnam daturum, si lusero.

2 Si opus principale illicitum, vel impossibile fiat, aut ejus præstandi obligatio per dispensationem tollatur, cadit etiam obligatio pœnæ; quippe quæ ut accessoria promissa erat. V. C. Si quis vovet, si cum hoc homine, cum quo inimicitias gerit, locutus fuerit, in pœnam se jejunaturum, nulla est obligatio pœnæ. Quod per dispensationem etiam pœna tollatur, probatur: Quia pœna habet ordinem ad transgressionem; atqui post dispensationem locum non habet transgressio voti: Ergo neque pœna. Secus vero est, si prævaricatio voti semel accidit, ideoque pœna contracta est; tunc enim utrumque vinculum per se obligat, adeo, ut unius solutio per dispensationem non trahat secum solutionem alterius.

4 Ignorantia, vel oblivio, excusans a culpa, itidem excusat ab annexa pœna, quippe quæ locum non habet, ubi voluntaria transgressio non est; & id etiam locum habet in ignorantia facti. V. C. Si vovisti, te Missam auditurum diebus festis, &, nisi audieris, te eleemosynam daturum, sed postea intermittis, quia non recordaris, diem festum esse, perinde est, ac si alia justa causa impeditus esses.

5 Votum, si blasphemiam imposterum dixero, dabo in eleemosynam unum aureum, plerumque intelligitur toties, quoties peccatum commissum fuerit, si nimirum intentio fuerit voventis, in perpetuum sibi interdicere peccandi facultatem sub proposita pœna; si vero non constet de intentione voventis, tunc pro prima vice solvenda est pœna; quia, cum de interpretatione voti agitur, benignior pars in dubio amplectenda est, salva verborum proprietate.

CAPUT VI.

De Voto conditionali.

1 VOtum conditionatum imperfectam, & suspensam obligationem continet, ita, ut vovens teneatur servare propositum implendi votum, si conditio evenerit. Nec debet se interim, dum eventus conditionis speratur, inhabilem reddere ad executionem voti. V. C. Qui vovit, se Religionem ingressurum, si pater ex India reversus fuerit, is non potest interim matrimonium contrahere.

2 Non peccat vovens, si appositam conditionem evitet, vel impediat, ne voti obligationem contrahat. V. C. Aliquis vovit, eleemosynam se daturum, si juraverit, si luserit &c. non peccabit, si abstinuerit ideo a juramento, & lusu. Cum enim vovens adhuc liber sit a voto, poterit ejus obligationem subterfugere, vel impedire quocunque modo secundum se non illicito. Quod si vero vovens lege, aut præcepto obligatus sit ad conditionem servandam, tunc peccabit contra Religionis virtutem, si non servaverit. V. C. Si spatio unius anni fornicationem evitavero, in gratiarum actionem ingrediar Religionem; talis, si intra annum fornicetur ea intentione, ut voti obligationem subterfugiat, non tantum contra castitatem, sed etiam Religionis virtutem peccabit, violando quodammodo pactum cum Deo initum (a).

„ (a) Hæc tamen conditio: voveo religionem si „ pater ex Indiis redierit, evitari non posse videtur „ sine peccato, quia principalis intentio esse posset „ vovendi religionem amoto obstaculo absentiæ patris; „ adeoque videor me obligasse ad non impediendum, ut „ obstaculum illud removeatur.

Si conditio voti ex naturalibus causis dependeat, non peccat vovens contra votum, tametsi conditionem eventus impediat, si nihil per vim, aut dolum agat. V. C. Si propter valetudinem voveas Religionis ingressum, licet bibendo, vel comedendo lædas, non peccas contra votum. Item, si voveas Religionem, si pater consenserit, poteris precibus apud patrem instare, ut dissentiat, & ita te liberare a voto. Ratio: Quia vovens non censetur se obligare ad promovendum, vel nulla ratione impediendum conditionis eventum.

§ 3 Qui aliquid Deo vovet, vel homini promittit sub conditione consensus paterni, statim obligatur, si pater consensum præbeat, licet postea dissentiat.

NB. Si quis voveat Religionem, si pater consentiat, patre dicente, se non suadere, nec dissuadere, tunc censeri debet conditio impleta. Nam, qui vovet sub conditione consensus paterni, ejus animus censetur esse, se obligare velle, nisi pater ægre ferat, vel dissuadeat. Qui autem tacet, non utique fatetur, sed tantum verum est, eum non negare, sive contradicere. Idem sentiendum, si pater ante consensum moriatur; quia spectato fine voventis satis est, patrem non contradicere, seu non se opponere.

4 Etiamsi aliquis dolo efficiat, ut apposita voti conditio non impleatur, obligationem subterfugere videtur. Vel enim talis vovens (V. C. Religionem, si fornicatus fuerit) qui fraude postea osus est, ad voti conditionem obligatur ratione conditionis impletæ, vel ratione peccati commissi: Neutrum dici potest. Non primum: Quia revera conditio impleta non est; siquidem a fornicatione præservatus non est. Adde, incertum etiam esse, etiamsi is fraude usus non esset, utrum conditio, quippe suapte natura contingens, impleta fuisset, nec ne. Non secundum: Nam hoc discrimen est inter violationem promissionis Deo factæ, & violationem promissionis homini factæ; quod illa obliget ad pœnitentiam, & satisfactionem pro peccato, & injuria Deo illata; hæc vero ad restitutionem damni homini illati. Quia homini violatione juris sui damnum infertur in bonis et utilibus, quod compensari potest, ac debet; Deo autem transgressione voti nulla utilitas decedit, quæ restitui possit, ac debeat, sed tantum honor, & cultus debitus aufertur, qui per pœnitentiam ei restituitur.

Quare generalis regula tradi potest, quod transgressio voti non obliget ad compensationem. V. C. Si vovisti certo die ob specialem devotionem te jejunaturum, atque tunc intermittas culpate, vel inculpate, non teneris alio die compensare.

CAPUT VII.

Quænam personæ vovere possint.

1 OMnis homo viator, habens usum rationis, valide vovere potest: Ante septennium tamen irrita censentur vota, nisi probabilissimæ conjecturæ suadeant, sufficientem usum rationis adfuisse; post septennium vero valida præsumuntur, nisi probabilia indicia ostendant, defecisse rationis discretionem.

2 Ecclesia in quibusdam votis certam formam, seu conditionem requirit, qua non observata irrita sunt; ad eum modum, quo lex civilibus promissionibus, & contractibus certam formam præscribere potest, sine

qua

qua valorem non habeant. Neque idcirco Ecclesiastica potestas divino juri derogat: Quia Deus non acceptat vota, quæ ab Ecclesia ob justam causam infirmantur; sicut etiam remittit obligationem votorum, in quibus Ecclesia ex justa causa dispensavit, idque ex vi promissionis factæ S. Petro Matth. 16. ut, quod ipse solveret in terris, esset & solutum in cœlis. Ad hunc modum Ecclesia infirmat vota facta ex gravi, eoque injusto metu; item Religionis Professionem factam ab impubere. Hodie juxta Tridentinum Concilium irrita est Professio facta ante annum 16. completum.

NB. Ecclesia non habet jurisdictionem super actus mere internos in foro contentioso, quæ tendat ad vindictam fori externi; habet tamen jurisdictionem super actus internos, quatenus tendunt ad salutem animæ.

3 Vota non omnino firma sunt, sed irrita reddi possunt, quatenus cedunt in præjudicium potestatis alienæ, cui vovens subjectus est, V. C. Religiosus suo Prælato, impubes patri, vel Tutori, servus domino, conjux conjugi, debitor creditori.

4 Religiosus, & impubes magis subsunt, ille Prælati, hic patris, vel Tutoris potestati, quam uxor marito, filiusfamilias pubes patri. Nam Religiosus propriæ voluntati sponte resignavit, atque Prælati voluntati per vota obedientiæ se subdidit; impubes quoque juxta Juris dispositionem plenum suæ voluntatis dominium non habet. At vero in uxore, & filiofamilias voti dependentia est secundum quid, ac veluti per accidens, videlicet ratione materiæ, quæ alterius juri, vel potestati subjecta est.

5 Actiones Religiosi, quæ secundum se bonæ sunt (V. C. orare Rosarium) & independentes a Regula, & Prælati licentia, partim absolute voveri possunt, partim vero non sine dependentia a licentia Prælati.

6 Prælatus Ordinis omnia vota Regularium irritare potest, excepto eo, quod est transeundi ad Ordinem strictiorem, vel quod ipsa Ordinis institutio postulat. Prius prob. Quia habent tacitam conditionem: *Nisi Prælatus re cognita contradixerit*. Unde Prælatus potestatem habet omnia ejusmodi vota infirmandi, sive irrita reddendi, per quam irritationem omnis eorum obligatio tollatur. Posterius prob. Quia Professio Religiosa intelligitur; nisi eam in melius commutare placuerit. Potest tamen Prælatus in talibus votis dispensare, quippe Papæ non reservatis.

7 Si Religiosus opus pium vovet, quod sine licentia Prælati exequi non potest, debet eam petere; sed non videtur necesse, ut votum suum explicet. Prius Prob. Qui enim voluntarie se obligat ad finem, censetur etiam se obligare ad medium, sine quo finis obtineri non potest; atqui actiones, de quibus loquimur, sine licentia Prælati petita, & obtenta exerceri non possunt: Ergo, dum eas Religiosus promisit, simul etiam promisisse censetur, se licentiam petiturum. Quemadmodum uxor si voverit peregrinationem, quam scit, sine consensu mariti se perficere non posse, tacite censetur se obligasse ad consensum petendum: Quod si expresse voverit, contra voluntatem conjugis peregrinationem ipsius juri præjudicantem instituere, irritum est votum. Posterius prob. Quia vovens peregrinationem V. C. ad cujus executionem scit, opus esse licentia Superioris, tacite se obligare videtur ad id solum, quod necessarium est, & communiter sufficiens medium ad licentiam impetrandam. Simili ratione, si Religiosus homini quippiam promisit, ad quod exequendum Superioris licentia requiritur, sufficit licentiam petere, neque opus est, promissionem factam Superiori significare.

8 Summus Pontifex vota Regularium directe infirmare potest, Sæcularium non item. Prius patet: Quia ipse omnium Religionum caput est.

9 Prælatus Ordinis vota Novitiorum simpliciter, ac directe irritare non potest, cum adhuc sui arbitrii sint; quamvis dispensare possit, si a jurisdictione Episcopi exemptus sit, eo quod Novitius Ordinis sui privilegiis gaudeat. Non Exempti autem Abbates dispensare non possunt cum suis Regularibus, nisi ex consuetudine, vel Episcopi commissione.

10 Vota impuberis omnia simpliciter, & directe pater irritare potest, & in ejus defectum avus paternus, & mater, vel ludimagister secundum quosdam. Ratio: Quia naturali æquitati valde consentaneum est, ideoque Jure gentium introductum, ut homines in tenera, & impubere ætate propter imbecillem rationis discretionem aliena patris, vel Tutoris voluntate regantur, ideoque sine hac illorum pacta, & promissiones non omnem firmitatem obtineant, sed patris arbitrio, aut, si ille absens, avi, sive Tutoris rescindi possint. In Jure requiritur ad ætatem pubertatis annus decimus quartus completus, in fœmina duodecimus.

11 Vota ab impubere edita etiam post pubertatem a patre irritari possunt, si ea pubes factus non confirmavit; idemque sentiendum de Tutore. Ratio: Quia in his *primordialis natura, & obligatio inspicienda est*: Votum autem impuberis ob ætatis, & judicii imbecillitatem, & imperfectionem ab initio dependebat a patre: Ergo hanc conditionem, & imperfectionem suam semper retinet, nisi nova confirmatio postea accedat. Idem potest Tutor, utpote repræsentans personam patris: Et licet tunc Curator sit, principaliter habens administrationem bonorum, non tamen caret omni potestate, & directione erga personam Minoris.

12 Maritus non omnia vota uxoris, sed ea tantum rescindere potest, quæ, & quatenus juri suo præjudicium afferunt; similiter & uxor vota mariti. Nam mulier non est simpliciter viro subjecta in omnibus actionibus alioquin liberis, sed solum quatenus vinculum matrimonii exigit, ut alter alteri conjugii jura tribuat, & in vitæ societate, liberorum educatione, ac familiæ administratione mulier viro tanquam capiti subdita sit, juxta Apost. Ephes. 5. Quare mulier potest vovere eleemosynam de bonis paraphernis, quorum administratio ad ipsam pertinet, item orationem, S. communionem &c. quibus nec juri conjugali, neque domesticæ gubernationi ullum præjudicium affertur. Quamquam talia vota interdum desinant obligare, si maritus contradicat, & iniquo animo ferat, non quod contradicentis authoritate irrita reddantur, sed quia majus tunc bonum pacis impediant.

13 Pater non omnia vota filii puberis irritare potest, sed ea tantum, quæ patriæ potestati præjudicium afferunt, videlicet quæ liberam familiæ administrationem impediunt, vel filium nimis a cura, & obedientia patris abstrahunt. Excipe votum Religionis, cui pater contradicere non potest.

14 Etsi Superior licentiam dedit; nihilominus votum rescindere potest; multo magis successor. Ratio: Quia dando licentiam nequaquam a se potestatem gubernandi, adeoque præcipiendi, & vetandi abdicare censentur. Promissio tamen homini facta de licentia Superioris non potest revocari amplius propter pacem, & firmitatem pactorum inter homines servandam.

15 Votum continentiæ, cum conjugis consensu approbativo editum, irritum deinde reddi non potest. Ratio: Quia, quod attinet ad usum conjugii, vir non habet potestatem gubernativam; imo non majus habet jus in uxorem, quam ipsa in virum. Quare, si unus conjux alteri semel licentiam dedit, non sine proposito renuntiandi juri suo, deinde licentiam revocare non potest.

16 Votum uxoris de non petendo conjugii debito a marito nequit rescindi, quamvis sine ejus consensu editum sit. Ratio: Quia conjux conjugi non obligatur ad conjugii usum petendum, sed solum ad reddendum petenti. Data opera locutus sum de voto uxoris; quia votum mariti potest cedere in præjudicium uxoris, præ verecundia petere non audentis, si maritus nunquam petat. Quare tali casu uxor mariti votum rescindere potest.

Petentes debitum conjugii post votum continentiæ utrinque editum peccant contra votum, & contra justitiam; cum non habeant amplius jus exigendi, quippe cui per pactum mutuum renuntiarunt.

17 Votum impuberis, etsi a patre, vel Tutore approbatum sit, nihilominus revocari, & rescindi potest: Quia, licet impubes cum consilio patris, aut Tutoris voveat, nihilominus ob ætatem manet subjectus.

18 Si Superior sine justa causa votum subditi irritum pronuntiet, peccat venialiter; similiter si datam licentiam voti exequendi revocet: Quia Superior abutitur potestate sua, si sine justa causa promptitudinem subditi sui ad exhibendum Deo cultum per voti executionem impediat.

19 Vota, quæ directe, & absolute irrita facta sunt, non reviviscunt sublato statu subjectionis propter directam potestatem patris in voventis voluntatem: Secus, si tantum indirecte, & per accidens rescissa sunt. V. C. Si uxor vovet, se tota vita jejunaturam Feria 6. & maritus irritavit, mortuo marito revivifcit: Quia cessat obligatio, & præjudicium conjugis.

Et

Et uxor, quæ invito, aut ignorante marito Religionem professa, & ab eodem revocata est, postea marito mortuo ad Monasterium compellenda non est: Quia Professio uxoris, repugnante marito, acceptari non potuit, ideoque ipso jure irrita; nihilominus a secundis nuptiis arcenda est, propterea quod votum continentiæ, quod illa ex Juris interpretatione virtualiter edidisse censetur, a marito simpliciter rescindi non potuerit, sed solum quatenus in præjudicium ejus cessit, ut conjugii debitum exigenti reddere teneretur. Contrarium tamen docet Sanchez.

CAPUT VIII.

Quibus modis Votum extinguitur, aut relaxetur per Dispensationem, & Commutationem.

1 VOtum extinguitur, si tempus elapsum sit, quod vovens destinavit causa obligationis restringendæ, aut finiendæ. V.C. Si vovisti, te jejunaturum pridie Nativitatis B. Virginis, eoque die intermisisti culpate, vel inculpate, postea voto solutus es.

2 Cessante causa finali, ac principali, cessat obligatio voti. V. C. Si vovisti, pauperi daturum victum, ille autem dives, aut minus indigens factus est, cessat obligatio voti.

3 Votum extinguitur ob supervenientem inopinatam mutationem objecti, si ex possibili fiat impossibile, vel ex licita materia fiat illicita: Quia *obligatio extinguitur, si in eum casum incidat, a quo incipere non potest*. Adde, quod votum conceptum de impossibili, aut illicito, non obliget, etiamsi postea possibile, aut licitum fiat: *Quod enim initio vitiosum est, non potest tractu temporis convalescere*, reg. 29. ff. Porro, si notabilis immutatio accidat, & casus inopinatus, ut præsumi possit, voventis intentionem ad ejusmodi eventum non se extendisse, sed excepturum fuisse, si in mentem venisset. V. C. Si vovisti, te omnibus diebus Veneris jejunaturum, nihil cogitans de Christi Nativitate in diem Veneris incidente. Ratio: Quia ejusmodi benignam interpretationem lex positiva secundum Epikejam suscipit: Atqui votum est privata quædam lex, quam sibi ipsi homo ponit. Quare sicut ægritudo V. C. sufficit ad excusandum aliquem a præcepto Ecclesiastici jejunii; ita similiter ab observatione jejunii voto promissi.

NB. 1. Vovens in juventute ingressum Religionis, & ducens postea uxorem contra votum ea mortua in senectute propter difficilem ingressum solutus est a voto.

NB. 2. Si mutatio sit temporalis, obligatio voti non extinguitur, sed suspenditur. V. C. Vovisti, te ædificaturum templum, & ad paupertatem redigeris, liber es interim a voto; sed si rursum ditescas, teneris voto.

4 Dispensatio in votis, ut valida sit, causam justam requirit: Quia potestas dispensandi collata est Ecclesiasticis non in destructionem, sed ædificationem. Irritatio autem, sine justa causa facta, tamen valida est: Quia Superior votum subditi rescindens proprium jus, & potestatem exercet.

5 Causæ justæ dispensandi in votis oriuntur vel ex imperfectione actus, vel ex materia voti (V. C. si voventi spectata corporis constitutione, naturæ fragilitate, &c. periculum majoris ruinæ pariturum videatur votum continentiæ perpetuæ editum a persona ad carnis lapsum proclivi) vel ex difficultate exequendi, vel ex necessitate, aut utilitate præsertim publica. V. C. Si unicus hæres Ducatus Religionem vovit; aut si longam peregrinationem vovisti, cum præstaret, te Reipublicæ regendæ interesse.

NB. Prælatus, dubitans de justa causa dispensandi, seposito scandalo interdum in clementiorem partem declinare potest, si ex dispensatione utilitas speretur.

6 Episcopus in omnibus votis suorum subditorum dispensat, præter quinque Summo Pontifici specialiter reservata, videlicet votum perpetuæ continentiæ, Religionis, item peregrinationis Romanæ, Hierosolymitanæ, Compostellanæ.

7 Archiepiscopus dispensare potest in votis Suffraganeorum, sed non cum subditis eorundem; nisi per viam appellationis aditus fuerit.

8 Vota quædam reservatis similia sunt, sed re ipsa non reservata Papæ, videlicet votum servandi castitatem ad certum tempus, votum castitatis conjugalis, votum non petendi debitum, votum uxorem non ducendi, votum non fornicandi, Sacri Ordinis suscipiendi, Religionem strictiorem ingrediendi. Ratio horum est; Quia revelationes, cum a communi jure, & ordinaria Episcoporum potestate exorbitent, strictæ interpretationis esse debent; ideoque, cum votum castitatis, sive continentiæ reservatur, explicari debet de perpetua.

9 Votum pœnale, V. C. si fornicatus fuero, voveo, in pœnam me Religionem ingressurum, neque post culpam admissam reservatum est; eo quod votum pœnale non fiat cum directo affectu erga rem promissam, ut aliis votis, sed magis cum animi aversione, ut timore ejusmodi obligationis contrahendæ vovens revocetur a crimine: Quare non est pure, & simpliciter dictum votum, seu promissio alicujus rei in Dei cultum præstandæ.

10 Votum conditionatum, V. C. si ex morbo convaluero, voveo, me Religiosum fore, reservatum non est ante conditionem impletam; postea vero videtur reservatum. Nam sicut omnes alii contractus, & promissiones factæ sub conditione, ea eveniente, purificantur, & absolvuntur, omnesque effectus obligationis pariunt, perinde ac si sine conditione factæ essent; ita etiam voti promissio. Alia ratio est de voto pœnali, quippe quod tendit solum in rem promissam, tanquam pœnam, adeoque ut malam, & afflictivam, quam mallet evitare, quam incurrere: In voto autem mere conditionato, V. C. voveo, si convaluero, me ingressurum Religionem, affectus voventis per se tendit in rem promissam, tanquam bonam, & salubriter præstandam in Dei honorem (a).

„ (a) Votum illud; si convaluero, voveo religio-
„ nem, duplicem sensum habere potest: ut vovetur
„ Religio tanquam medium salutem a Deo impetran-
„ di, & tum verificata conditione, votum non ma-
„ net reservatum, quia tunc procedit potius ex amo-
„ re sanitatis, quam Religionis. Potest etiam voveri
„ Religio cum conditione, si convaluero, considera-
„ ta valetudine tanquam impedimentum ingressus in
„ Religionem, tum vero verificata conditione votum
„ fit absolutum, & reservatum.

11 Votum castitatis, vel Religionis ingrediendæ, si metu injusto, eoque levi extortum fuerit, sub Episcopi dispensationem cadit, idque ob imperfectionem consensus, quippe aliquo modo extorti; hinc non est præsumendum, Papam sibi reservare velle.

12 Votum alternativum, cujus altera tantum pars reservata est, V. C. voveo, me ad limina SS. Apostolorum peregrinaturum, aut 50. aureos daturum, reservatum non est; nisi postea vovens ad partem reservatam cum voluntate obligationis se determinarit. Prius probatur. Quia tale votum non est determinate de re reservata, neque ad illam simpliciter obligat: *Quia in alternativis debitoris est delectio, & sufficit, alterutrum impleri*. reg. 70. in 6. Posterius probatur ex reg. 21. in 6. *Quod semel placuit, amplius displicere non potest*.

13 Postquam Summus Pontifex votum reservatum in aliud commutavit, Episcopus exigente causa dispensare non prohibetur: Nam hoc ipso, quod prius votum cum voventis consensu commutatum est, quasi aliud, sive novum votum evadit, quippe novam obligationem continens, cujus materia reservata non est.

14 Reservatio votorum strictæ interpretationis esse debet atque in dubio non asserenda: Quia reservatio est odiosa.

15 Si conjux cum consensu conjugis continentiam perpetuam absolute voverit, reservatum hoc votum censeri debet: Quia est continentiæ integræ, & perpetuæ. Secus est, si voverint cum limitatione; V. C. nisi proles mascula ante ipsos mortem obeat.

16 Ob necessitatem, & difficultatem adeundi Papam casus Papalis fit Episcopalis ob præsumptam rationabiliter mentem Pontificis, nolle eum sibi vota tanto rigore reservare, sed potius contentum esse, ut in necessitate ejus potestas devolvatur ad Episcopum (a).

„ (a) Praxis tamen communis fert, ut vota re-
„ servata non dispensentur ab Episcopis etiam respe-
„ ctu eorum, qui censentur impediti Romam adire.
„ Ita vota castitatis perpetuæ a muliere emissa nun-
„ quam Episcopi dispensant; quamquam mulieres
„ censeantur impeditæ Romanum iter assumere.

17 Episcopus ob causam necessitatis dispensare potest, tametsi Legatus Pontificius in Provincia sit. Ratio: Quia Legatus a Latere ordinario jure non habet

majo-

majorem potestatem dispensandi, quam Episcopus. Si tamen adsit specialiter privilegiatus a Papa, multorum Sententia est, Episcopum dispensare non posse. Ratio est: Quia Episcopus in his casibus dispensare, vel absolvere duntaxat potest ob rationem necessitatis; quæ ratio cessat, si adiri aliquis possit, qui specialem commissionem habet; quippe quam Papa ideo etiam aliquibus concedere solet, ut in casu necessitatis ad illos recursus esse possit.

NB. Episcopus in casibus frequenter occurrentibus (cujusmodi est peccatum hæresis in partibus septentrionalibus, item votum continentiæ cum pacto inter conjuges editum) bona fide, & Doctorum quorundam consensu subnixus, consuetudine diuturna dispensandi, vel absolvendi potestatem sibi comparare potuit.

NB. Privilegia Regularium, Mendicantium, quod possint dispensare in votis Episcopo reservatis, intelligi debent de votis, & casibus Episcopalibus, qui ordinario jure Episcopis competunt, ideoque proprie Episcopales sunt; non item de iis, qui per se Papales sunt, & tantum per accidens, ob urgentem necessitatem, & moralem impotentiam adeundi Papam, ad Episcopum, tanquam ordinarium post Papam Pastorem, devolvuntur.

8 Per commutationem voti obligatio non tollitur, sed ad aliam materiam transfertur.

9 Vovens propria authoritate votum commutare potest in opus melius; constat enim, quanto melius est opus, tanto etiam Deo gratius esse: Quare, qui opus promissum in aliud melius commutat, is obligationi suæ etiam abundantius satisfacit. In votum Religionis omnia vota possunt commutari, utpote quod eminenter omnia vota in se continet, cum homo se ipsum DEO in perpetuum consecret. Vovens propria authoritate non potest votum commutare in æquale, sed necessaria est authoritas Prælati. Ratio: Quia non potest aliud pro alio solvi, promissario non consentiente: Atqui Deus non videtur consentire, ut a spontaneo ipsi promisso cultu recedatur, sed ut constanter in proposita specie reddatur, nisi causa recessionis urgeat, quam cognoscere ad Superiorem pertinet.

NB. Non omnes Confessarii possunt commutare vota æqualia: Quia votorum commutatio, sicut & dispensatio, est actus Ecclesiasticæ jurisdictionis exterioris; alioquin frustra Confessariis interdum conferrentur specialia privilegia commutandi vota.

20 Qui habet privilegium dispensandi in votis, aut juramentis, ea etiam commutare potest: Nam, *cui licet, quod plus est, licet utique, quod est minus*. reg. 53. in 6. Atqui voti commutatio est veluti imperfecta dispensatio, sive relaxatio; siquidem per dispensationem votum simpliciter tollitur, per commutationem autem solum secundum quid; quia ab una in aliam materiam transfertur.

21 Privilegia commutandi, & dispensandi in votis intelliguntur sine præjudicio tertii. Tunc autem commutatio fieri censetur cum præjudicio tertii, si alicui certæ Ecclesiæ, vel personæ pauperi V. C. per acceptationem voti jus acquisitum fuit; ante acceptationem autem, cum nondum jus, & actio, seu petitio competat, per commutationem, aut dispensationem tolli possunt.

22 Ut voti commutatio in opus melius fiat, nulla causa requiritur: Quia per se notum est, talem commutationem gratam esse Deo; unde Prælati authoritatem in ea non opus est requirere. At vero, ut voti commutatio in æquale opus, aut minus licita, & valida sit, requiritur causa aliqua, quia DEUS alias non censetur esse contentus; bona fide tamen facta commutatione sine causa censetur Deus esse contentus.

23 Commutatio in opus æquale facili de causa ab habente potestatem fieri potest ad petitionem voventis; tunc enim ratio adest, ut condescendatur fragilitati ejus, quo majori cum solatio, & animi promptitudine voti sui debitum in alia materia, ad quam magis affectus est, exsolvat.

24 Qui habet potestatem (V. C. in Jubilæo) vota commutandi, tantum debet commutare opus æquale, moraliter rem æstimando, non scrupulose, sed bona fide. Ratio: Quia nomen *commutationis* æqualitatem significat; privilegia autem extendi non debent ultra verborum proprietatem.

25 Vota realia ferme convenientius in onera realia, personalia autem vota in onera personalia commutantur. Ratio: Quia in votorum commutatione, quatenus fieri potest, servari debet tum materiæ æqualitas, tum idem finis, sive intentio voventis; hæc autem plerumque melius servatur; si votum personale in aliud personale commutetur, V. C. Votum cilicii gestandi carnis domandæ causa in jejunium: Et reale in aliud reale, V. C. votum ædificandi Ecclesiam in eleemosynam, aut alias causas pias: Item votum mixtum in onera tum realia, tum personalia V. C. votum peregrinationis in jejunium unum, vel plura, habita ratione laboris. In votis commutandis potest intervenire optio voventis.

26 Votum tum pœnale, tum absolutum, etiam post ejus transgressionem, vel contractam pœnam, commutari potest tam quoad obligationem, quam quoad pœnam.

27 Qui habet privilegium, seu delegatam potestatem dispensandi, vel commutandi vota fidelium, non potest talem facultatem alteri subdelegare: Quia delegatus nunquam potest subdelegare, si censeatur electa industria personæ; ut in proposito accidit.

28 Votum, quod per commutationem exstinctum fuit, nunquam amplius reviviscit.

29 Qui voverat peregrinationem, idque votum postea in Religionis Professionem mutavit, si postea e Religione ejiciatur, non tenetur peregrinationem instituere: Quia omnia vota simplicia commutantur in votum Religionis, tanquam in quid melius, quippe cum perpetuum Dei servitium contineat, consequenter priora vota extincta sunt, ut in propria sua materia non obligent; quod autem semel extinctum est, iterum non reviviscit. Eaque ratio similiter concludit, sive commutatio ab homine, sive a Jure facta sit.

30 Per vota simplicia in Societate Jesu edita, priora in sæculo, emissa ante Professionem, suspensa manent, non penitus extincta; potest tamen vovens vota simplicia in illa etiam commutare sua vota ante edita. Nam quivis propria authoritate votum qualecunque commutare potest in id, quod scitur melius esse, Deoque gratius; atqui vota non tantum solemnia, sed etiam simplicia, per quæ aliquis verus Religiosus efficitur, & (saltem quatenus ex ipsius parte est) perpetuo se Deo in obsequium devovet, ea, inquam, vota meliora sunt: Ergo.

NB. In voto Religionis, quamvis strictioris, dispensari potest cum ingredientibus in Societatem Jesu, ita tamen, ut, si iterum eos egredi contingat, redeat obligatio voti.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Prima regula necessario observanda, & quæ multoties potest filios a gravibus votorum obligationibus liberare, est, quod omne votum filii impuberis potest irritari a Patre, vel Matre, seu his deficientibus, a Tutore; & id etiamsi attigerit annos pubertatis, dummodo tunc non fuerit tale votum ratificatum. Hinc si accedat ad Confessarium filius impubes, ligatus voto etiam Religionis, Castitatis perpetuæ &c. potest facile illius conscientiæ mederi, remittendo illum ad aliquem ex prædictis pro irritatione, & eo maxime si saltem Filium voti emissi pœniteat. Nec est necesse, ut pro talibus votis irritandis a Patre &c. causam exposcat; nam ad differentiam dispensationis, quæ nec licite, nec valide fit absque justa causa, nulla requiritur causa pro irritatione. Videantur dicta suo loco, ubi etiam adnotatum est, vota realia posse a Curatore, Tutore &c. irritari, quoadusque Filius est in statu Minoritatis.

Quod dictum est de votis Filiorum, omnino etiam verificari potest de votis Uxorum, si placeat sequi nostram sententiam, qua diximus, posse Maritum omnia vota tum realia, tum personalia Uxoris irritare, etiamsi forent exequenda post mortem ipsius.

II. Cum certum sit, neminem dispensare debere in aliquo voto, nisi adsit justa causa; universaliter Confessarius advertat, quod si detur causa sufficiens pro integra, & absoluta dispensatione, potest etiam dari integre, & absolute absque ulla mistione commutationis. Ut autem judicetur dari hanc causam sufficientem, non est omnimoda certitudo talis causæ inquirenda, sed bene attendi potest arbitrium Viri prudentis, alias difficile esset talem causam adinvenire, & dispensatio semper esset infinitis scrupulis obnoxia. Si vero non constiterit arbitrio viri prudentis dari causam sufficientem ad integram, & absolutam dispensationem, tunc necessarium puto aliquid commutationis admiscere, ut suppleatur si quid desit pro absoluta dispensatione. Ita etiam colligitur *ex cap. 2. & cap. magnæ de vot.*

III. Notare item debet Confessarius causas dispensationis reduci ad imperfectam libertatem in vovendo, ad difficultatem exequendi, vel si dispensatio voti conducere possit ad majus bonum commune; sed etiam privatum ipsius voventis.

Ex primo capite possunt dispensari vota facta ex metu etiam levi, & ex errore circa causam impulsivam; vel etiam si sint facta ex tristitia, timore naufragii, vel ex aliqua alia passione. Et quidem, si vota ita facta, emissa fuerunt absque omnino perfecta, & matura deliberatione, præstant causam sufficientem integræ, & absolutæ dispensationi. Hinc quia semper vota impuberum præsumuntur facta præcipitanter, & cum aliquo libertatis defectu, possunt absolute, & integre dispensari, neque enim credendum est, Deum ita rigide acceptare obligationem in tenera ætate susceptam, ut non valeat ab Ecclesiæ Prælatis dispensari. Idem dicendum de votis Adultorum, si facta sint sine plena libertate, & deliberatione; & eo maxime si metus etiam le-

vis

vis incussus fuisset ad votum extorquendum, cum consonum sit credere, Deum facillime remittere obligationem, cui dedit causam aliqua injustitia. Si vero votum, cui dedit occasionem metus, vel aliqua alia passio, seu timor, factum fuerit cum plena, & matura deliberatione, tunc non est absoluta concedenda dispensatio, sed debet uniri cum aliqua commutatione. Eodem modo se gerat Confessarius, si fuit error circa causam impulsivam; vel si talis causa cesset.

Ex secundo capite, scilicet ob difficultatem exequendi votum, Confessarius habens facultatem potest dispensare illum, qui est in periculo transgressionis, sive id sit ob ipsius fragilitatem, sive ex malitia; semper enim verificatur, tale votum potius esse in laqueum, quam in profectum voventis. Etiamsi vero non sit periculum transgressionis, adhuc intervenit justa causa dispensandi, si supervenial difficultas non exigua ab initio non prævisa; quia conforme est Benignitati Divinæ, ut remittatur obligatio, quæ ob non prævisam difficultatem non facile executioni mandatur. Hanc doctrinam non sine fundamento extendunt etiam ad casum, quo ab initio prævisa fuerit talis difficultas: nam cum postea res sit executioni mandanda, difficultas in abstracto prævisa multo gravior, & majoris incommodi solet expediri. Ex difficultate etiam ex executione voti oritur sufficiens causa dispensandi vota scrupulosorum; nam in praxi videmus quod si scrupulosus fecit e. g. votum de recitando Rosario, ita scrupulose attendit, an habuerit sufficientem attentionem, an integre recitaverit &c. ut passim repetat, & numquam quiescat.

Ex tertio capite dispensare potest Confessarius voventem, si dubitetur, an ipsius votum sit impeditivum majoris boni, ut ita securior reddatur conscientia voventis. Item si dispensatio voti esset potius in majus bonum ipsius, quam ipsius executio; nam majus bonum voventis est id, quod per votum intenditur. Hinc si Confessarius prævideat, quod vovens adimplendo votum e. g. alicujus peregrinationis, potius dissipabitur, & ex itinere jacturam faciet devotionis, debet illum dispensare. Idem dicas, si executio talis voti impediret aliquod bonum notabile vel familiæ ipsius voventis, vel Civitatis &c. seu si in ipsius absentia grave detrimentum possent subire. Eodem modo discurrendum, si ob observandum e. g. votum castitatis non possit quis ducere Uxorem, unde graves orituræ sint discordiæ, aut illustris familia non conservanda, vel si observandum votum jejunii, aut valde frequenter orandi, non possit quis vacare concionibus, vel alios edocere cum gravi aliorum detrimento. Expedit tamen ut plurimum dispensationi aliquid admiscere commutationis. Id autem maxime habere locum sciat Confessarius, dum dubitetur, an causa sibi proposita ad obtinendam dispensationem sit sufficiens, nec ne; quamvis etenim dispensatio sit odiosa, facultas ad dispensandum est favorabilis, utpote beneficium Principis nemini nocivum, adeoque extendenda etiam ad casum, in quo dubitetur de causæ sufficientia. E contra vero quia dubitatur de sufficientia causæ, admiscenda est aliqua commutatio, ut non omnino auferatur obligatio, dum timetur non dari causam sufficientem ad eam omnino auferendam.

IV. Eo quod quinque vota Papæ reservata non censenda sint reservata, nisi sint certa, perfecta, & absoluta, sciat Confessarius, non esse reservatum e. g. votum Castitatis, vel Religionis, si ad illud vellet quis se obligare solum sub culpa veniali, quia non esset integrum, & perfectum. Propter eamdem rationem non est reservatum hujusmodi votum, si non factum sit cum plena, expedita, & perfecta libertate.

Ut autem id plenius exemplificetur in voto castitatis, observandum est, non esse reservatum tale votum factum ad tempus, vel non integræ, & omnimodæ castitatis: ita est votum non se polluendi, non se turpiter tangendi, vel aliam personam, non contrahendi matrimonium, non petendi debitum, non violandæ virginitatis; si forte per tale votum quis non intenderet abstinentiam a quocumque actu venereo. Item non est reservatum votum de suscipiendis Ordinibus sacris, quia non est votum castitatis promissæ, sed promittendæ, nec votum servandæ castitatis conjugalis &c.

Idem dicendum, si votum de castitate perpetua servanda factum sit sub disjunctione: ut si quis faceret votum vel de servanda perpetua castitate, vel de danda tali eleemosyna, quia cum non fecerit votum simpliciter de castitate servanda, jam non est perfectum votum Castitatis. Ultraquamquod semper est in ejus voluntate non eligere castitatem, sed eleemosynam, & sic non habet locum reservatio. Id verificatur etiamsi quis elegerit potius castitatem, quam eleemosynam, quidquid non pauci dicant in contrarium.

V. Ad bene dignoscendum quando vota non sint reservata, eo quod non sint absoluta, sed conditionalia, recolenda sunt a Confessario quæ alias diximus, scilicet non reddere consensum conditionatum conditionem de præterito, vel de præsenti: ut si quis voveret castitatem, seu religionem, si Pater jam obiit, vel si Pater vivit; nam vel istæ conditiones sunt, seu fuerunt, & statim consurgit obligatio; vel non sunt, seu non fuerunt, & statim evanescit. Idem dicendum de conditione de futuro necessario; ut si quis diceret, voveo castitatem, si cras dies elucescet &c. tales enim conditiones habentur pro non adjectis. Non sufficiunt pariter votum conditionatum conditiones naturaliter imbibitæ in quocumque voto: ut si dicerem, voveo castitatem si vixero, si Pater non irritet meum votum, si Deus voluerit, si non ero impeditus &c.; cum etenim hujusmodi conditiones in omni voto includantur, non impediunt quin votum sit absolutum, etiamsi tales conditiones expresse a vovente apponerentur. Denique observare debet Confessarius, an conditio apponatur ad designandum tempus, quando votum est mandandum executioni, vel ad suspendendam ipsius obligationem, quoadusque adveniat conditio. In primo casu conditio non tollit quin votum sit absolutum, in secundo vero reddit votum conditionatum. Exemplum sit in eo, qui voveret castitatem, si attigerit annum vigesimum: hujusmodi conditio designat tempus, quo votum est implendum, & non reddit votum conditionatum, si forte vovens non habuisset intentionem non se obligandi usque ad illud tempus. Si vero quis voveret castitatem, si postquam attigerit annum vigesimum, Pater non tradet ipsi, quæ conveniunt ad sui decentem sustentationem, talis conditio suspendit obligationem usque ad illud tempus, cum appareat, voventem velle se obligare solummodo in casu, quo non provideatur ipsi a Patre.

Votum igitur conditionatum, quod non subjacet reservationi, est votum pendens a conditione contingente de futuro, sive istud votum sit pure conditionale, sive etiam pœnale. Aliqua apponam exempla. Non erit votum reservatum, si vovens e. g. castitatem, seu Religionem &c. diceret, voveo castitatem, si Pater consenserit, si Confessarius consenserit, si convaluero, si tale negotium felicem habebit finem, si incolumis evadam a manibus inimici. Item si diceret, voveo castitatem, seu Religionem, seu Romanam Peregrinationem ad limina Apostolorum, si lusero, si commisero tale peccatum &c. Hæc omnia, & similia, cum faciant, ut votum a sui initio non sit perfectum, & consummatum, faciunt etiam, ut non sit reservationi subjectum.

Credo etiam, Confessarium posse idem facere judicium de hujusmodi votis etiam quando adimpleta est conditio, quamvis non pauci Theologi contradicant. Si igitur aliquis e. g. voverit castitatem, si convaluerit, puto, tale votum non esse Papæ reservatum, etiam postquam adeptus fuit sanitatem. Ratio mihi est, quia ex omnium Theologorum sententia hujusmodi votum intelligendum est Papæ reservatum, sicut & cætera supra enumerata, quando fuerunt perfecta, & completa, hoc est, quando fuerunt facta ex affectu pleno, & perfecto erga materiam voti; nam hac ratione quinque plures enunciata vota fuerunt reservata. Dum autem quis vovit e. g. castitatem sub aliqua conditione, potius movetur ex affectu, & voluntate ad conditionem, quam ad castitatem; ut dum quis vovet castitatem, si convaluerit; peregrinationem, si Navis, in qua plures habet merces, portum attingat; patet enim, affectum voventis potius esse erga sanitatem, & divitias, quam erga castitatem, & religionem. Id etiam magis constat in votis pœnalibus; nam qui e. g. vovit castitatem, seu religionem, si luserit, non habet affectum ad castitatem, seu religionem, sed potius hujusmodi adversatur, & proinde vult se retrahere a ludo timore ipsarum.

Quamvis igitur semper verificetur, purificata conditione, obligationem ab ea pendentem transire in puram, & absolutam, adeoque teneri voventem absolute, & simpliciter ad votum, nihilominus quia reservatio voti metienda est ex modo, perfecto, vel imperfecto vovendi, cum etiam post adimpletam conditionem verificetur votum sub conditione emissum semper fuisse imperfectum, inde est non subjacere reservationi. Limita hanc doctrinam in casu, quo vovens post adimpletam conditionem iterum vovisset simpliciter, & absolute castitatem, religionem &c. quia tunc consurgeret novum votum absolutum, & perfectum, & proinde Papæ reservatum.

Et hæc satis sint, ut Confessarius dignoscere possit in quibus casibus vota sint Papæ reservata, nec ne.

TRACTATUS V.

DE

Statu Religionis.

CAPUT PRIMUM.

De essentia Status Religiosi.

1 STatus Religionis est *fidelium ad Christianam perfectionem tendentium, editis votis perpetuæ paupertatis, castitatis, ac obedientiæ, stabilis in communi vivendi modus, ab Ecclesia approbatus*. Dicitur autem status perfectionis non eo sensu, quod omnes Religiosi perfecti esse debeant, sed quod ad perfectionem ex status sui obligatione tendant.

2 Tria sunt substantialia, & essentialia vota Religiosi status, paupertas, castitas, & obedientia, contraria illis tribus impedimentis, veluti laqueis hujus mundi, quibus animus hominis detinetur, quo minus ad Deum se libere erigere possit, teste Joanne 1. Epist. cap. 2. *Quoniam omne, quod est in mundo, concupiscentia carnis est, & concupiscentia oculorum, & superbia vitæ.*

3 Ordo Religiosus a Summo Pontifice approbatus esse debet; eo quod Ordo Religiosus est Sacra quædam Communitas, habens spiritualem jurisdictionem, quæ provenire debet ab Ecclesiæ Prælatis, præcipue Summo ejus Capite Romano Pontifice. Cæterum alias congregationes non sub titulo status Religiosi, sed causa pietatis Christianæ nihil prohibet institui, etiam non requisita Episcopi licentia.

NB. Cum ad essentiam status Religiosi aliud non requiratur, quam editio trium votorum prædictorum, sequitur, Ordines Religiosorum, licet inter se differant accidentali Regularum suarum discrimine, tamen in essentialibus convenire.

4 Ad essentiam status Religiosi non requiritur, ut vota solemnia sint, sed sufficit, illa tria vota Ecclesiæ authoritate acceptari.

NB. Qui in Societate Jesu tria simplicia vota ediderunt, veri Religiosi sunt, quippe se Societati dedicantes, & actu tradentes, quantum ex parte ipsorum, irrevocabiliter; possunt tamen dimitti Superiorum authoritate, ad eum modum, quo servi manumittuntur, licet ipsimet discedendi libertate careant: Ante dimissionem autem invalide contrahunt matrimonium.

6 Qui in Ordinibus militaribus castitatem non absolutam, sed tantum conjugalem voverunt, propriæ

Rele-

Religiosi non sunt. At vero milites Sancti Joannis, & Ordinis Teutonici edunt tria vota substantialia; idcirco veri Religiosi illi sunt.

6 Irrita est Professio Religionis, si addatur conditio statui Religioso repugnans, V. C. ut posset aliquis retinere aliqua bona.

7 Religiosi non sunt, qui editis votis perpetuæ castitatis, ac paupertatis obedientiam etiam voveot Episcopo, aut Confessario præstandam: Cum tali voto non subjiciantur spirituali jurisdictioni, quæ a Christo, medio ejus Vicario, provenire debet.

8 Summus Pontifex etiam in solemnibus votis Religionis dispensare potest, ut aliquis Religiosus esse desinat. Cum enim Pontifex possit dispensare in votis simplicibus, sequitur, etiam posse in solemnibus; cum solemnitas votorum Ecclesiæ inventum sit.

9 Religiosus promotus ad Cardinalatum, vel Episcopatum obstrictus manet essentialibus votis suæ Religionis, licet quoad aliquos effectus, paupertatis, & obedientiæ, exemptus censeatur, idque per accidens: Nam manet nihilominus sub obedientia Summi Pontificis, Capite omnium Religionum.

10 Religiosus factus Episcopus, vel Cardinalis saltem ex moralis honestatis obligatione præscripta Regulæ servare debet, quæ cum munere, ac dignitate sua consistere possunt, V. C. ut Habitum sui Ordinis ferat.

11 Religiosus ad sæcularem Parochiam promotus Habitum suæ Religionis deferre, & alia præscripta Regulæ, quatenus cum munere, & laboribus suis consistere possunt, observare debet, etiam sub culpæ obligatione, si Regula Ordinis ita obliget.

12 Religiosus, dum Parochiam sæcularem administrat, in plerisque Episcopo Diœcesis subjicitur; verum in iis, quæ ad Regulam Ordinis spectant, V. C. ut Habitum gestet, videtur subjectus manere Abbati, & Præposito Monasterii.

CAPUT II.

De Origine, & Varietate Religionum.

1 Status Religionis statim a tempore Apostolorum cœptus hucusque semper duravit, ut auctor est Philo Judæus, Eusebius, & S. Hieronymus.

2 Non licebat Monachis vitam eremiticam colere, nisi prius in Cœnobio virtutem suam probassent.

3 Quatuor sunt Regulæ, S. Basilii, S. Augustini, S. Benedicti, S. Francisci, sub quibus omnes Religiosi vivont, præter Carthusianos, & Societatem Jesu, qui Ordines propria statuta babent.

CAPUT III.

De comparatione Religionum inter se.

1 Omnis variorum Ordinum Religiosorum diversitas accidentalis tantum est; quia omnes variis mediis ad Christianam perfectionem tendunt, quæ est charitas, & conjunctio cum Deo.

2 Triplex est vita: *Contemplativa* (vacando Deo per orationem, & contemplationem mentis) *Activa* (vacando proximo propter Deum per opera misericordiæ tum corporalia, tum spiritualia) & *Mixta* ex utraque.

3 Cujuscunque Religionis perfectio attendenda est tum ex fine ejus proprio, tum ex mediis, quæ ad hunc ipsum finem, & tria substantialia vota implenda, ac denique charitatis perfectionem consequendam convenienter adhibet.

CAPUT IV.

De ingredientibus Religionem.

1 Si parentes ingressum Religionis (prius tamen cum ipsis consilio communicato) impedire velint, iis etiam inconsultis, aut invitis ingredi, ac profiteri fas est, juxta S. Hieronymum: *Sola causa, qua non liceat obedire parentibus, Deus est. Ipse enim dicit: Qui amat patrem, vel matrem plusquam me, non est me dignus.*

2 Si parentes in extrema necessitate sint, filios etiam Professus, licet Prælatus, injuriose licentiam negec dare, egredi potest, & succurrere. Ratio: Quia præceptum Juris naturalis, ac divini, quod est de subveniendo parentibus in necessitate extrema constitutis, nullo voto tolli potest, juxta illud Matth. 9. *Misericordiam volo, & non sacrificium.* Idque intelligo etiam de extraneo in necessitate extrema constituto. Quod si vero inopia parentum extrema non sit, sed gravis, interim filius ingressum Religionis differre debet, dum ipsis succurratur: Quia majore præ aliis hominibus obligatione tenetur filius ad subveniendum parentibus in gravi necessitate constitutis, ad quod se impotentem reddit per Religionis ingressum. Non vero tanta obligatione obstringitur extraneis, ut propter illorum graviorem necessitatem se debeat magna spirituali utilitate privare. Quod si sororibus, aut fratribus subvenire debeat, major debet esse necessitas, quam parentum. Quod si editis votis filius Religiosus factus sit, non potest egredi ad subveniendum in gravi sine licentia Prælati: Quia status Religiosus id postulat, cum exinde magnum detrimentum spirituale tam ipsi egredienti, quam toti Communitati Regulari provenire posset; quandoquidem multi, qui parentes inopes babent, cogitationibus agerentur, an non obligatio ipsis incumbat ex Ordine discedendi, nisi ad hoc licentia Prælati opus esset. Huic autem majori bono conservandæ quietis in Religioso Ordine privatum commodum ipsorum parentum posthaberi debet.

3 Licet Novitii Regula Ordinis non obligentur sub culpa, tamen justis præceptis convenienter eorum statui a Prælato impositis obligari videntur. Prius prob. Quia Novitii Regulam Ordinis non promiserunt, consequenter nec obligantur sub culpa. Posterius prob. Quia Novitii subjiciuntur spirituali potestati Prælatorum: Ergo eorundem justis præceptis ligari possunt; & nisi ligarentur, tanquam vagabundi nullius proximi Ordinarii jurisdictioni subessent.

4 Novitii privilegiis Ecclesiastici fori, & Canonis gaudent, atque Prælati jurisdictioni subduntur.

5 Novitius Ordines accipere potest ab Episcopo Diœcesis, in qua Monasterium situm est: Quia Novitius per ingressum Monasterii, Habitusque assumptionem domicilium acquisivisse censetur, quia ingressus est cum proposito perpetuo manendi, quatenus ex sua parte est, nisi mutatio aliqua eveniat.

6 Si Novitius ab Ordine recedat, non est obligatus ad expensas Ordini solvendas. Ratio: Quia ita Monasteria fundata esse oportet, ut libera Novitiis egrediendi facultas relinquatur; quæ tamen impedita foret, si ad expensas solvendas tenerentur. Excipe: Nisi consuetudo sit, ut pactum ineatur de expensis solvendis, qualis in Monialium quibusdam Monasteriis viget.

CAPUT V.

Quæ conditiones requirantur, ut Professio in Religione valida sit.

1 Professio in Religione duplex est: Alia est expressa, quæ fit verbo, vel scripto. Alia tacita: V. C. Si quis post annum probationis Professorum Habitum proprium triduo gestaverit; imo intra triduum post anuum probationis actum proprium Professorum exerceat, V. C. in Capitulo suffragium ferat.

2 Tempus probationis ob justam causam Novitiis Religionis prorogari potest, V. G. ob morbum, ob defectum ætatis, &c.

3 Ad Professionem in Religione tria necessaria requiruntur: 1. Qualitas, seu aptitudo personæ voventis, videlicet ut 16. ætatis annum expleverit annumque integrum in probatione cum Religioso Habitu steterit, & ut nullum impedimentum substantiale babeat. 2. Consensus, & acceptatio ejus, ad quem pertinet aliquem Religioni incorporare. 3. Ut Professio sponte fiat, non cogente metu injusto, ac gravi.

4 Sicut matrimonium carnale, ita etiam Religionis assumptio per tria vota substantialia, ob nullum errorem qualitatis, seu accidentariæ conditionis infirmatur. V. C. Si quis simulet se sanum, cum leprosus sit, aut legitimum, cum sit illegitimus (*a*).

„ (*a*) Benedictus XIV. in suo opere de Synodo „ Diœcesf. lib. 13. cap. 11. §. 4. notat Regularem, „ qui ante professionem habituali morbo laborat, „ eumque non manifestat etiam interrogatus, valide „ quidem professum esse, nec dimitti a Religione posse; aliter tamen rem se habere in Ordine Capuccinorum, in quo constitutiones Ordinis declarant se „ nolle obligare ad retinendum in eo casu Religiosum. „ Utrum vero Religiosus sic professus possit sponte „ abire non dimissus a Religione, notat quæstionem esse nondum decisam a S. Congregatione.

5 Ad Professionem requiritur, eam acceptari a Prælato Ordinis eum consilio, imo etiam consensu Capituli. Unde, si non acceptatur Professio, Professus non obligatur: Quia Professio Religionis continet in se quasi contractum, & obligationem reciprocam inter profitentem & Monasterium, cui incorporatur: Ergo, si altera pars non acceptet, nulla orietur obligatio.

6 Metus gravis, & injustus ipso jure infirmat Professionem Religiosam, ut nulla exinde obligatio oriatur. V. C. Si Novitius incarceratus fuit propterea, quod discessum petierit. Item metus reverentialis; si minentur consanguinei, nihil amplius subsidii præbendum, si e Religione egrediatur.

7 Post quinquennium a die Professionis non auditur Religiosus in externo foro, si dicat, Professionem suam ob metum, vel aliud impedimentum irritam fuisse.

8 Licet alicujus Professio ipso jure irrita fuerit, tamen subsequente expressa, vel tacita ratificatione coram Prælato, iisque, quorum interest, facile convalescit.

9 Qui actum ratificat, scire debet, eum ex juris dispositione irritum esse; cum enim incogniti nulla voluntas sit, non potest is censeri ratificasse Professionem, quam ignoravit esse irritam: Quemadmodum si quis ad sponsalia, vel alios contractus obligatus esse velit, quia nescit irritos esse, cognito deinde errore nihilominus resilire potest.

10 Qui gravi metu adactus Sacrum Ordinem suscipit, non obligatur ad continentiam per se loquendo, seclusu scandalo; si tamen ratificet, utpote tamen charactere insignitus, incipit obligari.

CAPUT VI.

De variis Votis Religionem ingrediendi, & profitendi.

1 QUi generatim vovit, se Religionem ingressurum, debet moralem diligentiam adhibere, ut in aliquo Ordine suscipiatur, idque spectata intentione voventis; ut supra de votis. Si autem in sua Provincia non suscipiatur aditis pluribus Monasteriis, spes tamen sit alibi susceptum iri, ex circumstantiis personæ voventis colligendum est, utrum tantam etiam ad alias terras se conferendi obligationem suscipere intenderit. Nam masculi solum intentionem censentur habere ad Monasteria suæ patriæ: Fœminæ solum ad vicina Monasteria propter commoditates cognatorum. Quod si quis in Ordine laxiore non recipiatur, non tenetur ad strictissimum, V. C. Capucinorum, si homo sit delicatus: Quia in generali promissione non veniunt ea, quæ quis verisimiliter in specie promissurus non fuisset. Nec adigendus est, ut fiat Laicus in Monasterio; nisi specialiter vovit, quodcunque munus accepturum.

2 Sub generali voto Religionem ingrediendi non videtur comprehendi Religio non claustralis Equitum militarium: Neque dispensatus ad suscipiendam aliam Religionem, etiam laxiorem, transire potest ad non claustralem.

3 Qui certam Religionem vovit, etsi in uno Monasterio repulsam ferat, debet alia Monasteria ejusdem Ordinis adire, si spes sit, susceptum iri. Secus est, si ingressum certi Monasterii ex causa speciali voverit, sive in sensu composito, videlicet cum dependentia ad certum locum: & non in sensu diviso, videlicet per se, qualicunque loco.

NB. Peccat contra Religionis virtutem, qui se impotentem reddit ad Monasterii ingressum contrahendo ingentia debita.

4 Etsi vovens semel repulsam passus fuerit, debet nihilominus ingredi, si Religiosi mutata voluntate eum postea recipere velint. Ratio: Quia votum Religionis editur in honorem Dei, atque voventis spiritualem utilitatem; non autem in favorem Religiosorum, ut hi, juri suo renuntiantes, voventem obligatione sua liberare possint; Enim vero, tametsi eorum consensus sequiratur tanquam conditio, sine qua vovens votum suum exequi non potest, ideoque excusetur, quamdiu facultas denegatur; quamprimum tamen consensus, & aditus præbetur, jam obligatio exequendi urget. Excipe: Nisi interim Novitius fuerit in alia Religione, propter difficultatem secedendi, & notam levitatis. Idem sentiendum est, si quis existimans in Religione, quam vovit, susceptum non iri, bona fide sponsalia celebravit, quæ non sine infamia dissolvi possunt.

5 Qui Religionem absolute vovit; is neque tenetur, nec licite potest ingredi Ordinem, cujus regularis disciplina collapsa est, propter perversionis periculum.

6 Qui vovit Religionem laxiorem, licite ingreditur, ac profitetur strictiorem; qui vero strictiorem, peccat ingrediendo Religionem laxiorem sine dispensatione: Quia minus præstat, quam promiserat, valida tamen est Professio. Ratio: Quia alterum votum solemne (in quo personæ traditio fit, & Religioni jus in ipsam acquirit) derogat priori simplici voto, per quod nullum tale jus strictiori Religioni acquisitum erat.

7 Votum ingrediendi, & experiendi Religionem strictiorem quisque commutare potest in votum profitendi, ac perseverandi in Religione laxiore. Ratio: Quia votum perseverandi in laxiore melius est, & plus obligans, quam votum tantum ingrediendi, & experiendi strictiorem.

8 Qui vovit, se Religionem strictiorem ingressurum, ordinario peccat ingrediendi laxiorem sine obligatione in ea perseverandi: Quia minus præstat, quam promisit; nisi Ordo laxior facultatem dispensandi habeat, V. C. Societas Jesu. Ratio: Quia tali conditione privilegium a Sede Apostolica concessum est.

9 Professus unius Ordinis ad alium strictiorem transire non prohibetur, petita tamen, ne bonum obedientiæ contemnere videatur, licet non concessa Prælati sui licentia. (*a*) Ad æqualem autem, vel laxiorem Ordinem transeundi licentiam Episcopus, vel Prælatus ob justam causam dispensative concedere potest.

„ (*a*) Modo vero non sufficit sola Prælati licentia,
„ sed & requiritur consensus summi Pontificis.

NB. Mendicantes non possunt transire ad alium Ordinem non Mendicantium (excepto Carthusianorum) sub Excommunicatione Papæ reservata: Et licet cum licentia Papæ, aut Ordinis transeant, tamen non habent vocem in Capitulo, nec administrationes, nec Prioratus, & officia consequi possunt.

10 In transitu ad Religionem strictiorem attendi debet ad majorem severitatem externam, præsertim circa silentium, & solitudinem; idque ob vitandas contentiones: Nam, quæ Religio altera austerior sit, magis patet, quam quæ magis ad Christiani hominis finem pertingat.

NB. Austeritas Ordinis attendenda non est secundum institutum Regulæ, sed secundum observationem præsentem, in tantum, ut Professus in strictiore Ordine, ubi non servantur Regulæ, possit transire ad laxiorem; nisi spes sit reformationis.

11 Canonici Regulares transire possunt ad Monachos; sed non vice versa: Quia Religio Monachorum austerior est. Quod si quis ab Ordine ad alium transire velit, & non recipiatur, debet redire ad suum Ordinem: Quia non simpliciter ex Ordine dimissus est, sed sub conditione, ut alium ingrediatur: Ergo hoc non secuto redire debet (*b*).

„ (*b*) Quoad transitum unius Religionis ad aliam
„ Benedictus XIV. in sua Bulla: *Pastor Bonus* Bull.
„ Tom. I. num. 95. edicit majori Pœnitentiario Ro-
„ mano, ut possit concedere eam licentiam, modo
„ tamen restringat facultatem ad Ordines, in qui-
„ bus Regularis observantia viget; & in dubio at-
„ testatio Ordinarii requiratur. Restringitur et-
„ iam ea facultas ad Ordines Hospitales, & mili-
„ tares.

12 Qui Religionem absolute vovit, nisi de alia ejus intentione constet, censeri debet, solum ingressum, & probationem promisisse: Quia in dubio vota, sicut & pacta, secundum jus commune, & consuetum morem interpretanda sunt: Jus autem commune Religionem ingredientibus anni spatium concedit ad experiendum. Quod si tamen sine justa causa egrediatur, censetur contra votum peccare mortaliter: Nam, qui Religionem vovet, censetur se ad id saltem obligare velle, quod alii, qui sine voto ingrediuntur, præstare obligati sunt: At vero hi tenentur perseverare, si nulla justa causa recedendi occurrat.

13 Qui vovit, se in Religione professurum, exeundi libertate privatus est; vel si exeat, debet iterum ingredi, si sublato impedimento, V. C. morbi, in hoc, vel alio Ordine suscipiendus sit.

14 Qui simul continentiam, & Religionem vovit, si nec ex verbis, nec ex circumstantiis colligi possit, utrum continentiam per se, an cum dependentia Religionis promittere voluerit, benigniorem partem præferre

potest,

potest, adeo, ut, si voto Religionis solutus fuerit, omnino liberatus censeatur.

15 Qui post editum votum Religionis ingrediendæ, aut profitendæ, Episcopatum accepit, est voti transgressor, & Episcopatum, quatenus ex sua parte est, resignare debet: Quia status Episcopalis non est status perfectionis propriæ, sed alienæ; siquidem non tam hominem perficit, quam perfectum exigit. Quod si talis sit confirmatus, debet petere dispensationem a Summo Pontifice.

CAPUT VII.

De Voto Paupertatis in Religione approbata edito.

1 RAtione voti paupertatis obligatur Religiosus, ne quid proprium habere possit.

2 Religiosus retinet dominium honoris, & famæ suæ: Capax est etiam juris eligendi, præsentandi, beneficiorum regularium.

3 Scholastici, & Coadjutores temporales, qui in Societate Jesu post biennium probationis vota simplicia ediderunt, retinere, & acquirere possunt dominium rerum radicale, V. C. hæreditatem; privati tamen actuali jure de iis arbitratu suo disponendi. Si tamen reipsa inter vivos, aut mortis causa de bonis suis disponant absque consensu Superioris, videtur valida esse dispositio, licet ipsi peccent contra votum paupertatis: Quia retinent dominium bonorum, donec se iis abdicent; non autem se abdicant ante Professionem solemnem, per quam ipso jure privantur dominio rerum ante habitarum.

4 Sine consensu Prælati expresso, aut præsumpto Religiosus nullam rem pretio æstimabilem accipere, retinere, absumere potest.

NB. Comestibilia, fructusve, accepta a Religioso in notabili quantitate, constituunt mortale; Quia solus etiam usus, seu absumptio rei repugnat voto. Sæpe etiam commutationes peccaminosæ sunt, sed solum venialiter, V. C. Breviarii, aut si permutetur vestis cum aliis, quæ sibi magis accommodata videntur, utpote repugnantes religiosæ paupertatis perfectioni. Item peccat Studiosus Religiosus, abutens pecuniis pro victu ad lusum; item esculenta ex mensa pro se posita secum auferens.

5 Si Religiosus parcius vivendo aliquid reservat, non sibi acquirit, sed Monasterio manet, quippe dominii incapax, ideoque nihil sibi proprium acquirere reservando potest.

6 Religiosus etiam contra votum paupertatis delinquit, si res ipsi ad usum concessas destruat per culpam crassam, quæ dolo æquiparatur: Quia is actus est proprius dominii, posse rem arbitratu suo destruere, perdere; Religiosus autem, cui solus usus facti concessus est, non potest actum talem dominii exercere sine violatione paupertatis voti: & si Religiosus peculium habet, suæ administrationi commissum, debet ex eo restitutionem facere Monasterio.

7 Quidquid Religiosus contractu, donatione & hæreditate acquirit, Monasterio acquirit: Monasterium autem non obligatur ex contractu vel delicto Religiosi, nisi quatenus consensum præbuit, vel aliquod inde commodum accepit.

8 Peccare censetur Religiosus contra votum paupertatis, si quædam abscondat, ne Prælatus ipsum habere sciat, aut revocare possit: Quia tales sunt actus tanquam dominii independentis, sive juris proprietarii, qui voto paupertatis repugnant.

9 Administratores, & Œconomi Religionis plus dare non possunt, quam Ordinis Regula, consuetudo, vel Superioris voluntas permittit.

10 Prælati Regulares contra votum paupertatis, & adversus justitiam peccant, si bona Conventus aliter expendant, aut donent, quam Ordinis Regula, aut consuetudo permittit: Quia Prælati non sunt bonorum communium domini, sed solum Administratores.

11 Quanta materia ad transgressionem voti paupertatis requiratur, ita definiri solet, sicuti in furto (a).

„ (a) In furto tamen filiorum; quia Religiosi sunt „ filii Religionis.

12 Religiosi peculium habere possunt secundum Professionem, & administrationem dependentem a Prælati voluntate, V. C. Beneficium Parochiale cum licentia Prælati; item vestes, & alia necessaria annue dari solita a parentibus, aut consanguineis, pro consuetudine Monasterii.

NB. Peculium dicitur quasi pusilla pecunia, vel pusillum patrimonium; quod duplex est. Unum juris perfecti, ac independentis, quod est proprie dictum dominium, seu facultas disponendi de re suo arbitratu, & hujus incapax est Regularis. Aliud peculium est dependens a voluntate Prælati, quoad solam administrationem; & hujus capax est Regularis.

P. Layman P. II.

13 Tridentinum Concilium videtur prohibuisse, ne Religioso designentur stabiles reditus instar cujusdam peculii, quamvis dependentis a Prælati voluntate; licet aliqui Doctores non sine probabilitate negent, id Tridentino Concilio adversari.

NB. Licet alioquin Monasterium non teneatur ex delicto Monachi; tamen, si peculii administrationem habeat, præsertim extra Monasterium degens, ex eo damnum resarciendum est.

14 Prælatus Religioso licentiam dare non potest res absumendi in usus vanos, aut illicitos, sed tantum expendendi ad utilitatem Monasterii publicam, vel privatam: Nam Prælatus subdito majorem facultatem conferre non potest, quam ipse habet; cum autem is bonorum Monasterii dominus non sit, sed tantum Administrator, ideo ea arbitratu suo, atque inutiliter expendere non potest, sed tantum in ejusdem Ecclesiæ bonum, seu utilitatem: Ergo.

15 Etiam Abbatissæ Monialibus sibi subditis licentiam dare possunt accipiendi, expendendi, retinendi, quæ justa sunt.

16 Religiosus, si rem aliquam donatam absolute acceptet in favorem alterius, non interveniente licentia Prælati, peccat contra votum paupertatis: Secus tamen, si se habeat tantum ut intercessor, eleemosynarius, internuntius; quamvis hoc repugnet Regulis Societatis. Ratio: Quia sicut in priori, ita etiam in hoc casu Religiosus jus aliquod pretio æstimabile sibi usurpat, si accipiat pecuniam suo arbitratu pauperibus dissolvendam, ita, ut a dante revocari non possit.

17 Religiosus beneficiarius interim, dum beneficium obtinet, administrationem redituum habet a SS. Canonibus sibi concessam; quos proinde ad pias causas, aut ad sui sustentationem applicare potest: Et hoc habet locum etiam in beneficio manuali. Ratio: Quia talis est natura beneficii Ecclesiastici, ut tribuat alicui jus administrandi reditus ad necessarios vel pios usus. Reditus autem ex tali beneficio relicti post mortem Religiosi ad Ecclesiam, cui servivit, pertinent.

18 Quæ Religiosus beneficiatus aliunde (V. C. hæreditate, donatione) quam ex beneficio acquirit, Monasterium sibi vendicare potest.

19 Prælatus Religioso usum alicujus rei tanquam irrevocabilem concedere non potest, adeo, ut etsi promittat, se non revocaturum, nihilominus absque injuria revocare possit: Nam Prælatus nihil Religioso contra votum paupertatis concedere potest; repugnat autem voto paupertatis, habere usum alicujus rei independentem, & irrevocabilem a Prælato.

20 Si Monacho hæreditas, aut legatum relinquatur ea lege, ut ad ipsum, & non ad Monasterium pertinere debeat, explicari debet, voluisse testatorem, ut ad Monachum pertineat cum consensu Prælati. Quare, si Prælatus consensum negat, corruit legatum, vel institutio. Ratio: Quia *dispositionem qualemcunque ita interpretari oportet, potius ut valeat, quam ut pereat.* Et: *Perplexitas verborum secundum præsumptam voluntatem testatoris ordinanda est.* Et: *Verba testatoris debent intelligi secundum conditionem personæ, cui aliquid datur.* Atqui Monachus hæreditatis aliter capax non est, nisi quoad usum dependentem a voluntate Prælati. Monachus tamen legatum sibi relictum potest Monasterio resignare: Quia conditio illa a testatore apposita erat in gratiam Monachi; quivis autem favori suo renuntiare potest.

21 Si testator expresserit, non aliter se relinquere Monacho, nisi ut habeat rem independenter a Prælati consensu, irritum est legatum; sed in dubio non est præsumendum id adjectum fuisse ut conditionem proprie dictam, sed ut modum, qui, si impossibilis sit, pro non adjecto habetur.

22 Pœnæ Religioso proprietario (videlicet qui aliquid ut proprium retinet) Canonico jure decretæ sunt. 1. Si absque pœnitentia mortuus fuerit, in loco sacro non sepeliatur, aut sepultus extrahatur iterum. 2. Ut ad agendam pœnitentiam in carcerem detrudatur. 3. Ut biennio voce activa, & passiva sit privatus.

CAPUT VIII.

De Voto Religiosæ Castitatis.

1 SI Religiosus contra castitatem peccat, duo peccata committit, sacrilegium, & impudicitiam.

2 In genere luxuriæ non accidit peccatum veniale propter materiæ parvitatem. Ratio: Quia, cum omnis venerea carnis commotio suapte natura ordinatum medium sit ad externam generationem, pollutionemve, ideo sicut hanc voluntarie velle est mortale in quovis soluto, sic in Religioso non unum, sed duo mortalia. Ita similiter est, si deliberate aliquis consentiat in delectationem, vel commotionem veneream.

CAPUT IX.

De Voto Religiosæ Obedientiæ.

1 SI Prælatus juste aliquid præcipiat Religioso, cum voluntate eum obligandi, contra obedientiæ votum peccat ille, nisi obediat. Ratio: Quia Religiosus hoc ipsum vovit; Ergo est transgressor voti, si obedire recuset.

2 Non eadem est in omnibus Religionibus voti obedientiæ perfectio; quare nec eadem præcipiendi potestas, & obediendi necessitas.

NB. Monachus præcipienti Prælato V. C. Episcopatum, aut austeriora, quam Regula requirit, non tenetur obedire, cum præcipiendi limites excedat; alioqui enim Prælatus præcipere potest, nisi quod directe, vel indirecte pertinet ad Regulam Ordinis. Quare obedientia alia est *indiscreta*; videlicet si quis obediat contra legem Dei, vel Regulam Ordinis. Alia *imperfecta*; nempe si quis tantum obediat in his, quæ secundum Regulam sunt. Et alia *perfecta*; si quis obediat in omnibus, quæ non sunt contra legem Dei, aut Regulæ.

3 Raro Superiores Ordinum sub culpæ obligatione præcipere aliquid censendi sunt; nisi utantur his verbis: *In virtute S. Obedientiæ*.

NB. Religiosi non Exempti in Ecclesiasticis disciplinis obedire tenentur etiam Episcopo; sed non vi voti, sed vi hujus magis Abbati.

4 Probabile est, quod Prælatus Ordinis propter votum obediendi in omnibus, quæ justa sunt, etiam actus internos præcipere possit; licet consuetum non sit, nec consultum, ut talia sub peccato præcipiantur. Ratio: Quia Prælati Regularium possunt irritare vota interna ipsorum. Ergo & habent gubernativam potestatem in actus internos. Deinde Religiosi possunt vovere internos actus.

5 Quæ ex genere suo indifferentia sunt, a Prælato bono fine, V. C. ad mortificandam propriam voluntatem, præcipi possunt.

6 Si Ordinis Regula obliget sub peccato, ejus transgressio videtur esse contra votum, ideoque sacrilega. Ratio: Cum enim Religiosus in Professione promittit servare Regulam, secundum eum modum censetur se obligare, quo Regula exigit. Quare, si Regula (V. C. S. Francisci) imponat silentium sub peccato, tunc non minus peccant transgressores contra votum, quam si Superioris actuale præceptum violent; quandoquidem lex, sive Regula ipsorum non minus præceptiva est, quam vox Superioris.

NB. Si Carthusianus comedat carnes, dupliciter peccat, contra votum, & contra temperantiam, cujus intuitu regulare statutum editum fuit.

7 Si Ordinis Regula sub culpa non obligat, ejus transgressor non peccat contra votum obedientiæ: Quia votum obedientiæ intelligitur de iis tantum, quæ continent proprie præceptum. Nihilominus potest Superior propter transgressionem pœnam imperare, cum obligatione eam suscipiendi ex obedientiæ voto; quamvis non semper ita obligare soleat.

8 Religiosus in Ordine Prædicatorum, aut Societate Jesu transgrediens Regulam bono aliquo fine, seu motivo, V. C. si extra tempus loquatur cum socio, ut mœstum consoletur, non peccat: Quia Regula non obligat sub peccato: Licet pœnam regularem suscipere paratus esse debeat, si inferatur.

9 Sin vero Regulam violet ob torporem, aut libidinem, peccat saltem venialiter; imo si quis frequenter transgrediatur, & hoc modo religiosam disciplinam graviter perturbet, mortaliter peccat.

10 Regulares professi non tenentur acceptare novam Regulam, seu arctiorem vivendi modum, quem nec explicite, nec implicite professi fuerunt. Ratio: Quia Religiosi per votum obedientiæ non transtulerunt omnem voluntatem in Superiorem, ut quælibet ipsis imperare possit, sed ea solum, quæ ad observationem Regulæ, quam profitentur, directe, vel indirecte spectant: Nec Summus Pontifex potest cogere Religiosum ad arctiorem vivendi rationem, quam prima instituti forma postulat: Quia speciale obedientiæ debitum, quo Religiosi erga Summum Pontificem adstringuntur, ex voto eorum provenit, quod erat secundum proprium Regulæ institutum. Sed, ut Episcopatum accipiant, possunt cogi, cum ut alii Clerici Summo Ecclesiæ Pastori subjecti sint.

11 Si strictior observatio necessarium medium videatur ad substantialium votorum in tali Ordine observationem, Regularibus authoritate Prælatorum imponi potest, licet eam expresse non voverint. Ratio: Quia talis observatio indirecte pertinet ad Regulam, quando sine ea Regula in suo vigore conservari non potest; consequenter cum Religiosus Regulam profitetur, seu vovet, implicite etiam se obligat ad ea omnia, sine quibus Religio conservari nequit.

12 Prælati Ordinum Exemptorum quasi Episcopalem in suos Regulares jurisdictionem obtinent. Quare, sicut Episcopus Regularibus sibi subditis leges ferre potest, quæ ad Ecclesiasticam disciplinam spectant; ita etiam Abbas Exemptus, non quidem strictiorem Ordinem reddendo, sed utilia, & necessaria solum præcipiendo. Imo Prælati non Exempti per consuetudinem id possunt.

13 Si appareat, Regulæ, ac disciplinæ, temporis diuturnitate collapsæ, reformationem necessarium medium fore ad Ordinis conservationem, Prælatus cum Capitulo, multoque magis Summus Pontifex Professos omnes ad acceptandam reformationem compellere potest.

NB. Prælati, sicut Episcopus, possunt ex potestate gubernativa V. C. præcipere jejunium pridie Festi Patroni.

CAPUT X.

De Prærogativis Religiosi Status.

1 PEr vota Religiosa (in gratia constituti) omnium peccatorum remissionem consequimur. Ratio: Quia, qui partem bonorum propter Deum in eleemosynam pauperum dat, ut Zachæus Luc. 19. pro peccatis satisfacit, juxta Dan. 4. *Peccata tua eleemosynis redime*. Ergo qui omnia sua, & seipsum divinis obsequiis tradit, is plene satisfacit; siquidem Religionis assumptio omne genus satisfactionis superat. Consequimur autem hanc plenissimam peccatorum remissionem certius, & perfectius, quam per plenariam indulgentiam: Quia indulgentia, cum sit condonatio quædam ex authoritate Summi Pontificis, causam concedendi justam requirit. At vero ad remissionem peccatorum, junctam cum Professione Religiosa, aliud insuper non requiritur; quandoquidem ea remissio ex natura, & præstantia ipsius operis per modum cujusdam justæ exsolutionis ex Christi meritis promanat.

2 Probabile est, etiam per renovationem votorum hoc beneficium obtineri posse: Nam vota Religionum ideo afferunt plenam remissionem peccatorum, quia continent perfectam hominis traditionem erga Deum: Sed hæc traditio reiterari potest: Ergo etiam remissio peccatorum iterato acquiri potest.

3 Per Religionis Professionem omnia alia vota, & juramenta pia ipso jure exspirant. Ratio: Quia per obligationem Professionis Religiosæ omnes hominis facultates, ac vires in perpetuum, & irrevocabiliter Deo offeruntur, ideo eminenter in se continet omnes alias particulares obligationes; ad eum modum, sicuti si quispiam erga hominem obstrictus debitis omnia bona sua illi offerat, se ipsum in perpetuum servum addicat.

4 Illegitimi, etiam spurii, si Religionem professi sunt, absque alia dispensatione Ordines suscipere possunt; sed ad Prælaturam, & dignitates promoveri non debent.

5 Susceptio status Religiosi maculas legales aufert quoad actus temporales, ita, ut damnatus de crimine, V. C. furti, postea ad testimonium in judicio, & similes actus legitimos admitti possit. Solvitur etiam per Professionem patria potestas; dimissus tamen e

Socie-

Societate redit ad patriam potestatem, nisi sit in Sacris Ordinibus.

6 Professio Religionis tollit ingratitudinis notam, ob quam hæres necessarius alioquin exhæreditari posset: Æquum enim est, ut per conversionem ad Religiosum institutum prioris delicti macula, saltem in ordine ad temporales actus, & jura, expurgetur.

NB. Professio solemnis dirimit matrimonium contractum, sed non consummatum: Professio vero per vota simplicia solum dirimit contrahendum.

CAPUT XI.

Utrum Religiosus in judicio stare possit?

1 Religiosus in judicio nec ut Actor, nec ut Reus stare potest. Ratio: Quia Religiosus, cum omne jus in Monasterium transtulerit, ac veluti mortuus sit, comparatur servo: Servus autem in judicio nec agere, nec conveniri potest. Excipe 1. Religiosum Beneficiatum cum libera administratione, V. C. Parochum. 2. Si Religiosus absens sit a Prælato, V. C. in studiis, ut facile licentiam petere non possit, & de ex concedenda rationabilem præsumptionem habeat. 3. Si Religiosus obligationem contraxit ante Ordinis ingressum. Sententiæ tamen executio fieri debet in bonis Monasterii, quatenus ex Monachi patrimonio consecutum fuerat. 4. Si Religiosus Abbatem ex rationabili causa accusare velit. 5. Monachus ob delictum conveniendus est, non Monasterium; sicut nec dominus ob servi delictum.

2 Religiosus non potest esse Procurator, nec Advocatus in judicio, nisi cum licentia Prælati, & utilitate Monasterii. Consilium, quid in quacunque causa secundum Jura agendum sit, possunt dare; quia non est prohibitum illis.

3 Si Religiosus absque licentia Prælati in testamento ad causas profanas, aut in judicio testimonium interponat, male agit; sed interpositio testimonii valet.

4 Munus Tabellionis Religiosus non amplius potest exercere; valent tamen illius acta.

5 Religiosus nec Judex esse potest, nec assessor, nisi cum consensu Prælati, & in causa spectante ad Monasterii utilitatem.

6 Licet Religiosus ordinarie non possit esse arbiter a partibus constitutus, ut secundum Juris terminos sententiam ferat; potest tamen esse arbitrator, nempe amicabilis compositor a partibus electus, ut pro bono pacis servandæ unius juri demere, &, alteri tribuere possit, vitata tamen læsione magna

7 Prælati Ordinum constitui possunt Judices conservatores. Dicitur autem Judex conservator, qui ex Summi Principis voluntate. qualis in Ecclesiasticis est Papa, miserabilium personarum, puta, viduarum, pupillorum &c. causas contra injuste vexantes suscipit, ac defendit.

CAPUT XII.

De Clausura Monialium.

1 Clausura Monialibus Professis (etiam Conversis) omnibus severissime præcipitur, nisi ob necessariam causam licentia ob Ordinario, Prælato, Episcopo, obtenta fuerit. Causa legitima est pestis, lepræ periculum, item incendii, hæreticorum incursus. At vero ad aerem mutandum ob morbum periculosum non potest permitti egressus: Quia SS. Canones significant, causam, ob quam egressus permitti possit, debere esse publicam. Aliter egredientes Excommunicationem reservatam Papæ incurrunt.

2 Ingressus intra Claustra Monialium sub Excommunicatione prohibitus est; præterquam si ob causam necessitatis licentia ab Ordinario in scriptis obtenta sit. Excipe pueros ante rationis usum. Episcopus ob justam causam cum sociis ingredi potest, Sacerdos ad communicandum, Medicus, Chirurgus, fabriferrarii ob necessaria.

3 Constitutiones de Clausura Monialium, & prohibito ingressu intra septa Monasterii Monialium, non ubique quoad omnem modum receptæ sunt.

4 De ingressu mulierum intra Claustra virorum Regularium non ita constat, sub mortali, & Excommunicatione prohibitum esse: Nam in pœnalibus nomine masculino non comprehenditur fœmininum. (a) Constitutio Pii V. quoad prohibitionem istam in Germania recepta non est.

P. Layman P. II.

„ (a) Bened. XIV. in sua Bulla: *Regularis disciplinæ*, innovavit omnes constitutiones superiorum „ Pontificum circa Clausuram omnium Monasteriorum tam virorum, quam fœminarum. Quin & „ prohibet promiscuum ingressum virorum cum fœminis intra septa Monasterii sub prætextu comitandi solemnes supplicationes, quæ fiunt intra eadem septa etiam cum delatione Sanctissimi Sacramenti.

5 Certi casus sunt, quibus sæculares ad Regularium virorum habitationes sine scandalo, & peccato admittuntur. I. Reginæ cum comitatu. II. Fundatrices Monasterii. III. Aliæ fœminæ Illustres cum comitatu. IV. In sacristia Ecclesiæ simul admittuntur mulieres comitantes. V. Si Religiosi in residentia vivunt Monasterio nondum constituto. Honestæ etiam mulieres, seposito scandalo, possunt admitti ad aulam Abbatis sejunctam a Claustro.

CAPUT XIII.

De Religiosis ejectis, & fugitivis.

1 Religiosi ob justas causas a Religione per sententiam ejici possunt. 1. In crimine notorio incorrigibiles existentes. 2. Si ob criminis infamiam sine gravi Ordinis detrimento tolerari non possunt: Nam, ut S. Hieronymus ait: *Resecandæ sunt carnes putridæ*. 3. Si quis reticuit morbum epilepticum per fraudem. (b) Monialis incorrigibilis debet includi in perpetuum carcerem.

„ (b) Bened. tamen XIV. de Synod. Diœces. l. 13. „ cap. 11. §. 4. notat expelli non posse Religiosum, „ qui ante professionem habituali morbo detinetur, „ nec interrogatus, vitium suum manifestat, nisi post „ professionem.

2 Religiosus ejectus adstrictus manet votis substantialibus, & rerum dominium non acquirit, sed solum usum, & administrationem habet.

3 Si Religiosus ejectus alicui Ecclesiæ inserviat, bona ab ipso acquisita ad eandem Ecclesiam spectare debent. Fugitivi autem, & Apostatæ bona pertinent ad Monasterium, ex quo fugit, modo Monasterium sit capax: Quia ejusmodi nebulones non sunt liberati a jure, ac potestate Monasterii.

4 Ejectus per sententiam non est omnino liberatus a voto obedientiæ; licet magna ex parte ejus executio cesset, donec in Ordinem recipiatur. Unde voto obligati manent virtualiter, ut proinde parati esse debeant obedire, si in Ordine denuo recipiendi sint; ad eum modum, quo Episcopi Religiosi *virtualiter adhuc obligantur, ita scilicet, quod si eis legitime aliquis præficiatur, obedire teneantur*, secundum D. Thomam 2. 2. q. 186. a. ult. ad 3.

5 Probabile est, quod ejectus per sententiam interim monasticis observationibus liber sit: Quia eæ non comitantur Professionem trium substantialium votorum absolute, sed quatenus servari debent sub Regula, seu statu vitæ regularis, a qua tamen ille expulsus est.

6 Ejectus ob crimen debet se corrigere, ac redire, præsertim si ab Ordine revocetur. Ratio: Cum enim talis Religiosus substantialibus votis, ac Religiosa Professione absolutus non sit, tenetur se idoneum reddere, quatenus potest, ut sua vota exequi possit. Neque sententia contra Reum lata eidem prodesse debet, ne ex iniquitate commodum ferat; prodesset autem, & commodum ferret ex iniquitate, si redire non cogeretur, maxime revocatus. (c)

„ (c) De ejectis multa admonet Bened. XIV. de „ Synod. Diœces. lib. 13. cap. 11., præsertim non „ esse ut incorrigibiles ejiciendos nisi præcesserit carceratio sex mensium in pœnitentia, & jejunio, ac „ sententia provincialis, adhibitis sex aliis ejusdem „ provinciæ Religiosis confirmandis a Superiore generali. Latam contra illos sententiam notificandam „ esse Ordinario loci, cujus mandatis obsequi debent „ ejecti. Illi vero manent obstricti voto castitatis; „ Sunt suspensi ab exercitio ordinum: voto etiam „ paupertatis, sed cum quadam moderatione, demum „ obedientiam præstare debent non quidem proprio „ Superiori, sed Episcopo.

7 Prælati Ordinum Apostatas, & ejectos suos non semper reducere, aut redeuntes recipere tenentur; præsertim si incorrigibiles videantur, aut sine scandalo, vel Ordinis detrimento recipi nequeant: Si enim ob ta-

ob talem causam interdum ejici possunt Regulares, multo magis etiam, postquam malitiose exierunt, non recipi.

8 Si ejecti in suo Ordine non recipiantur, tuto in seculo manere possunt: Quia alium non voverunt, & per ipsos non stat, ut in eum, quem voverunt, restituantur.

9 Interdum Prælati Ordinum ob justam causam ejiciunt Professum tali pacto, ut aliam profiteatur Religionem: Quam conditionem, si Professus acceptavit, implere tenetur, vel regressum ad suam Religionem impetrare; idque ob periculum male vivendi, si in sæculo maneat, & ob scandalum.

10 Religiosus Professus in uno Monasterio ob causam justam cogi potest, ut eas ad aliud Monasterium ejusdem Ordinis; modo Monasteria sint sub eodem Generali. Quod si Monasteria non sint sub eodem Generali, jure communi non tenetur. Ratio: Quia non vovit Regulam, & obedientiam, nisi in hoc Conventu.

TRACTATUS VI.

De Decimis.

CAPUT PRIMUM.

De Notione, Definitione, ac Divisione Decimarum.

1 SPectato communi Jure Canonico, ex omnibus licite acquisitis decima pars Ecclesiæ Ministris debetur. Decima autem dicitur: Quia pars decima est fructuum, aut bonorum, ex quibus penditur, juxta Levit. ult. cap. *Omnes decimæ terræ, sive de fructibus, sive de pomis arborum Domini sunt*. Sumitur ex c. pervenit, de Decimis. Et S. Augustinus. *Decimæ ex debito requiruntur, &, qui eas dare noluerit, res alienas invasit*.

2 Certum est, tanquam Apostolica Traditio, & absque temeritate negari non potest, Decimarum præstationem Ecclesiæ Ministris fieri solitam, a prima Ecclesia hucusque inter Christianos usitatam fuisse.

3 Decimæ aliæ sunt prædiales, quæ ex fundis, agris, vineis, sylvis, hortis, ædium locatione penduntur. Aliæ personales, quæ ex lucro personalis industriæ, puta, negotiatione, militia, venatione &c. penduntur. Aliæ mixtæ, quæ ex fructibus pecorum concurrente industria personali, lacte, caseo, ovis, &c. penduntur.

4 Decimæ prædiales, & mixtæ integræ solvi debent, non deductis impendiis culturæ, neque deducta pensione census, aut tributi: Quia Decimæ ante has exactiones solvi debent, vel, si aliter factum fuerit, ii, ad quos census, vel tributa indecimata pervenerunt, Ecclesiis decimare coguntur, quia *res transit cum onere suo*. Decimæ autem personales non nisi deductis expensis debentur; solvuntur enim ratione lucri: Lucrum autem non intelligitur, nisi deductis impendiis. l. Mutius, ff. pro socio.

NB. Decimas prædiales, ac mixtas in Veteri Testamento Deus præcepit integras solvi: Non autem oportebat Ministros Evangelicos deterioris esse conditionis, quam Sacerdotes veteres. Sed personales Decimæ ab Ecclesia primum imperari ceperunt, quia non omnes Christiani possessiones immobilium habebant; quos tamen etiam ad Ministrorum sustentationem aliquid contribuere oportebat, juxta S. Augustinum: *Quod si Decimas non habes fructuum terrenorum, quodcunque te pascit, ingenium Dei est, & inde Decimas expetit, unde vivis*. Sed tales jam abolitæ sunt.

5 Decimæ aliæ sunt majores, vini, frumenti &c. Aliæ minores, pomorum, gallinarum, &c. Item aliæ Ecclesiasticæ, quæ primævam institutionem suam retinentes Ecclesiæ Ministris ob spirituales eorum functiones stipendii loco a fidelibus præstantur. Aliæ vero, quæ ex concessione Ecclesiæ ob justam causam laicis obvenerunt, ideoque *laicales* Decimæ appellari solent; quales etiam sunt decimæ profanæ, impositæ loco tributorum a dominis temporalibus.

6 In dubio Decimæ censeri debent non Laicales, sed Ecclesiasticæ; quippe quod Christianis communis lex, & consuetudo semper fuerit, ut ex prædiis suis Ecclesiæ Decimas penderent.

CAPUT II.

Quo jure Decimæ Ministris Ecclesiæ pendantur?

1 DEcimæ materialiter, & secundum substantiam suam spectatæ de Jure naturali, ac divino sunt: Siquidem lex naturalis justitiæ dictat, & Deus jubet, ut laborantibus, & spiritualia Ecclesiæ ministrantibus necessaria vitæ sustentatio, considerata personarum qualitate, præbeatur: *Dignus est enim operarius cibo suo*, ait Christus Matth. 10. Idque locum etiam habet, tametsi Ministri Ecclesiæ aliunde se alere possunt: Quia non datur illis stipendium ex mera misericordia, tanquam pauperibus, sed ex justitia, tanquam merentibus. Decimæ vero formaliter, & secundum determinationem de Jure, ac præcepto Ecclesiastico sunt.

2 Præceptum de Decimis in veteri Lege, Exod. 22. *Decimas tuas, & primitias tuas non tardabis reddere*, judiciale potius, quam cæremoniale fuit. Judiciale autem præceptum erat, quod ad debitum ordinem, atque æquitatem in populo Judaico servandam pertinebat. Cæremoniale, quod ad Dei cultum, & Religionis virtutem referebatur. Taliter etiam Decimæ indirecte, & remote propter sacram significationem ad Dei cultum pertinebant; Directe vero (ut judicialia) ex justitia Clericis, tanquam Ecclesiæ Israeliticæ Ministris, offerebantur.

Confirmatur assertio: Quia præcepta Cæremonialia veteris Legis abolita sunt, & Christianis illicita. Judiciales autem, licet vi sua non obligent tempore gratiæ, possunt tamen observari, & nova lege introduci propter moralem æquitatem, & honestatem. Cum igitur Decimarum præstatio lege Ecclesiastica ad imitationem veteris Legis instituta fuit, consequens est, fuisse illud præceptum magis judiciale, quam cæremoniale. Quod vero Decimarum præstatio non sit Juris naturalis, ex eo est, Quia lex naturalis non exigit plus, quam ut ministrantibus spiritualia sufficiens sustentatio detur. Unde ante legem Mosaicam non erat lex Decimarum, & credibile est, Abraham ex sola devotione erga Deum Decimas obtulisse Melchisedech. Nec etiam Juris divini, utpote aboliti. Adeoque solum provenit ex lege Ecclesiastica antiquissima, & Apostolica, ad hæc usque tempora cum Christiani populi approbatione derivata. Quod si Decimæ dicantur divini Juris, intelligitur id ad imitationem veteris Legis.

3 Decimæ ex lege Justitiæ Parochis præstandæ sunt a fideli populo juxta Concilium Tridentinum. Ratio: Quia Decimæ tanquam justum stipendium Ecclesiastico præcepto Clericis deputatæ sunt ratione spiritualium officiorum, quæ pro salute fidelium Deo exhibentur.

4 Parochus actione ex Canone Decimas (etiam absumptas) petere potest a quovis earum possessore: Nam *fructus alienari non possunt, nisi cum onere decimarum*, haud dubie reali, sive ipsis fructibus inhærente.

5 Ecclesia, sive Parochus adversus fructuum non decimatorum destructorem actionem instituere potest.

NB. Parochus non ante comparat dominium Decimarum, quam illæ a reliquis separatæ, & aliquo modo traditæ sint, saltem per designationem. Ante divisionem vero, seu decimationem fructus omnes solo separati ad fundi dominum directe pertinent, cum annexo onere solvendi Decimas.

NB. Emptor fundi non tenetur ad solvendas Decimas, quas venditor prioribus annis neglexit solvere. Et conductor fundi de Decimis conveniendus est, non dominus.

6 Colonus partiarius Decimas dare debet pro portione fructuum, qui ipsi manent ratione culturæ.

CAPUT III.

Quæ personæ ad Decimas obligentur?

1 OMnes, & solæ personæ, quæ in spiritualibus subditæ e manu Sacerdotis Sacramenta suscipere debent, ad præstandas Decimas personali debito obligantur. Ratio: Quia Decimæ dantur tanquam stipendium pro spirituali cura, ac ministerio, quod fidelibus exhibetur. Judæi non ratione personæ, sed ratione prædiorum solvere debent Decimas: Quia Ecclesiasticis legibus non constringuntur. Nec Papa obligatur ad Decimas: quia Papa nulli Superiori est subjectus

Episco-

Episcopi, & Parochi per se non solent obligari ad Decimas: Quia nulla id consuetudine ostenditur; possunt tamen cogi a Papa.

2 Clerici sæcolares non curati ex propriis novalibus non ratione terræ, sed ratione personæ Parochis suis Decimas solvere debent.

3 Clerici ex Ecclesiasticis reditibus nullas Decimas solvunt; voluit enim Ecclesia ejusmodi reditus absque diminutione Beneficiatis provenire. Eaque ratione intelligitur illud: *Novum genus exactionis esse, ut Clerici a Clericis decimas exigant.* intellige; ex Ecclesiasticis reditibus.

4 Religiosi, spectato jure communi, ad præstationem Decimarum per se, ac personaliter obligantur, (quia hujusmodi personæ etiam Parochis subjectæ sunt) sed per privilegia exempti sunt. Quare hodie ex novalibus suis Decimas nullas dare debent; sicuti nec leprosi in communi viventes.

NB. 1. Mutatio qualitatis non tollit obligationem solvendarum Decimarum, V. C. si ex agro pratum fiat: Nam subrogatum imitatur naturam ejus, cui subrogatur.

NB. 2. Coloni agrorum Religiosorum tenentur ad Decimas: Quia privilegium concessum quibusdam personis non extenditur ad alias.

5 Ad Decimas præstandas ex debito reali, id est, orto ex re ante Decimis obligata, omnes homines, etiam Papa, & Episcopi obligantur. Ratio: Quia, postquam Diœceses in Parochias divisæ fuerunt, prædia Parochianorum intra quamlibet Parochiam sita obligationem acquisierunt decimæ partis fructuum ex iis Ecclesiæ Parochiali inferendæ, eamque obligationem secum ad quemlibet possessorem deferunt: Quia *res transit cum onere suo*. Exemplum habes in Parochia Werthacensi, dante Decimas Carthosianis.

NB. Novale dicitur prædium de novo cultum, cum ante non coleretur, ideoque nullum, aut modicum fructum ferret.

6 Qui gravi inopia premuntur, ita, ut solutis Decimis necessaria non habeant ad se, suosque alendos, interim a Decimis immunes esse debent. Ratio est: Tum quia universim solutio debiti ex titulo justo contracti differri potest ob gravem necessitatem, & inopiam debitoris. Tum quia credibile non est, piam Ecclesiam velle, ut tanto rigore a fidelibus Decimæ exigantur.

CAPUT IV.

Quibus Decimæ pendendæ sint?

1 Decimæ personales, ubi in usu sunt, præstari debent Ecclesiæ Parochiali, ad quam quisque fidelium spectat.

2 Decimæ prædiales solvendæ sunt Ecclesiæ Parochiali, intra cujus terminos prædia sita sunt. Ratio: Quia, cum crescente multitudine fidelium ad confusionem vitandam necesse esset Parochias dividere, oportuit etiam singulis fines, & terminos suarum terrarum designare, ex quibus pro Parochi, & Cooperatorum ejus sustentatione certi Decimarum reditus provenirent.

NB. In casu, quo fideles in una Parochia Sacramenta percipiunt, in alia autem ejusdem Diœcesis prædia sita habent, non est jure communi decisum, utri parochiarum Decimæ prædiales debeantur, ac proinde consuetudo cujusque loci attendenda est.

3 Parochus communi jure adversus quemlibet possessorem juris decimandi intentionem fundatam habet, ut aliter probare non teneatur, ad se pertinere.

NB. Decimæ prædiales debentur Ecclesiæ Parochiali, non Baptismali, si ea proprios, & a Matrice Ecclesia distinctos limites habeat, Episcopi authoritate constitutos. Nec obstat, quod Decimæ Ecclesiæ Baptismali solvendæ legantur in Sacris Canonibus; cum enim fideles plerumque in eadem Ecclesia & Baptismum, & reliqua Sacramenta accipiant, ideo Ecclesiæ, quibus Decimæ debentur, modo Baptismales, modo Parochiales appellantur.

4 Decimæ debentur Ecclesiæ matrici, non filiali.

5 Decimæ mixtæ ex fructibus, & fetu pecorum, debentur Parochiæ, intra cujus terminos pecora pascuntur; nisi aliud consuetudo obtineat.

6 Quarta pars Decimarum, spectato jure communi, Episcopo debetur, sumpta ratione ex imitatione veteris Legis, in qua Decimæ Levitarum a Sacerdotibus iterum decimabantur Num. 18. Sed in multis locis non servatur, eo quod Episcopi aliis titulis sufficientem sustentationem habeant.

Certi casus sunt, in quibus adhuc hodie integræ Decimæ Episcopis debentur, V. C. si ipsimet sint curati Ecclesiæ suæ vel Cathedralis, vel Parochialis, quam saltem per Vicarium administrant. Item, si prædia intra suam Diœcesin nulli Parochiæ assignata sint, eorum Decimæ ad mensam Episcopalem spectant.

CAPUT V.

Quando, & ubi Decimæ pendendæ sint?

1 Decimæ prædiales debentur, quamprimum fructus a solo separati, & collecti sunt. Quod si rusticus in mora sit, periculum Decimarum ad ipsum spectat. Neque opus est, ut Decimæ a Parocho petantur, sive exigantur; quia dies ipse, sive tempus solutionis pro creditore interpellat. Ratio: Quia posita determinatione legis positivæ ex justitia debentur Ministris Ecclesiæ.

2 Ipsemet Parochus Decimas prædiales ad horreum suum deferre debet; habet enim se Ecclesia comparatione Decimarum tanquam usufructuaria, vel pensionaria, cui satisfit, si pensiones fructuum solvantur in loco, ubi res frugifera sita est; nisi aliter conventum sit, aut consuetudo aliud obtineat.

NB. Non debent villici, vel domini prædiorum fructus ante in horrea sua vehere, quam decimatores monuerint, ut ipsi, vel Procuratores eorum fructuum collectioni, & decimationi assistant, ne ulla fraus committi possit. *Quod enim omnes tangit, ab omnibus approbari debet*. reg. 29. in 6.

3 Parochus recusantem Decimas solvere non potest Ecclesiæ aditu prohibere; sed, cum jurisdictionem forensem non habeat, necesse est, ut causam ad Ordinarium loci deferat, qui illum post monitionem trinam excommunicare debet, juxta c. omnes, 16. quæst. 1.

4 Prælati subditos compellere debent ad solutionem Decimarum: Quia negligere non debent, quæ Ecclesiis debita sunt, nisi propter scandalum ad tempus dissimulandum esse videatur. Quod si in aliquo casu crimen Decimas injuste detinentis notorium sit, & inexcusabile, haud dubio potest, imo debet Parochus tali notorio peccatori Sacramentum Eucharistiæ negare.

CAPUT VI.

De variis modis acquirendi jus Decimarum.

1 Jus Decimarum ab Ecclesiasticis personis per transactionem authoritate Episcopi acquiri potest perpetuo. V. C. Si plura prædia sint, de quorum jure decimandi litigatur, componi, seu transigi potest, ut uni parti hæc, alteri alia prædia assignentur; secluso tamen pretio externo pro jure Decimarum, utpote spirituali, ne committatur simonia. Quod si sine authoritate Episcopi, sed solum inter paciscentes privatim transactio fiat, rata tantum erit inter paciscentes, sed successores non obligabit.

Præterea super jure Decimarum compromitti potest in arbitrium unum, vel plures, quorum sententiæ a partibus standum erit; sed arbitri debent esse Clerici: *Quia, sicuti laicus de spiritualibus judicare non debet, ita nec arbitrari*. cap. contingit, de arbitris, Ex commissione tamen Episcopi potest adjungi laicus cum Clerico. Item jus Decimarum unius Ecclesiæ cum jure Decimarum alterius Ecclesiæ permutari potest; sed cum authoritate Episcopi, cum sit species alienationis.

2 Jus Decimarum, quatenus in spirituali titulo fundatum est, vendi, aut permutari cum re temporali non potest sine vitio simoniæ; specialiter autem ne quidem ex privilegio laicis jus decimandi concedi potest: Quia laici spiritualia fidelibus ministrare non possunt, consequenter incapaces sunt juris Decimarum.

3 Utilitas Decimarum, quæ est ad fructus percipiendos, spectata rei natura, vendi, laicis concedi, aut locari potest. Ratio: Quia jus percipiendi reditus Decimarum, hac præcisa consideratione, temporale est: Ergo in laicos quoque cadit. Quapropter Summus Pontifex, tanquam supremus bonorum Ecclesiasticorum Administrator, ex justa causa ad bonum Ecclesiæ pertinente, reditus Decimarum laicis, V. C. Principibus, in perpetuum concedere potest, seu in remunerationem Beneficiorum, seu cum annexo onere

dotandi Ecclesiam: Ita acceperunt Decimas Regni Granatensis Ferdinandus Rex Hispaniæ, & Elisabetha.

4 Episcopi post Concilium Lateranense Decimas personis laicis in perpetuum feudum dare non potuerunt. Quod si laicus ejusmodi possideat, concessio infirmanda est, & Ecclesiæ, ad quam Decimæ spectant, resituendæ sunt; quandoquidem tales concessiones in futurum ipso jure irrita decernuntur.

5 Si laicus Decimas tanquam in feudum concessas a tempore immemoriali possideat in dubio præsumitur ante Concilium Lateranense acquisivisse. Ratio: Quia possessio temporis immemorialis facit præsumptionem juris, ac tituli, si capacitas sit in possidente: Atqui laicus capax est possessionis Decimarum, non tanquam jure proprietatis spiritualis, sed utilitatis concessæ a Summo Pontifice, vel Episcopo ante Concilium Lateranense: Ergo, si laicus Decimas possidet, tanquam in feudum antecessoribus suis ab Ecclesia concessas, ob temporis longinquitatem præsumi debet, concessionem justam fuisse, tametsi modo jus, sive titulus exhiberi non possit. Excipe: Nisi fama, sive publica persuasio sit, Decimarum jus tanto tempore a laico eum contradictione Clericorum, aut injuste possessum fuisse.

Præterea nihil obstat, quo minus Prælatus laicis Decimas ad tempus concedat cum debita solemnitate, & ob justam causam: Quia Jure antiquo id erat licitum, quod postea neque ab Urbano, neque ab Alexandro III. revocatum fuit; sed solum, ne Decimæ in feudum perpetuum concederentur laicis.

6 Decimæ in feudum legitimo jure concessæ possunt iterum concedi: Nam in Concilio Lateranensi solum prohibetur, ne Decimæ laicis in feudum perpetuum concedantur, adeoque alienentur; hæc autem non est nova concessio, sive alienatio, sed alienationis ante legitime factæ continuatio: Ergo &c. Imo etiam mortuo feudatario, sive successore, modo needum Ecclesiæ incorporatæ sint Decimæ, possunt iterum concedi: Quia non censetur nova alienatio.

7 Contra proprium Parochum jus Decimarum ab Ecclesiasticis personis eum titulo præscribitur annis quadraginta; sine titulo autem tempore immemoriali. Prius patet ex c. ad aures, de præscript. Posterius autem, quod cessante titulo colorato possessio temporis immemorialis requiratur ad jus Decimarum præscribendum adversus propriam Parochiam, patet ex eo, quod in hoc casu jus commune possessori resistat, Parochiæ autem assistat; ut habetur expresse c. 1. de præscript. in 6.

NB Parochus, si legitimo tempore præscripsit jus percipiendi Decimas ex aliena Parochia (puta, spatio decem, vel viginti annorum cum titulo) non ideo censendus est, comparasse jus percipiendi Decimas ex novalibus: Quia *non plus præscribitur, quam possidetur*: Et *præscriptio non extenditur a casu ad casum*.

8 Laici non possunt per præscriptionem acquirere Decimas, nisi ea fundata sit in opinione, aut præsumptione alicujus legitimæ concessionis factæ ab Episcopo, aut Prælato. Ratio: Quia perceptio Decimarum ex primæva institutione annexa est titulo spirituali, ita, ut ab eo separari non possit sine legitima authoritate, & concessione Ecclesiastica Prælati; consequenter si laicus, qui spiritualis tituli incapax est, Decimas possidere velit, necessario suam intentionem fundare debet in titulo alicujus legitimæ concessionis, & non in sola nuda detentione Decimarum.

9 Non, quidquid Principis privilegio acquiri potest, idem etiam præscriptione temporis immemorialis (quippe obstante incapacitate possidendi, & jure resistente) Sed vice versa, quidquid consuetudine, aut præscriptione acquisitum est, idem quoque per Principis privilegium, sive concessionem.

10 Immunitas a solvendis Decimis cum titulo, & bona fide quadraginta annis præscribi potest; sine titulo autem requiritur tempus immemoriale, tam a Laicis, quam Clericis; modo interim Ecclesiæ Ministris aliunde sufficiens sustentatio suppetat.

11 Consuetudo populi adversus legem Decimarum sine titulo, & Summi Pontificis consensu prævalere non potest, nisi tempore immemoriali dante præsumptionem juris, ac tituli.

NB. Summus Pontifex Decimas abolitas de novo impetrare potest ex plenitudine potestatis, si id necessarium sit ad sustentationem Ministrorum Ecclesiæ, vel ideo, ut uniformis lex Decimarum in tota Ecclesia observetur.

CAPUT VII.

De Primitiis, & Oblationibus.

1 PRimitiarum ex terræ frugibus Sacerdotibus offerendarum antiquissimua est in Ecclesia usus ad modum, & institutionem veteris Ecclesiæ, ut Num. 18. Exod. 23. Sed plerisque in locis hodie in desuetudinem venit.

2 Oblationum varia genera sunt. Olim fideles diebus Dominicis panem, & vinum offerre solebant, tanquam materiam sacrificii, & Sacræ Communionis.

3 Eulogiæ dicebantur olim panes benedicti, publicæ aliæ, aliæ privatæ inter fideles distribui solitæ.

4 Consuetudo offerendi ad Altare sub sacrificio Missæ antiquissima est.

5 Nullum extat præceptum de oblationibus, sed per consuetudinem introduci possunt, V. C. si populus ad decem annos certis Solemnitatibus frequenter oblationes, tanquam ex obligatione.

6 Offerentes debent esse Christiani ab Ecclesia non præcisi. Ratio: Quia offerre munera ad Altare est quasi Ecclesiastica communicatio.

7 Fœminæ ad Altare sub Missæ sacrificio admitti possunt, sed non intra cancellos, ubi Clerici stant.

8 Oblationes non faciendæ, nec accipiendæ sunt ex iis, quæ injuste acquisita, & restitutioni obnoxia sunt, juxta D. Thomam allegantem illud Eccli. 34. *Immolantis ex iniquo oblatio est maculata*.

Quorundam criminosorum, V. C. raptorum, usurariorum, meretricum, oblationes recipere Sacris Canonibus prohibitum est.

TRACTATUS VII.

DE

Festorum observatione.

CAPUT PRIMUM.

De diei Dominicæ, & aliorum Festorum institutione.

1 TErtium Decalogi præceptum partim morale est, atque ex lege naturali descendens, quatenus absolute præcipitur, ut, posthabitis aliis negotiis temporalibus, Dei cultui, atque adorationi tempus aliquod tribuamus; partim cæremoniale, quatenus certum tempus, videlicet integra dies Sabbati designatur, in qua ab aliis operibus abstinendum, tum in memoria beneficii creationis, tum in figuram Christi toto Sabbato in sepulchro quieturi. Ecclesia tamen sublato Sabbato pertinente ad Judaicam legem, & umbratiles figuras, quibus nova lex non astringitur, ejus loco Dominicam diem instituit, in memoriam mundi creati, & recreati per Christum in terris die Solis, quæ est prima hebdomadis, natum, & postea ex inferis eadem die resurgentem, juxta Act. 20. *Una Sabbati*, id est, prima die hebdomadis.

2 Pascha celebrari non potest ante diem XXII. Martii, nec post XXV. Aprilis: Nam alias conveniremus cum Paschate Judæorum. Sed quotannis celebrari debet Pascha in prima die hebdomadis post decimamquartam lunam primi mensis: Primus autem mensis non omnis ille censetur, in quem cadit æquinoctium vernum. Si enim æquinoctium sit post quartam decimam lunam, mensis ille lunaris non erit primus, sed ultimus anni; cum credibile non sit, Deum creasse mundum ante æquinoctium. Ex quo sequitur, Pascha non posse celebrari ante XXII. Martii, quæ si sit dies Dominica, in eandemque incidat quartadecima luna, Ecclesia non instituit Pascha; sed transfertur in Dominicam sequentem. Quod si luna decimaquarta primi mensis cadat in diem XVIII. Aprilis, quæ si Dominica sit, Pascha in eo non celebrabitur, sed transferetur in sequentem Dominicam, quæ erit dies XXV. Aprilis.

3 Episcopus, specialia Festa instituturus, non tantum Clerici, sed etiam populi consensum, spectato jure communi, requirere debet, ne populus gravetur multitudine Festorum, & a laboribus necessariis impediatur; nam, *Quod omnes tangit, debet ab omnibus approbari*. Huic tamen juri Laicorum in multis locis derogatum est. Alia Festa Christi, & Sanctorum per annum insti-

instituta sunt Pontificia lege, & Episcopalibus etiam statutis.

4 Episcopus Festa specialia Diœcesis justa de causa abrogare potest.

Festa Diœcesalia, quæ ex Episcopi præcepto statuuntur, etiam exempti servare debent, juxta Concilium Tridentinum, Sess. 25. c. 12.

CAPUT II.

De prohibitione operum servilium diebus festis.

1 FEsti observatio est a medio noctis usque ad alterius noctis medium.

Opera servilia dicuntur, quæ corporis commoditatibus inservientia ignobiliora sunt, per servos exerceri solita, V. C. arare, fabricare, &c. His opposita opera liberalia dicuntur, quæ ad animum excolendum spectant, ideoque libero homine digna censentur; ut scribere, legere, loqui. Alia sunt quasi media, & omnibus communia; ut iter facere, &c.

2 Dico igitur, sola opera servilia diebus festis prohibita esse, præterquam si jure, vel consuetudine permissa sint: Qua ratione concessum est diebus festis coquere propter necessitatem.

3 Scribere, transcribere, non sunt opera servilia: Quia scribere pertinet ad artem liberalem grammaticam. Idemque probabiliter dicitur de pictura, si sine magno apparatu fiat: Quia talis pictio, perinde ac scriptio, consistit in ducendis lineis, ac figuris, & ad animi recreationem etiam instituta est. Idem dicendum de Typographis characteres ordinantibus: Impressio vero librorum est opus servile.

4 Opus, quod suapte natura liberale est, non fit servile, eo quod propter lucrum exerceatur: Nam lucrum, & merces non facit esse opus servile; quandoquidem etiam opera, seu obsequia, quæ libero homine digna sunt, mercede æstimari possunt, sicuti vice versa opera servilia non ideo talia esse desinunt, quia sine mercede fiunt. Quapropter lucrum, & merces per accidens se habet ad opus servile, & non servile: alioquin Causidicos damnare oporteret, qui diebus festis in scribendis consiliis propter salarium occupantur; cui tamen repugnat communis fidelium persuasio, & consuetudo, quidquid dicant Abb. & Angelus.

5 Iter facere pedibus, equo, curru, navi, non numerantur inter opera servilia: Unde etiam licet necessaria opera ad id præstare, V. C. equos parare, currus aptare, in flumine, vel stagno remigare: Non autem plaustra, currus, aut mulos onustos agere (cum sit servile) Inchoatum tamen licet continuare, si commode abrumpi non possit.

6 Venari, aucupari, item bellare, etsi jure communi ut opera servilia prohibita, tamen per consuetudinem videntur liberalia opera effecta: Hinc militares exercitationes, & lustrationes die festo instituuntur licite.

NB. Mercatus per consuetudinem permittuntur post divina peracta.

7 Actus forensis judicii, etiam spirituales beneficiariarum & matrimonialium causarum, item citationes Rei, processus per causæ cognitionem, examinatis, & juratis testibus, terminus per sententiæ prolationem in diebus festis prohibentur ab Ecclesia, imo ipso jure irriti sunt, exceptis causis necessitatis, ac pietatis, V. C. miserabilium personarum, pupillorum, carceratorum. Etiam latro de fuga suspectus potest capi die festo. Item in parvis oppidis possunt causæ civiles agitari, si aliis diebus rusticani homines commode vocari nequeant. Excommunicatio in die festo potest ferri, & absolutio a censura, propterea quod non necessario requirat processum judicialem.

8 Extrajudiciales actus etiam arbitratoris, non arbitri, item juramenti interpositio extra judicium die festo fieri possunt; sicuti etiam contractus civilis, etiamsi juramento confirmetur.

Regula in praxi observanda.

I. Cum dentur quædam opera, de quibus disputant DD., an sint vera servilia, & proinde, an exerceri possint die festo, advertere debet Confessarius, quod quamvis ipse sit in contraria opinione, & judicet, e. g. pingere esse opus servile, nihilominus si Pœnitens teneat contrariam opinionem, & ex ipsius fundamentis judicet pingendo non peccare, non proinde est incapax absolutionis; est enim ad eam rite dispositus, semper eam sententiam, quam sequitur, putat ad praxim licite reducibilem.

II. Quamvis Religio reddat licita die festo opera servilia, quæ proxime sunt præparatoria ad divinum cultum: cum sint ipsius cultus signa, ut mundare Templum, illud ornare &c.; nihilominus non reddit licita, quæ tantum ad talem cultum remote conducunt, si fiant absque necessitate. Ita se habet colere agros Ecclesiæ, vehere ligna, & lapides ob ipsius ædificium, illam dealbare &c. nam cum ex se servilia sint, & solum remote ad Dei cultum conducant, non possunt non comprehendi sub præcepto prohibente opera servilia.

III. Eo quod ratione necessitatis liceat parare, & decoquere cibos, inferunt plures Theologi, Saccharata, seu cibos ex saccharo conditos, licite parari die festo. Id autem vellem esse intelligendum de illis cibis saccharo conditis, qui si pridie præpararentur, ingrati evaderent palato. Sicut etenim panis die profesto, quando commode fieri potest, est parandus, ita de aliis rebus saccharo conditis dicendum est, quando non ob id minus commode, & sane fiant. Unde ut vulgo dicitur *i Marzapani, i Pani grandi, Confetti &c.* & similia, non sunt die festo parande, & decoquenda, & puto apud nos contrariam non invaluisse consuetudinem.

IV. Ratione necessitatis proximi, quamvis unus, aut alter Theologus velit licere die festo barbam radere, nihilominus communior, & recepta sententia est negativa, cum de se constet esse opus servile. Solummodo excusari posset Barbitonsor ob alterius necessitatem, puta quia ipsi non licet die profesto accedere ad Barbitonsoram, quod accidere potest respectu Agricolarum, quibus non est commodum ad talem effectum die profesto ad Civitatem accedere. Item excusari potest consuetudo a Prælatis tolerata.

V. Ob damnum evitandum quamplura opera servilia fieri posse die festo, jam diximus supra. Operibus ibi assignatis adde ex hoc capite, licite die festo laborare coquentes vitrum, calcem, saponem, tegulas, ollas &c. decolantes ferrum, quia talia opera non intermitterentur sine gravi damno. At non licet ea inchoare die festo, cum nullum sit præjudicium, ad id præstandum, diem sequentem expectare.

Ex eadem ratione excusantur qui diebus festis ferrant equos, si iisdem diebus, vel mane diei sequentis debent iter agere; nam alias grave damnum illis sequeretur.

VI. Eo quod die festo, ut Deo, propriæque saluti vacemus, prohibuerit Ecclesia opera servilia, Parochus vero divini honoris, & salutis animarum zelo fervens, occasionem sumat reprehendendi populum, si talibus diebus vacet iis, quibus fere semper plura peccata admiscentur. Utique opera servilia de se Deo non displicerent, nisi essent prohibita, ut liberius Deus festa die colatur. Proscribendæ proinde etiam essent diebus festis choreæ, tripudia, saltationes, & id genus alia, quibus admiscentur turpes cogitationes, obscœna dicta, inhonestæ actiones, morum corruptelæ, perniciosæ ad opera carnis illecebræ, cædes, rixæ, dissidia, stupra, adulteria, aliaque mala plurima. Utique iis diebus qui dies propitiationis esse deberent, quam maxime dedecet Fideles istis Satanæ blanditiis immisceri, ac a Divinis abstinere. Videantur quæ habet S. Carolus *in* 3. *Conc. Mediolan. tit. c. de festor. dier. cultu.*

VII. Cum consuetudo reddat licita, quæ aliàs die festo essent prohibita, sequitur licite celebrari die festo Mercatum, si-va Nundinas, quando jam invaluit talis consuetudo. Itemque cum consuetudo sit, ut die festo apertæ remaneant per aliquas horas quædam Apothecæ, ut aliqua ibi vendantur maxime ex cibis magis necessariis, id etiam ex consuetudine cohonestatur. Idem dicas, ubi viget consuetudo, ut Barbitonsores per aliquas horas in mane diei festi barbas radant.

VIII. Ex capite necessitatis, ex quo redditur licitum Judicium forense in die festo, possunt fieri omnes illi actus, qui necessarii sunt ad vitandum grave incommodum litigantium, & quos exigit publica utilitas. Hinc exerceri potest judicium die festo, si ex dilatione actio fit peremptoria; ut etiam habetur *ex leg. t. §. Sed excipiuntur, ff. de Feriis*: si suspicio sit, ut Debitor fugiat, dilapidet &c. si adsit periculum spiritualis nocumenti: si timeatur fuga Latronis: si commissum sit atrox delictum die festo cum publico scandalo, nam tunc reus potest die festo suspendi, & judicari, si aliis diebus non potest commode accedi ad judicium, ut accidere solet respectu rusticorum, vel testis, qui cogitur discedere. Hinc maxime in parvis Oppidis potest judicium die festo exerceri, cum aliis diebus incolæ talium locorum necesse habeant colere agros, &c.

IX. Titulus pietatis, qui comprehendit misericordiam in miserabiles, & pauperes personas, Religionem in Deum & observantiam in Patriam, & Parentes, licitum faciet agere die festo de causis miserabilium personarum, verb. gr. illorum, qui in carcere detinentur, & designare Tutores, & Curatores juxta *leg. ff. de fer.* Licitum item erit agere de causis pauperum, ne nimis graventur expensis; de causis personæ Religiosæ, vel Ecclesiæ, maxime si titulo Religionis adjungatur ipsarum paupertas; de causis parentum, & Patriæ, cum pietas velit celeriter ipsis esse subveniendum, & præcipue si laborent paupertate &c. Ex his facile erit dignoscere alios omnes casus, quibus licite exerceri potest die festo Judicium forense &c.

CAPUT III.

De præcepto audiendi Missam diebus festis.

1 MIssæ diebus festis audiendæ præcepto fideles obligantur sub mortali, postquam ad usum rationis pervenerunt.

2 Requiritur ad hoc præceptum implendum moralis, ac pia præsentia; nec opus est, ut videatur sacrificans, modo colligi possit, quid agatur a Sacerdote. Probabilis est Sententia, quod is satisfaciat, qui secundum externum corporis habitum Missæ decenter interest, licet interna mente Deo, aut rebus divinis non intendat. Hinc aulici non statim mortalis damnandi sunt, si sub Sacro nunc fabulentur, nunc rursum attendant. Horæ etiam possunt orari sub Missa: Quia nihil prohibet, duobus præceptis uno, eodemque actu satisfieri. Etiam excipiens Confessiones sub Missa satisfacit.

NB. Præ-

NB. Præceptum Episcopi, vel Parochi, ut subditi Missam audiant in Parochia, non obligat. Ratio: Quia Episcopus non potest tollere jus commune, & generalem totius orbis consuetudinem.

Tridentinum tamen Concilium monendum ait populum, ut frequenter ad suas Parochias, saltem diebus Dominicis, & majoribus Festis, adeat.

Missa Græcorum etiam audiri potest; quandoquidem illi vitandi non sunt, & secundum ritus suos recte sacrificant.

3 Qui notabilem Missæ partem die festo negligit, peccat mortaliter. Satisfacit, qui ab Evangello ad finem manet, vel a principio usque ad Communionem Sacerdotis Missæ interest. Amalarius non damnat mortalis etiam adhuc ab Offertorio audientem. Sed nihil contra communem Doctorum Sententiam hic definio: solum dico, duriusculum videri, hominem mortalis damnare, si adhuc ad Offertorium veniat.

4 Qui a duobus Sacerdotibus dimidia Missarum successive audit, peccat venialiter, utpote non satisfaciens secundum modum, & perfectionem præcepti. Excipe: Nisi impeditus sit, quo minus Missam integram ab eodem audiat (*a*).

„ (*a*) Aliud est, quod hic permittit Laym. ab „ eo, quod confixum est ab Innoc. XI. in proposit. „ 53. *Satisfacit præcepto Ecclesiæ de audiendo sacro, „ qui duas ejus partes, imo quatuor simul a diversis „ celebrantibus audit.*

CAPUT IV.

De gravitate hujus præcepti quoad utramque sui partem, & causis excusantibus ab obligatione illius.

1 PRæceptum abstinendi ab operibus servilibus in die festo obligat sub mortali ex genere suo. Ratio: Quia ista obligatio est secundum virtutem Religionis ad Dei cultum, & venerationem instituta, ideoque ex genere suo gravis; quamvis ob materiæ levitatem transgressio venialis fieri possit, V. C. laborante per horam, cessante scandalo, eo quod hora una comparatione XXIV. horarum exiguæ partis proportionem habeat; idque maxime verum in laboribus non nimis fatigantibus, V. C. una, vel sesqui hora nere. Necessitas tollit omnem culpam V. C. in ancillis reficientibus vestes suas.

2 Obligatio audiendæ Missæ diebus festis itidem est sub mortali; non item Concio, per se loquendo. Qualis autem obligatio ex lege divina fidelibus incumbat discendi ea, quæ ad salutem ipsis necessaria sunt, dixi Lib. 2. Tract. 1. C. 9. n. 3.

Quod attinet ad abstinentiam ab operibus servilibus, cessare solet duplici ex capite, videlicet necessitatis, & pietatis. Necessitas alia est publica, V. C. reficiendi fontes, pontes, piscandi certum genus piscium, quod non nisi diebus opportunis capitur; item, si quæ paranda ad adventum Principis. Necessitas alia est privata. Ita excusantur pauperes, qui, si in multis festis a labore abstineant, se sustentare non possint; Agricolæ tempore messis ob pluviam; aurigæ, nautæ, vitriarii, quorum opera semel cœpta sine damno interrumpi non possunt; Medici, Chirurgi, Pharmacopolæ, cum pro infirmis laborare debent; sartores coacti perficere vestes urgentes post medium noctis; Famuli, uxor, si a patrefamilias coacti sine jactura sua imperium laborandi detrectare non possint: Quod si tamen id frequenter fiat, debent famuli dominum suum deserere.

Ad pietatem pertinet vel Religio in Deum, ut si Altaria ornanda sunt; vel misericordia in proximum, V. C. si vestes conficiendæ pro funere; vel denique spiritualis charitas erga se ipsum.

NB. Toleratur consuetudo sartorum post Vesperas diei festi præparantium vestes; debet tamen caveri scandalum, & non licet differre laborem in diem festum sine necessitate. In causa etiam excusante manifesta non est opus petere licentiam a Superiore: Secus in causa dubia (*b*). Parochus in defectu Episcopi potest dare licentiam.

„ (*b*) Benedict. tamen XIV. in sua institut. Ec„ clesiast. 55. vult petendam omnino esse facultatem „ a superiore, si quid occurrat necessitatis in operi„ bus servilibus die festa exercendis.

3 Plures causæ sunt, quibus a præcepto Missæ die festo audiendæ fideles excusantur. I. Impotentia spiritualis, V.C. Excommunicationis, vel interdicti. II. Impotentia corporalis; qualis est navigantium in mari, carceratorum, lecto affixorum. Etsi aliquis habeat privilegium sacrificandi super portatili, non tamen obligatur: Quia nemo privilegio suo uti cogitur adversus communem legem. III. Impotentia moralis, si videlicet Missa audiri non possit, nisi cum magna difficultate, vel jactura corporis, animi, fortunæ, V. C. honesta mulier non bene vestita, mulier ex occulta fornicatione prægnans, infirmi, infirmis servientes, qui ob periculum pestis domi manere debent, Matres, & ancillæ assistentes infantibus, dissiti longe a loco Missæ habita ratione personarum, viæ, temporis, loci, consuetudinis, pastores, & custodes gregum, item, qui itineris comitem sibi valde utilem, vel occasionem navigandi amissurus est, si ad Missam accedat, milites stationarii, vigiles, famuli impediti a dominis; nisi cedat in contemptum Religionis. Famulus frequenter impeditus debet relinquere dominum, si sine causa necessitatis frequenter ad laborandum adigatur. IV. Excusandi causa est rationabilis consuetudo, scientibus Prælatis introducta, V. C. in vidua maritum lugente, in puella nubili, in puerpera, etiam postquam ex partu convaluit.

4 Missæ Parochi notorie excommunicati, aut notorii concubinarii fideles interesse non tenentur in detestationem sceleris, etsi licite possint jure novo, post extravag. *Ad evitanda*, Concilii Constantiensis.

5 Qui Missæ die festo non intersunt, ad alias preces domi fundendas Ecclesiastico præcepto non obligantur. Nam finis præcepti non cadit sub præceptum, nisi quatenus intrinsece continetur in objecto, quod præcipitur: At vero cultus Dei est quidem finis Ecclesiastici hujus præcepti, sed non præcipitur in alia materia, seu objecto, nisi in hoc determinato, ut Missa audiatur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quamvis Confessarius suadere debeat, quantum potest, Pœnitentibus, ut assistant Missæ, saltem nondum inchoato primo Evangelio usque ad finem inclusive, nihilominus non ita facile condemnare debet peccati mortalis illum, qui post Evangelium assisteret Missæ usque ad finem inclusive; nam si ita certo certius esse affirmet suis Pœnitentibus, jam talem conscientiam sibi efformabunt, & proinde peccarent mortaliter, quando non etiam primum Evangelium audirent. Præterea ipsos quandoque posset redigere in graves angustias, quando accessissent ad Ecclesiam post primum Evangelium, & non ita facile eis esset aliud audire Sacrum. Quandoquidem igitur non pauci Theologi fatentur, non dari peccatum grave, si audiatur Missa post primum Evangelium usque ad finem, ut videre est apud *Laym. tract. 7. cap. 5. n. 3. Averf. q. 11. sect. 29. §. 6. Dian. 1. 2. tr. 3. resol.* 21. Non facile gravis peccati esset condemnandus qui ita faceret cum simus in re, quæ pendet a prudentum æstimatione. Eadem ratione excusari fortasse possit a gravi culpa qui non assisteret sumptioni, quamvis Theologi magis communiter leotiant contrarium.

II. Cum verificetur moraliter esse præsentem Missæ, qui aliquo pacto unitur cum aliis, qui sunt præsentes Sacrificio, hinc inferunt Theologi, sufficienter esse præsentem Missæ qui manens extra Ecclesiam propter angustiam loci, aliis conjungitur, qui assistunt Sacrificio. Eadem ratione non reputatur absens Sacristan, qui pro deferendo vino, thure, aliisque necessariis ad sacrificandum, recedit ab Altari, vel accedit ad Sacristiam: nam cum verificetur Missæ inservire, sive cooperari Sacrificio, intelligitur moraliter esse cum aliis, qui eidem Missæ inserviunt, vel assistunt. Non desunt tamen, qui dicant, quod si Missæ inserviens per tempus notabile recedat ab Ecclesia, ut aliqua Missæ necessaria subministret, non satisfaciat præcepto de Missa audienda, cum videatur, & physice, & moraliter absens.

III. Eo quia non requiratur intentio satisfaciendi præcepto, dum Missa auditur die festo, advertat Confessarius bene satisfacere præcepto, qui e. gr. Missam audit etiam cum hac positiva intentione non satisfaciendi per illam præcepto; cum etenim habet voluntatem audiendi Missam, huic voluntati utpote efficaci, & principaliori, & de se sufficienti ad satisfaciendum præcepto, semper cedit alia inefficax non satisfaciendi. Id autem maxime attendendum quoad scrupulosos, qui sæpe dum audiunt, vel postquam audierunt Missam, volunt illam habere pro non audita, cum intentione aliam audiendi; nam revera satisfecerunt præcepto, & non tenentur aliam audire.

IV. Ex eo quod sufficiat attentio virtualis interna ad Missam audiendam, sicuti certum est, non illam audire, qui nullatenus ad illam advertit, ita judicandum est habere sufficientem attentionem, qui licet sit mente distractus, non tamen advertit se esse a Missa distractum. Ad auferendos igitur scrupulos multorum, notet Confessarius, quod illa, qui actuali attentione incœpit Missam audire quamvis postea advertat se mente circa alia divagari, nihilominus non censetur sine virtuali attentione, usquedum advertat etiam per talem distractionem a Missæ Sacrificio distrahi; ita enim interrumpitur virtualis attentio ad idem Sacrificium. Sic etiam non sufficienter intelligitur distractus a recitatione Horarum Canonicarum, qui advertit se esse circa alia distractum, si simul non advertat esse distractum a recitatione &c.

V. Quia ad satisfaciendum præcepto de Missa audienda, satis, immo omnium optima est attentio ad Deum, ideo bene satisfacit tali præcepto, quia, dum Missam audit, recitat aliquas preces vel voluntarias, vel de præcepto, cum orans bene intelligatur habere attentionem ad Deum. Præterea recitatio talium

precum

precum non impedit religiosam præsentiam Sacrificio Missæ, & sufficienter potest quis utrique operi simul attendere; quod non judicatur possibile, si simul quis velit confiteri sua Peccata, & Missam audire, qua ratione diximus non posse utrumque simul præstare.

VI. Ex capite moralis impotentiæ excuset Confessarius ab eudienda Missa non solum illum, qui incurreret in probabile periculum vitæ, vel ob inimicitias, vel propter intemperiem aeris, vel propter debilem valetudinem, sed etiam qui sine dedecore, & pudore non potest domo exire; nam qui ita se habet, comparatur illi, qui est vinculis alligatus: *leg. eadem causa, ff. ex quibus causis.* Id tamen non est intelligendum, e. g. de muliere non habente omnes ornatus, quos vellet, sed solum si non habeat vestem decentem, unde eam valde pudeat videri. Idem dicas de fœmina innupta, si cum sit prægnans, ultimis mensibus ad occultandum suum lapsum se domi contineat.

Ex eodem capite excusantur e Missa audienda, qui propter Ecclesiæ distantiam, vel propter imbres, tempestates, aut nives non possent sine gravi molestie, & difficultate ad eamdem accedere. Id tamen judicandum est prudentis arbitrio, maxime habita ratione personarum &c.

Item Confessarius excusare potest a Missa audienda uxorem, quæ ex accessu ad Ecclesiam gravem rixam cum Marito timeret, sive ea ex zelotypie, sive ex alia causa oriretur. Si vero solummodo leva incommodum timerat, illud patienter ferre deberet.

Ad impotentiam moralem denique reducitur timor gravis jacturæ in bonis temporalibus, vel actualis gravis jactura ipsorum. Hinc non tenetur audire Missam, qui domo recedendo timeret latrones, cum non esset, qui eam custodiret; vel qui deberet relinquere in agro gregem sine custodia. Hinc monent Theologi, quod si unica tantum sit Missa, nec possit ab omnibus audiri, alternatim audiatur, scilicet die Dominica ab uno, altera ab alio. Excusatur pariter, qui si deberet Missam audire, non posset vacare alicui negotio cum magno boni temporalis detrimento. Quod si possit prævenire, etiam cum subtractione somni non necessarii, deberet id facere, alias non excusaretur tunc omittens Missam ratione gravis negligentiæ a gravi culpa. Ex exemplis huc usque allatis potest prudens Confessarius sufficienter cognoscere, quandonam detur in aliis casibus impotentia moralis.

VII. Ratione Officii excuset Confessarius ab eudienda Missa Matrem, vel Nutricem, quæ non habent quibus parvulos commendent, cum non expediat eos deducere ad Ecclesiam propter ipsorum inquietudinem, & plorotus. Item excuset Matres in iis circumstantiis, in quibus non possunt secum ducere filias, neque possunt eas domi relinquere sine periculo.

VIII. Advertat Confessarius, subditos, e. g. famulos, excusari quidem, si ex justa causa prohibeatur ipsis a Domino auditio Missæ: si vero Domini sine justa causa, adeoque inique illis prohibeant auditionem Missæ die festo, non debent illis parere, si solum leve incommodum e. g. aliqua objurgatio immineat. Quod si grave incommodum paterentur, possunt illis quidem parere, sed debent quærere opportunitatem talem deserendi famulatum, & aliis inservire, qui tribuant ipsis commoditatem præcepta Ecclesiæ servandi.

IX. Quandoquidem ratione Charitatis erga Proximum licet omittere Missam die festo, non incongrue ex hoc titulo inferunt quamplures Theologi posse Mulierem omittere Missam, si sciat ab aliquo perdite adamari; adeoque ipsi præbiturum occasionem peccandi, si ad Ecclesiam accedat. Et quidem si ex charitate erga corpus infirmum alicujus proximi possumus Missam omittere, cur non ex charitate erga illius animam infirmam? Videatur nihilominus quæ dixi dum de scandalo loquuti fuimus.

CAPUT V.

De Sanctorum Canonizatione, Imaginum, & Reliquiarum Sacrarum veneratione.

1 Canonizatio Sanctorum ad Summum Pontificem proprie spectet post factam inquisitionem de vitæ innocentia, miraculis, communi fama, & persuasione sanctitatis. Ratio: Quia Canonizatio Sanctorum est una ex causis majoribus, quæ ad Sedem Apostolicam spectare debent. Esset enim valde indecens, & Religioni contrarium, si pro Sancto publice coleretur, qui Sanctus non est.

Est autem canonizare, aliquem pie defunctum in canonem, seu catalogum Beatorum referre, id est, authoritative declarare, eum in cœlis cum Christo regnantem publico cultu venerandum, & invocandum esse. Olim Sancti quidem post felicem eorum obitum communi Episcoporum, & populorum consensu celebrabantur (sine solemni ejusmodi Canonizatione) approbente tamen Ecclesia Romana; quæ proinde fuit tacita quædam Canonizatio totius Ecclesiæ, quæ errare non potest.

2 In nova Lege Deum, sive SS. Trinitatem, atque Angelos forma corporea depingere licitum est (nec sine temeritate negari id potest propter universalem Ecclesiæ consuetudinem, licet non sit de fide) ad eum modum, quo se Deus repræsentavit, & Angeli, nec non Cherubini ignei, ad piam recordationem, & cultum. Olim tamen Judæis ad idololatriam pronis id fuit prohibitum.

3 Catholica fide certum est Christi Domini, B. Virginis, & aliorum Sanctorum imagines recte depingi, tum memoriæ, tum venerationis causa. Ita definitum est Niceæ in Concilio VII. Oecumenico.

4 In Concilio Eliberitano ideo prohibitum erat, imagines depingere in parietibus templorum, ne ingruente persecutione, & bellis, in devastatione templorum irreverenter tractarentur, & ne, dum Christiani imagines in tabulis pictas secum auferre non possent, Judæis, & paganis ludibrio fiant.

5 In Concilio Francofordiensi, tempore Caroli M. habito, nihil omnino contra VII. Synodum de imaginibus adorandis decretum fuit: Nam Historici, testantes de hoc, supposititii sunt, & erronei.

6 Eli Phili, unus ex hæreticis Calvinistis, Præfatione sua in libros Carolinos multa imposuit.

7 Libri, qui vulgo Carolini dicuntur, non Caroli M. sunt, sed ab Iconomachis hæreticis conscripti; & a Carolo ad Adrianum Pontificem missi per Engilbertum Abbatem Capellanum suum, illius censuræ, uti alia omnia ad fidem pertinentia, committens; quos postea Adrianus damnavit, tanquam ab hæreticis conscriptos.

8 Quamvis probabile sit, tamen non est certum, in Concilio Francofordiensi aliquid pro imaginum cultu contra Iconomachorum errorem statutum fuisse: Quia nulla fit mentio in actis Concilii Francofordiensis de imaginum adoratione; neque ullus Historicorum eo tempore vivens quidquam meminit, de hac re Francofurti actum fuisse. Sequentes autem Historici contraria scribunt, ut fieri potuerit, primum errasse, alios autem unius verbis male intellectis adhæsisse (*a*).

„ (*a*) Nolo hic contentiosum funem trahere cum „ Laymano, cum agamus de re ad Theologiam moralem non pertinente. Cæterum exploratum modo „ est in Francofordiensi Concilio actum fuisse de imaginibus, ac reprobatam sententiam Concilii Niceni II., quam PP. illi non recte intellexerant.

9 Christi, ac Sanctorum imagines, ac Reliquiæ coluntur tantum respective cum ordine ad prototypon, seu ipsum exemplar, ita, ut totus effectus internæ submissionis ad prototypon referatur. Ratio: Quia nulli creaturæ irrationabili secundum se cultus aliquis exhiberi debet (nam cultus est signum subjectionis) Creatura autem irrationabilis est homini naturaliter subjecta, & incapax honoris.

10 Imagines Christi, ac Sanctorum concomitanter tantum, & per accidens, quasi vestimentum personæ, una cum prototypo colimus, ita, ut imagines ipsæ secundum se adorationem, & cultum non terminent. V. C. Si Regem in speculo effulgentem videas, & adores, uno motu & Regem adoras, & speciem: ipsum quidem principaliter, sed imaginem per accidens. Ita S. Crucem cultu respectivo, quo simul exemplar, & imaginem colimus, fateri debemus latriæ coli, quamvis per accidens, & concomitanter. Hinc imagines Sanctorum quoque cultu duliæ coluntur, quamvis respective & per accidens.

11 Sacram Eucharistiam proprie, ac per se latria colimus; cum Eucharistia præter species, quæ inanimata accidentia sunt, Christum ipsum verum Deum, & hominem in se contineat.

12 Sacræ Reliquiæ tanto præstantiores censendæ sunt, quanto propinquius ad Sanctum spectant. V. C. Caro, osse præferuntur pulveri. Vermes tamen e Sanctorum corporibus enati sunt adorabiles propter notabilem mutationem factam.

13 Sanguis Christi, si in aliqua Ecclesia asservatur, vel e Sacra Hostia fluens apparet, non est adorandus cultu latriæ absolute: Quia, si est verus sanguis Christi fusus e corpore ipsius, tamen non est hypostatice jam unitus divinitati, ideoque respective tantum, sicut aliæ Reliquiæ Christi, adorari debet propter unionem, aut contactum carnis hypostatice unitæ Verbo. Sanguis ex hostia non est sanguis Christi, sed censeri debet factus per miraculosam accidentium immutationem; & cum magna hæc sit accidentium Sacramentalium immutatio, ita, ut sub ea panis, vel vini substantia naturaliter consistere non possit, desinit ibi esse corpus, & sanguis Christi, totumque, quod apparet, non est adorandum cultu latriæ absoluto, sed solum respectivo, sicut Crux, & imagines Christi.

14 Homines pie defuncti, si canonizati non sint; coli possunt cultu privato, non publico, V. G. erigendo Altaria, Festa faciendo in Missa, Litaniis invocando; nec lampades incensas licet habere in domo coram Reliquiis Sanctorum non canonizatorum.

15 Ad publicum Reliquiarum Sanctorum cultum opus est, ut antecedat earum publica approbatio Episcopi, aut publicæ persuasionis continuata vetustas.

16 Ad

16 Ad privatum cultum Reliquiarum sufficit unius hominis fide digni testimonium. Ratio: Quia in cultu privato minus periculum subest, etsi interdum error materialis contingat, dummodo bona fide agatur. In dubio tamen abstinendum est a cultu Reliquiarum: Si tamen moraliter certum sit, esse Reliquias, licet schedula amissa, coli possunt publice, & privatim.

17 Sanctorum corpora, perpetuæ sepulturæ tradita, fine licentia Prælatorum erui, & transferri non possunt. Furtive autem Reliquias subtrahere, haud dubie est furtum sacrilegum; cum sit ablatio rei sacræ. Utrum vero parvitas materiæ excuset a mortali, spectanda est non sola rei ablatæ quantitas, sed potius earum dignitas, & æstimatio moralis.

18 Tum Laici, tum Clerici sacras Reliquias decenter inclusas devotionis causa secum habere, ac circumferre non prohibentur.

19 Sacræ Reliquiæ ad turpem quæstum exponi non debent; esset enim simonia: Præterquam si apud infideles, aut hæreticos sint, tunc licet eas non ut rem sacram emere, sed earum quasi vexationem, seu indignam tractationem redimere. Prohibitum etiam est, ut Reliquiæ Sanctorum in Ecclesiis populo extra capsam non ostendantur ad servandam majorem earum reverentiam.

TRACTATUS VIII.

DE

Observatione Jejuniorum.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Ecclesiasticum Jejunium?

1 JEjunium aliud est *naturæ* (abstinentia ab omni cibo, & potu) quale requiritur ad S. Eucharistiam sumendam. Aliud est jejunium *virtutis*, seu morale (parsimonia cibi, & potus secundum regulam prudentiæ in illis mediocritatem sectantis.) Aliud jejunium *liberum*, quod aliquis secundum rectam rationem, & ex motivo alicujus virtutis suscipit sine præcepti obligatione. Aliud *Ecclesiasticum*, quod secundum formam ab Ecclesia præscriptam instituitur; & definitur *Abstinentia a carnibus &c. & prandii, ac post cœnam cujuslibet cibi subtractio usque in diem sequentem.*

2 Ad Ecclesiasticum jejunium tria requiruntur, nempe ciborum delectus, id est, abstinentia a carnibus, abstinentia ab altera refectione, certum refectionis tempus.

3 Comestio ovorum, & lacticiniorum in sola Quadragesima, non item aliis jejuniorum diebus prohibetur, spectato jure communi; sed per consuetudinem in quibusdam Germaniæ Provinciis introducta est comestio ovorum, & lacticiniorum etiam in Quadragesima.

4 Olim in Quadragesima etiam a vino abstinendum erat; præsertim vero Hebdomada Sancta strictior abstinentia observabatur, quam nunc: Nam in Hebdomada Sancta cibis tantum aridis, pane, sale, aqua, & oleribus victitabant homines.

5 Pinguedo lardi in locis, quibus ovis, & butyro vesci licet, non tam severe diebus jejuniorum prohibetur, sicut caro: Quia pinguedo talis non est revera caro, licet ex carne originem trahat, perinde ac ova, butyrum. Sed consuetudo lardo utendi in jejunii diebus resistit. Accedit periculum etiam comedendi farcimina, si lardum concedatur, non sine gravi scandalo, & detrimento Ecclesiastici jejunii. Nihilominus tamen ex hac Sententia Confessarii pauperibus facilius possunt concedere lardum; quin etiam ditiores propter usum pinguedinis non facile mortalis damnari debent, ne, si nihilominus postea vescantur, gravius peccent propter conscientiam. Nam etsi consuetudo apud nos non ita usum saginis, sicut ovorum, casei, aut butyri permittat, est tamen etiam persuasio, minorem esse prohibitionem pinguedinis, quam carnis, ut proinde propter æquiparationem, & similitudinem saginis cum ovis, & butyro non sit sufficiens materia ad mortale (*a*).

„ (*a*) Apud nos tamen saginis usus perinde in-
„ terdictus censetur, ac carnium; quare nullum est
„ adhibendum inter utrasque epulas discrimen.

NB. Confessarii etiam ancillis jussu herarum lardum adhibentibus cum butyro mixtum ad pinguefacienda olera, si imperium detrectare nequeant, facile permittere possunt, ut coquant, & comedant.

6 Refectio unica in die jejunii moraliter continuata esse debet; potest tamen ob causam interrumpi, ac dividi, modo fiat cum intentione revertendi. Quod si aliquis sine intentione revertendi discedat, non potest deinde reverti post interpositum temporis intervallum; quia fierent plures comestiones, etiamsi convivium adhuc duraret. Ministri mensæ, & lectores in Monasteriis excusantur, si aliquid sumant, ut viribus non debilitati officium suum præstare possint.

7 Vini potio cum pauxillo panis per modum medicamenti (ne solus potus noceat, etsi per accidens nutriat) item confecta (*b*), si per modum medicinæ sumantur, jejunium non violant.

„ (*b*) Scilicet electuaria.

8 Tempus cœnandi diebus jejuniorum olim erat hora nona, id est, tertia post meridiem. In Quadragesima vero diutius jejunandum erat, videlicet usque ad vesperam. Sed posterioribus sæculis propter infirmitatem animi, & corporis anticipatum est tempus tum Canonici Officii vesperarum, tum cœnandi; si tamen cœna, & non magis prandium dici debeat, quod hodie etiam in Quadragesima circa meridiem, vel hora, aut sequi hora ante meridiem instituitur.

9 Collatiuncula nocturna (pro remedio somni) per consuetudinem introducta, est modica ciborum leviorum sumptio, V. C. fructuum, herbarum, &c. juncto pane, etiam pisciculo parvo, fumo siccato.

NB. 1. Jusculum, aut placentas edere in nocturna jejunii cœnula non videtur licitum, eo quod coctus cibus magis nutritioni serviat; modice tamen sumpta non sunt mortale. Lactucas comedere cum oleo nullum est peccatum. Etiam in his septentrionalibus partibus pane, & caseo modico licet vesci propter consuetudinem.

NB. 2. Quantitas cœnulæ secundum personarum, & regionum constitutionem metienda est; nam aliæ regiones aliis sunt frigidiores. Reginaldus talem Regulam tradit: Excessum tunc cœnulæ fieri, quando id, quod sumitur, notabiliter majus est quarta parte quantitatis ejus, quæ ad integram sufficeret cœnam; nisi causa aliqua excuset, V. C. corporis teneritudo, occupatio, vel assuefactio; qua ratione nobilioribus & assiduis studiosis litterarum interdum plus permittitur.

10 Collatiunculam circa meridiem accipere, cœna in noctem translata, est veniale, si sine justa causa fiat. Quia consuetudo collatiunculæ, cum sit contra Jus commune introducta, extendi non debet; & valde etiam refert, in his uniformem Ecclesiæ morem retinere.

11 Qui refectionem, sive cœnam multum sine causa anticipat, venialiter tantum peccat: Quia hodierna consuetudine introductum tempus refectionis non videtur requisitum ad substantiam jejunii, sed accidentarium solum est. Olim tamen anticipatio gravius prohibita erat.

12 Quoties aliquis in die jejunii comedit carnes, toties mortaliter peccat: Nam mens Ecclesiæ est, sic interdicere carnes absolute, ut nunquam in die prohibito comedantur, cujusmodi negatio distributionem tribuit prædicato, more aliarum negativarum propositionum, seu præceptorum.

13 Qui jejunium altera plena refectione violavit, eo die solutus est, eo quod forma jejunii destructa est; manet tamen obligatio a carnibus abstinendi, quippe a priore obligatione dividua.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Eo quia ad essentiam jejunii sufficiat unica refectio moraliter, licet non physice continuata, Confessarium advertere potest Famulos, aliosque, qui vel nolunt, vel non possunt expectare horam satis tardam ad comedendum, posse sine peccato aliquid sumere, quando jam approximatur hora prandii, quia ipsa comestio moraliter continuatur cum prandio paulo post sequuturo. Id maxime evenire potest respectu illorum gulosorum famulorum, qui dum mensæ Dominorum inserviunt, aliquid clam surripiunt, & comedunt; nam hi quamvis gulæ culpa possint inquinari, dicendi sunt non frangere jejunium, si post Dominos sunt statim comesturi.

II. Cum in carnis comestione detur parvitas materiæ, & hæc omnino excuset a peccato, maxime in præceptis humanis, quando adest causa rationabilis non abstinendi a tali materiæ parvitate, debet Confessarius monere Coquos, & Pincernas, posse parum carnis in die jejunii gustare; ita enim exigit ipsorum officium, nec proinde excusantur a jejunio. Bene autem facient, si expuant, postquam in ore gustaverint. Multo magis id facere

pot-

potest, qui infirmis inservit, ut illos certificare possit de bonitate ciborum, vel ad ipsorum excitandum appetitum; ita enim exigit Charitas, quæ potior est omni Ecclesiæ præcepto.

III. Cum justa existente causa possit anticipari, vel postponi hora refectioni destinata, sequitur, id fieri absque ullo peccato, si e. g. quis lecturus est ad mensam, vel habere concionem; si iter sit aggressurus, si excepturus hospites; si ad aliquam recreationem iturus, si post meridiem debeat statim ad aliqua applicare, quæ non exiguam requirant mentis occupationem; ut evenire potest dum grave negocium esset pertractandum, alicui studio incumbendum &c. Si quis vero vellet refectionem differre usque ad vesperam, ut jam mos erat Christianorum, id facere posset absque peccato, quia ita magis corpus maceraretur, quod est finis jejunii.

IV. Cum etiam, rationabili interveniente causa, licitum sit summo mane, aut circa meridiem sumere collationem, & prandium in noctem differre, hinc Confessarius non solum debet permittere, sed etiam imponere, ut ita jejunet illa, qui alia modo non potest jejunare, cum præcepta moralia debeant adimpleri congruentiori modo, quo fieri potest. Ita etiam se habent illi, qui mane commode prendere non possunt, vel ratione negotii pertractandi, vel eundi ad honestem recreationem. Ita etiam se habet, qui si in mane prandeat, difficilius somnum capiet, dum sero cubitum ibit.

V. Quamvis quidquid habet rationem potus sumi possit absque jejunii violatione, non tamen quod habet rationem cibi, quamvis ex eo aliquæ fiant potiones. Hinc uva, cucumeres, cerasa, & similia, quamvis sumantur, & deserviant ad sitim extinguendam; nihilominus comedi non possunt sine fractione jejunii, quia cibus reputantur. Idem dicas de quibusdam liquidis, ut sunt lac, jus, & similia; nam cum ordinentur ex se ad nutriendum, reputantur habere rationem cibi.

VI. Quamvis ex supradictis, quæ habent rationem potus non frangant jejunium, nihilominus curet Confessarius ita a suis pœnitentibus jejunari, ut etiam a potu non necessario abstineant. Quam maxime jejunio Deum placari demonstret, ac peccatorum pœnis satisfieri, quo tamen fructu carere necesse est illum, qui assidue die jejunii potando, & quantum potest cibi ingurgitando, non pœnam, sed potius delicias, & gulæ irritamenta invenit. Hinc intelligantur etiam, finem Ecclesiæ nobis indicentis jejunium esse concupiscentias carnis reprimere; & videri non pro paucis eorum vitio frustra canere: *Carnis terat superbiam potus, cibique parcitas*. Suadeat igitur quantum potest Confessarius suo Pœnitenti ita jejunare, ut supremo Judici aliqua ratione pro suis culpis satisfaciat, & ut corpus jejunio maceratum non tam crebro adversus rationem rebellet.

CAPUT II.

Quibus temporibus Jejunium ab Ecclesia præceptum sit?

1 QUadragesimæ jejunium ab Apostolis institutum semper in Ecclesiis, quamvis varie, observatum fuit.

2 Sabbato jejunare occidentalibus plerisque Ecclesiis usitatum erat; sed Orientales ut Festum colebant, ideo non jejunabant.

3 Credibile est, olim in omnibus Ecclesiis bis in hebdomada jejunatum fuisse, in Oriente Feria IV. & VI. in Occidente Feria VI. & Sabbato.

NB. In aliquibus Galliæ partibus per consuetudinem licite comeduntur carnes die Sabbati, & in Hispania die Sabbati intestina, & Hildesii etiam carnes die Sabbati.

4 Jejunia Quatuor Temporum antiquissimam institutionem habent secundum quatuor anni tempora, quæ olim præmittebantur ante Ordinationem Sacram.

5 A Paschate usque ad Pentecosten jejunia secundum antiquissimam traditionem cessant.

6 Quædam Vigiliæ Festivitatum cum jejunio celebrantur, partim ex mandato Ecclesiæ, partim consuetudine introducta, ut Vigilia Pentecostes, S. Joannis Baptistæ, S. Laurentii, & omnium Sanctorum.

7 Statio, jejunium, Vigiliæ interdum promiscue a Scriptoribus usurpantur, licet re ipsa differant. *Statio* sic dicta; quia stabant Christiani sub oratione in Ecclesia diebus jejuniorum ante accessum ad mensam. *Vigiliæ* sic dictæ; quia post cibum sumptum populus Christianus ad Ecclesiam revertebatur, ut ibi in orationibus vigilaret. Olim etiam in Adventu jejunatum est, unde preces dicuntur ad Horas.

8 Abstinentia a carnibus in diebus Rogationum de consilio est, non de præcepto.

9 Dominico die jejunare hodie prohibitum non est per se loquendo; sed non jejunatur ob lætitiam Resurrectionis.

CAPUT III.

De causis liberantibus a Jejunio.

1 PUeri, & puellæ ante completum annum XXI. jejunii lege non obligantur: nam eo tempore sunt in statu augmenti, ideoque frequentiore, & abundantiore alimento indigent. Eadem ratione etiam senes excusantur propter defectum caloris, & virium.

2 Probabilius est, senectutis certum tempus constitutum non esse, sed prudentis arbitrio definiendum, quando corporis vires ob ætatem deficiant, ut jejunii lege homo liberari censeatur, quia homines non eodem tempore simul incipiunt deficere; unde nec universali consuetudine talis ætas definita est, sicuti adolescentibus XXI. annis. Sexagenarius tamen in dubio potest præsumere, se liberum esse.

NB. Votum jejunii obligat instar præcepti Ecclesiastici, quoad modum, non item quoad personam.

3 Ægroti, convalescentes, mendici, pauperes, prægnantes, lactentes, & qui ob jejunium non possunt dormire, a jejunii lege excusantur. Catholici famuli, ministrantes apud hæreticos, possunt comedere carnes, dummodo scandalum tolli possit, si nimirum dicant, se in tali casu necessitatis Ecclesiæ præcepto non obligari. Toleratur etiam consuetudo, reliquias carnium finitis Bacchanaliorum diebus dari pauperibus. Item excusantur laborantes agricolæ, fabri, sutores (non item sartores, pictores, & tonsores), Concionatores, Professores, itinerantes, etiam equitantes, (a) propter concussionem corporis enim fatigantur. Verum in hac re certa regula dari non potest, nisi quam sæpius dedi, Ecclesiasticam legem non obligare cum magna difficultate.

„ (a) De itinerantibus tamen attendenda est pro-
„ positio 31. inter damnatas ab Alex. VII. *Excusan-*
„ *tur absolute a præcepto jejunii omnes illi, qui iter*
„ *agant equitando, utcunque iter agant, etiamsi iter*
„ *necessarium non sit, & etiamsi iter unius diei confi-*
„ *ciant*.

4 Lex jejunii cessat, si non possit consistere cum opere præstantiore, aut majoris momenti; ut sunt opera misericordiæ, infirmarii, Concionatoris, Præceptoris, opus justitiæ, defectus reddendi debiti, opus charitatis, si uxor mariti iram effugere non possit, nisi comedendo; modo jejunium non prohibeat in contemptum Religionis. Ratio horum est: Quia non oportet jejunium ab Ecclesia indictum majoris alicujus boni esse impediens.

5 Opus jejunii, præsertim præcepti, plerumque melius est, quam peregrinatio: Unde voluntaria peregrinatio non semper est sufficiens causa jejunii violandi, nisi pro pœnitentia imposita non possit alium in diem differri. Pilæ lusu fatigatus per accidens, modo absque proposito violandi jejunium luserit, excusatur a jejunio.

6 Jejunii præceptum, sicuti, & alia Ecclesiastica, moraliter intelligenda sunt, ut iis non nimis homines graventur: Unde Confessarii non nimis urgere debent confitentes, si rationem probabilem, quæ illis justa videatur, afferent, cur in Quadragesima tantum bis, vel ter in hebdomada jejunent, ne forte, si ipsis contradicant, vel nunquam omnino jejunent, vel ob conscientiam gravius peccent.

7 Lex jejunii Quadragesimalis ita omnibus sæculis apud Christianos frequentata est, ut irrationabilis censeri possit consuetudo ejus abrogatoria. In frigidioribus tamen his regionibus causam aliquo modo probabilem asserentes, cur non omnibus diebus jejunent, attamen a carnibus abstinentes, absolvi possunt a Confessariis.

8 Facilius accidit excusatio ab ea præcepti parte, quæ alteram refectionem in die jejunii prohibet, quam ea, quæ esum carnium prohibet: Tamen propter infirmitatem certam stomachi opus non est dispensatione; in dubio autem licentia petenda est ab Episcopo, vel eo absente a Parocho pro consuetudine Diœcesis.

NB. Repetitio refectionis in die jejunii non conceditur, si solum concedatur esus carnium, quia alii cibi non possunt haberi (b).

„ (b) Sententiam huic oppositam modo sequi non
„ licet, postquam Bened. XIV. in sua constitut. *Non*
„ *ambigimus*, Bull. tom. 1. n. 19. id vetuit, mandans,
„ ut a carnibus dispensati teneantur ad unicam co-
„ mestionem ut cæteri non dispensati.

9 Episcopi ob publicam causam jejunium in alium diem transferre non prohibentur; V. C. si jejunium incidat in Festum solemne peculiariter in aliqua civitate celebrari solitum; item, si Vigilia S. Mathiæ incidat in Bacchanalia, potest anticipari authoritate Episcopi.

Regu-

Regula in praxi observanda.

I. Advertat Confessarius ratione impotentiæ communiter a Theologis excusari infirmos, & si dubium sit, an talis sit infirmitas, ut valeat eximere ab obligatione jejunii, neque possit consuli Medicus, semper favendum est infirmis, Valetudinariis &c. cum semper periculum possit esse, ne malum vel ingravescat, vel redeat. Sub nomine infirmorum veniunt etiam, qui ratione jejunii patiuntur vertiginem capitis, vel somno privantur, etiamsi differant comedere ad vesperam, cum non intendat Ecclesia illos ad jejunium cum tanto incommodo obligare.

Ratione impotentiæ excusantur etiam prægnantes, & lactentes, quamvis aliquæ robustæ videantur. Ratio autem est, quia nunquam moraliter possunt esse certæ, ut ex jejunio non immineat illis, vel foetui, seu parvulo lactenti aliquod grave præjudicium; cum etenim tales mulieres indigeant plurimo, & frequenti alimento, jejunando facile desinerent esse robustæ, & id non esset sine præfato gravi præjudicio. Immo suadent Theologi, facile cum ipsis dispensandum etiam quoad comestionem carnium, si illas, cum sint prægnantes, vehementer appetunt; nam tali appetitu non expleto, periculum esset partus intempestivi. Idem dicendum, si Nutrices sint debiles, seu infantulus infirmus; nam si tunc nutrix a carnibus abstineat, posset grave saluris præjudicium infantulus subire.

Inter impotentes etiam recensendi, qui propter jejunium cogerentur non servare præcepta magis obligantia. Ita non tenetur jejunare, qui jejunando non posset præstare ea, ad quæ tenetur ex justitia; & sic excusetur a jejunio mulier, quæ jejunando non posset viro reddere debitum, & e contra; nam talis obligatio cum sit ex justitia, magis obligat, quam præcepta Ecclesiæ. Non puto tamen excusandum a jejunio illum, qui non posset jejunando copulam habere, si id non esset nimis grave compati; nam non videtur mihi rationabilis causa non jejunandi velle se potentem reddere ad veneream delectationem. Secus si compars valde ægre id ferret, vel esset in periculo peccandi, nam tunc vel ratione justitiæ, vel ratione Charitatis teneretur se potentem reddere.

II. Ratione laboris excuset Confessarius a jejunando omnes exercentes artes laboriosas. Hujusmodi absque dubio sunt Agricolæ, Fabri ferrarii, lignarii, lapidarii, coriarii, camentarii, sculptores, argentarii, fullones, textores, figuli, lanarii, furnarii, typographi versantes prælum, sutores conficientes calceos, coqui parantes multas dapes pluribus personis, nautæ remigantes, seu tractantes vela, molitores, bajuli &c. Neque refert exercentes talia opera esse sive divites, sive pauperes, sive ea exerceant ex officio, sive voluntarie; nam exercentes talia opera pro majori parte diei faciunt opera incompossibilis jejunio, unde ab eo semper excusantur.

Illud etiam advertere debet Confessarius, quod etiamsi prædicti cessent una, aut altera die a præfatis operibus, non proinde ea die tenentur ad jejunandum; nam ratione laboris antecedentis non parum sunt fatigati, & debiles, & proinde bene excusari possunt a jejunio. Secus dicendum, si pluribus diebus a labore cessarent. Hinc, si in Quadragesima incidat extra diem Dominicæ aliquis dies festus, non statim obligandi sunt ad jejunandum, qui cæteris diebus hebdomadæ artem laboriosam exercuerunt.

Quoad itinerantes advertere est non excusari a jejunio, qui equitando per unicum diem iter agunt, ut patet ex propositione, quam supra dedi, damnata ab Alex. VII. Et revera non intelligitur subire laborem incompossibilem cum jejunio, qui per unicam diem iter faceret, habens equum placidum, gressu facilem, incedentem sine agitatione &c. Posset solummodo, qui ita equitaret, excusari a jejunio per accidens, v. g. ratione debilis complexionis; carentiæ congrui alimenti; vel si pro illa die necesse habuisset currere cum magna defatigatione, ut aveniat Cursoribus.

Qui per unicam diem, vel per magnam diei partem iter faciunt pedestres, communiter a jejunio excusantur; nam talis labor censetur valde arduus, & id verificatur maxime in ordine ad Muliones, & Agasones, qui etiam defatigantur labore conducendi bestias.

Item excusantur a jejunio, qui debent per plures dies iter facere equitando, & possunt a prima die non jejunare; nam tale iter plurium dierum est gravis incommodi; unde & potest quis prima die itineris non jejunare, ne nimis patiatur diebus subsequentibus.

Non excuset Confessarius a jejunio Sartores, & Barbitonsores, cum ipsorum labor non reputetur cum jejunio incompossibilis. Excusarentur vero si ratione paupertatis non haberent congruum alimentum; vel deberent Sartores extraordinario labore etiam per magnam noctis partem suere; ut evenire posset, si aliqua festivitas immineret, & non potuissent necessarias vestes facere &c.

Pictores, Scribæ, Secretarii non judicantur subire laborem cum jejunio incompossibilem. Per accidens possent excusari ratione debilis complexionis &c. aliisque causis supra attactis.

Milites semper excusantur a jejunio; si enim sint in castris magnos patiuntur labores, & debent servare vires ad fortiter dimicandum: si sint in Munitionibus, adhuc excusari possunt a jejunio propter vigilias noctis, exiguum cibum &c.

III. Ob titulum pietatis excusantur a jejunio inservientes in Hospitalibus &c.; nam non modicum die, noctuque patiuntur laborem. Secundo, excusantur Peregrini, dum ipsorum peregrinatio est cum jejunio incompossibilis. Tertio, excusantur Lectores, & Cathedratici Scientiarum, quando magno indigent studio, & non ordinario labore, ut dictent Lectiones; secus si haberent lectiones jam ordinatas &c. Idem dicas de quocumque, cui necessarium est magnum studium, ut alios instruat, & edoceat; nam studium nobiliores consumit spiritus, & calorem minuit corporis magis, quam labor corporalis, cum potius ex hoc multi fiant robustiores, & majoris valetudinis &c. Si ergo labor corporalis excuset a jejunio, quo magis magnum studium? Hinc etiam Jurisperiti a jejunio excusari possunt, si non exiguo indigeant studio ad causas patrocinandas &c. Quarto, excusari possunt a jejunio Concionatores, qui ter, aut quater in hebdomada concionantur; nam ultra studium ad id necessarium, valde defatigantur ex vehementi animi attentione, & agitatione corporis. Præterea non solam attendere debent, an possint jejunare ea die, qua concionantur, sed etiam ad conservendas vires, ut per reliquum tempus Quadragesimæ possint concionari. Unica concio habenda utique imprudenter judicaretur labor incompossibilis cum jejunio, si non fiat a debili Concionatore; vel si non sit necesse in ea multum defatigari, quapropter jejunium posset extraordinarium incommodum afferre.

Confessarii ordinarie non excusantur a jejunio. Nihilominus si aliquis Confessarius vel propter exiguam valetudinem, vel propter extraordinarium laborem in confessionibus audiendis non posset jejunare, non proinde teneretur a confessionibus audiendis abstinere; cum præceptum Charitatis, quod exercetur in audiendis confessionibus, præstantius sit præcepto jejunii.

IV. Quoad dispensationem, ex qua eximuntur Fideles ab obligatione jejunandi, advertant in praxi Parochi male se gerere, quando requisiti a Fidelibus, ut in dubio causæ sufficientis secum dispensent quoad jejunii obligationem, id relinquunt ipsorum Conscientiæ. Male, inquam, & ignoranter se gerunt, quia in dubio proprium est Parochi, seu Prælati dispensare; nam stante causa dubia, adest motivum justæ dispensationis, quam dispensationem in dubio non possunt subditi sibi ipsis impertiri. Quod si apparet, causam non esse omnino sufficientem ad dispensandum, tunc possunt partim dispensare, & partim commutare in aliud pium opus, & ita occurrere angustiis conscientiarum suarum ovium.

V. Confessarius moneat Medicos, ne nimis scrupulosi sint in affirmando, aliquos servare non posse jejunium Ecclesiasticum. Constat experientia non paucis non robustæ valetudinis vel jejunium, vel qualitatem ciborum non leviter officere. At a contra nimis laxi non sint in præbendo testimonium aliquos a jejunio esse excusandos. Quamplures toto anni decursu, & præcipue tempore bacchanalium de omni cibo comedunt, quibuscumque immodicis comessationibus, & compotationibus, quantum ipsis possibile est, intersunt. Interim Medicus ab ipso Quadragesimæ initio testatur, impotentes esse ad jejunium servandum: *Medici*, ait S. Carolus Act. p. 3. Edict. Observ. Quadrag. *meminerint, ita suarum esse partium corporis incolumitati prospicere, ut non obliviscantur potiorem haberi debere Animarum salutem. Quapropter caveant diligenter, ne alienæ culpæ participent, nimia facilitate sua in fide facienda necessitatis utendi cibis vetitis.*

TRACTATUS IX.

DE

Ecclesiastica Immunitate.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Ecclesiastica Immunitas?

1 IMmunitas (quasi *immuneris*, id est, oneris *vacatio*) Ecclesiastica est, *jus quo loca, res, vel personæ Ecclesiasticæ a communi onere, seu obligatione liberæ, & exemptæ sunt*. Dixi in plurali, *loca, res, personæ*: Quia particulares Ecclesiæ exemptiones nomine Ecclesiasticæ immunitatis comprehendi non solent, sed solum exemptiones illæ, quæ toti statui Clericorum communes sunt. Quæ ipsa causa est, cur Clerici ne juramento quidem Ecclesiasticæ immunitati renuntiare possint: Quia non ob particularem aliquorum, sed communem Ecclesiasticæ Hierarchiæ favorem constituta est.

2 Triplex est Ecclesiastica immunitas: *Localis*, quæ Ecclesiis, *realis*, quæ bonis Ecclesiasticis, *personalis*, quæ personis Ecclesiasticis debetur.

CAPUT II.

De causis, & negotiis Ecclesiasticis a civili potestate omnino exemptis.

1 CAusæ omnes spirituales secundum propriam institutionem a sæcularium Judicum potestate liberæ sunt: Quia potestas Ecclesiastica penitus diversa & discreta est a civili; nam illa supernaturalis est tum ratione originis, tum ratione finis sui; hæc vero & naturalem originem habet, & temporalem pacem tanquam finem spectat, sicut dixi Lib. 1. Tract. 4. cap. 6.

2 Causæ spirituales censentur, quæ ad Dei cultum, vel spiritualem animæ salutem directe spectant, V. C. quæ sunt de Fidei doctrina, Sacrificio Missæ, & Sacramentis, Ministrorum ordinatione, officiis, beneficiis, decimis, Ecclesiarum, valorum, virginum consecratione, aliisque Sacramentalibus, &c. Ratio: Quia omnis potestas jurisdictionis versatur circa propriam materiam, qua veluti limite suo continetur; materia autem potestatis desumitur ex proprio fine, ad quem ordinatur. Cum igitur omnes hæ causæ enumeratæ tendant ad finem spiritualem, ac supernaturalem, sequitur, quod propriæ sint potestatis spiritualis, & quod sæcularis potestas sua authorita-

te, &

te, & sine commissione ad eas se extendere nullo modo possit, cum tales causæ extra limites sint, & veluti extra sphæram materiæ ejus.

3 In causis mere civilibus, quæ sunt de laicorum dominio, tutela, contractibus, testamentis, ac similibus, quæ formam suam, atque obligationem a civili Jure acceperunt, Judex Ecclesiasticus ordinarie se non immiscet: Quia utriusque tum civilis, tum Ecclesiastici Magistratus officia discreta esse debent. Extraordinarie tamen potest se immiscere Judex Ecclesiasticus in defectu justitiæ in foro sæculari; item in causis personarum miserabilium. Item per modum denuntiationis Evangelicæ ad Prælatos Ecclesiæ pertinet de quovis peccato mortali cognoscere, aut, si Reus se corrigi non patiatur, ad Censuram illi infligendam procedere. Aliæ sunt causæ mixti fori, id est utriusque, ideo datur locus præventioni, quod potissimum accidit in criminibus, quæ dicuntur mixti fori.

4 Crimina alia sunt mere Ecclesiastica, alia mere civilia, alia mixta. Ecclesiastica dicuntur, quæ solum Canonico, aut divino positivo Juri adversantur, ut violatio jejunii, & aliorum præceptorum Ecclesiæ; Christi item, circa Sacrificium, & Sacramenta; item, quæ solo Jure naturali prohibita sunt, sed a Magistratu sæculari non cognoscuntur, nec puniuntur; vel quia ab eo cognosci non possunt propter suam spiritualitatem, ut hæresis, simonia; vel quia non solent cognosci, cum nec sint prohibita Jure civili, ut violatio pacti simplicis, deceptio intra dimidium pretii justi in emptionibus.

Crimen mere civile, seu sæcularis tantum fori dicitur transgressio legis mere temporalis, & politicæ, V. C. de non portando armorum genere, non evehendo frumento, solvendis tributis; item violatio contractuum, testamentorum, & similium, quæ secundum formam Juris civilis regulari debent; ejusmodi enim causis se Judex Ecclesiasticus non immiscet, nisi propter necessitatem, & per accidens.

5 Crimina mixta, seu utriusque fori censentur, quæ vel utroque jure prohibita sunt, V. C. nocturna gestatio armorum; vel quæ jure naturali vetita, atque ita comparata sunt, ut licet propriam spiritualitatem non habeant, tamen non solum statui politico, sed etiam supernaturali fini Reipublicæ Ecclesiasticæ specialiter repugnent. Talia crimina sunt, I. Sponsaliorum violatio. II. Adulterium, quia peccatur contra matrimonium, quod est Sacramentum: & licet crimen adulterii fori sæcularis sit juxta Molinam; tamen causa divortii, ejusque accessoria quæstio alimentorum, ac dotis amittendæ, ad solum Judicem Ecclesiasticum spectat. Quamobrem si lite coram sæculari Judice mota de alimentis uxori separatæ præstandis a marito, is opponat adulterii crimen, ob quod mulier jure alimentorum privata sit, Judex sæcularis lite supersedere debet, donec quæstio incidens ab Ecclesiastico terminetur. III. Usuræ crimen (quod alioquin, si ejus naturam secundum se spectemus, fori sæcularis est, tamen ideo mixti est fori, quia olim Cæsareo jure multæ usuræ impunitæ, imo licitæ censebantur. IV. Blasphemia. (4) V. Perjurium tendens contra Deum supernaturaliter nobis revelatum, ideo quoque ad judicium Ecclesiasticum pertinet. VI. Sortilegium, seu magia illicita, utpote perniciosum crimen junctum cum periculo fidei, & irreverentia Dei, ac sæpe rerum sacrarum indigna tractatione.

„ (4) Intellige tamen blasphemias simplices; nam „ de hæreticalibus cognoscere pertinet ad Judicem Ec„ clesiasticum.

6 In criminibus mixti fori unus Judex non præjudicat alteri, quo minus & ipse in suo foro cognoscere, & judicare possit. Ratio: Quia jurisdictio Ecclesiastica, & sæcularis sunt omnino distinctæ: Ergo absolutio in judicio uno non parit exceptionem rei judicatæ in altero judicio. Si tamen Reus in uno foro totaliter judicatus, & punitus fuit, in altero foro deinde non potest puniri, & judicari; quia æquitas non patitur, ut idem de eodem crimine bis judicetur, & puniatur. Et quamvis Ecclesiastica, ac civilis potestas diversæ sint, tamen una alteram juvare, & una alteri, quatenus æquitatis ratio postulat, consentire debet.

Crimina mixti fori intelligi debent solum in ordine ad laicos, non vero Clericos; item in ordine ad Christianos, non vero Judæos, utpote extra Ecclesiam, nisi sint sub protectione Ecclesiastici Magistratus.

7 Crimen interdum mixti fori censetur secundum ordinem ad diversos effectus, V. C. si quis se ipsum interficiat, causa ista ad civile tribunal spectat quoad confiscationem bonorum; quoad sepulturam vero ad Ecclesiasticum.

8 Si circa crimen mixti fori quæstio juris incidat, solius Ecclesiastici Judicis est definire, V. C. utrum tale juramentum licitum sit, an illicitum: utrum sit magia naturalis, an superstitiosa: utrum sponsalia, vel matrimonium valeant, an rescindi possint; idque propter annexam spiritualitatem. Sic etiam usuræ, V. C. utrum contractus sit usurarius: nam ex jure civili non satis cognosci potest, quinam contractus velut usurarii damnari debeant; sed secundum jus Canonicum id potius examinandum est.

9 Si quæstio spiritualis incidat coram Judice sæculari, supersedere is debet causa principali, donec incidens coram Ecclesiastico terminetur: V. C. si petendi hæreditatem objiciatur, ex illegitimo thoro natum ipsum esse; quæstio hæc ad Ecclesiasticum judicium transmittenda est. Idem sentiendum de perjurii, & usuræ delicto: nam Ecclesiastico Judici proprium est cognoscere inter lepram, & non lepram, peccatum & non peccatum.

10 Si facti quæstio incidat super usura, perjurio, &c. V. C. utrum re ipsa usura sit commissa, Judex sæcularis in foro suo inter Laicos cognoscere, & usurarium ad usuræ restitutionem compellere potest, & punire, uti & perjurum. Causæ sponsaliorum regulariter ad Judicem Ecclesiasticum spectant; si tamen opponatur, sponsalia valida non fuisse, vel legitimam causam rescindendi adesse, tunc etiam competens erit Judex laicus, ut ad sponsaliorum fidem compellat, & violatorem puniat. De matrimonio si dubitetur, an irritum sit, ad Judicem Ecclesiasticum pertinet; si vero constet, irritum esse, aut clandestine contractum, tunc etiam Judex sæcularis punire potest. De juramenti autem valore interdum sæcularis Judex definire potest, propterea quod vires juramenti interdum, saltem indirecte, ex Juris civilis dispositione pendeant. Siquidem civilis lex interdum ob bonum publicum impedire potest, quo minus contractus Reipublicæ perniciosus, quamvis interposito juramento, impleri debeat. An vero legislator id intenderit, ad civilem Judicem pertinet examinare.

NB. Sicut de rebus aliis, ita etiam de Ecclesiasticis, puta Ecclesiastico beneficio, jure Decimarum, jure patronatus &c. duplex judicium institui potest: Unum de possessione, quod dici solet judicium possessorium; Et alterum de proprietate, quod dici solet petitorium. Quod ad causam proprietatis, sive petitorium judicium attinet, ut cum quæritur: Utrum Titius canonice institutus sit in beneficio; utrum jus Decimarum, jus eligendi, jus patronatus, jus sepulturæ ipsi competat: Utrum Caja sit legitima uxor Sempronii; de hujusmodi nemo Catholicorum negat, solius Judicis Ecclesiastici esse cognoscere, & judicare. De possessorio autem judicio est controversia inter Juristas: Nam aliqui existimant, laicum Judicem in causa possessionis, V. C. beneficii, obtinendæ, & recuperandæ competentem esse. Probant ex Doctrina Gloss. in c. litteras, Possessionem rei spiritualis non spiritualem, sed temporalem esse; quia non in jure, sed in mero facto consistit. unde illud: *Proprietas nihil commune habet cum possessione.*

11 Sed contraria sententia est vera: Nam licet mera occupatio, sive detentio rei in facto consistat, tamen possessio justa non est sine jure, cum sit jus insistendi, seu detinendi rem aliquam: consequenter possessio rei spiritualis, itidem spiritualis est; sequitur enim naturam proprietatis. Quare sicut Laicus proprietatis incapax est, ita & possessionis juris spiritualis; & sicut causa proprietatis, ita & causa possessionis circa spiritualia ad solum Ecclesiasticum Judicem pertinet.

12 Axioma illud, Proprietatem nihil commune habere cum possessione, intelligendum quoad acquisitionem: quia separari possunt, ut penes alium sit rei dominium, & penes alium rei possessio. At vero causa proprietatis, & causa possessionis, quoad spiritualem cognitionem connexa sunt, & dividi non debent. Ratio est partim, quia causa possessionis sæpe obtineri non potest, nisi exhibito jure, sive titulo aliquo proprietatis: partim quia judicium possessorium multum præjudicat petitorio propter sublevationem probationis, & juris prærogativam: quandoquidem in dubio, seu pari causa, possessori res adjudi-

judicari debet ; Eademque ratio est de Decimis Clericalibus.

13 Si quæstio non sit de possessione juridica, sed de solo facto, & injuria Laici turbantis, vel pellentis Clericum e possessione beneficii, aut juris Decimarum ; sæcularis Judex cognoscere non prohibetur contra Laicum, est enim mixti fori ; sicut si Laicus Ecclesiam violavit calicem furando : nam crimen sacrilegii etiam est mixti fori. Quod si Laicus prætendat privilegium exemptionis a Decimis, tunc ad solum Judicem Ecclesiasticum spectat causa. Conductor vero Decimarum coram Laico conveniendus est, si negligens sit ; quia non agitur de jure aut possessione Decimarum, sed de pretio conductionis, qui est contractus politicus. Causas Decimarum mere laicarum, & fundatarum in concessione Summi Pontificis ante Concil. Lateranense, cum a titulo & jure spirituali separatæ sint, passim sæculares Judices cognoscunt.

14 Si Laico ab Ecclesia Decimæ in feudum concessæ sint, non ideo consequens est, concessum etiam esse jus judicandi de talibus Decimis : tum quia tales Decimæ non omnino alienatæ sunt ab Ecclesia, sed tantum quoad dominium utile : est enim receptissima regula DD. Controversiam de feudo coram Domino feudi decidi oportere, cum sæpe ejus etiam intersit : tum quia ejusmodi concessiones & privilegia, quæ Ecclesiæ & juri communi derogant, extendi non debent.

15 Orta Controversia inter Clericum, & Laicum de Decimis sintne Clericales, an laicales, ad Ecclesiasticum Judicem pertinet cognoscere, ac judicare : Cum enim in hoc casu quæstio principalis omni jure ad Ecclesiasticum Judicem spectans de jure proprietaris sit, sequitur etiam accessoriam, quæ est de possessione, ab eodem Judice cognosci oportere. Accedit, quod Laici non possint possidere Decimas ; consequenter neque præscribere, nisi titulum, vel concessionem exhibeant, vel saltem ostendant constantem famam esse de concessione ipsis facta. Cognitio autem, sive examinatio tituli, & justitiæ ejus ad Ecclesiasticum Judicem spectat.

NB. Possessionem immemorialem inducere præsumptionem tituli ac privilegii, verum est, modo aliquis præscriptionis capax sit ; secus non.

C A P U T III.

De Asylo, seu Jure immunitatis constituto Ecclesiis.

1 LEgibus tum Civilibus, tum Canonicis asylum, seu jus immunitatis Reis ad Ecclesiam confugientibus, constitutum est. c. eos, qui. d. 87. ex Concil. Arausicano I. can. 5. *Eos*, *qui ad Ecclesiam confugiunt*, *tradi non oportere* ; *sed loci sancti reverentia*, *& intercessione defendi* ; idque secundum juris naturalis congruam æquitatem. Nam lex naturalis absolute id non præcipit, etiam supposita sanctitate loci ; Quippe cui extractio malefactorum, quæ per se justa est, repugnare non videtur. Lex vero Mosaica post Christi mortem expiravit.

2 Non solum templa etiam interdicta, & sacella, sed etiam alia loca religiosa, ut Hospitale Episcopi authoritate fundatum, Monasterium, quin & Episcopi palatium, Ecclesiastica immunitate gaudeant. Secus sentiendum est de sacellis privatis, in quibus Sacerdotes privilegiati super portatili Missam celebrant. Ecclesiæ etiam immunitate gaudent domus Religiosorum, Canonicorum, licet interdictæ sint ; qoia hæ Juris censuræ, cum pœnales sint, & odiosæ, extendi non debent ultra casus Jure expressos.

NB. Etiam Ecclesia, licet necdum divina in ea celebrari cœperint ; quin & cæmiteria.

3 Immunitas Ecclesiæ Reis concessa amplius se extendit, quam violatio ; adeo, ot licet Reus fugiat ad turrim, vel in superiorem partem fabricæ, jus immunitatis tamen locum habeat. Nec obstat, quod in talibus locis Ecclesia non polluatur : Nam Ecclesiæ violatio odiosa est ; immunitas autem favorabilis.

4 Probabile est, ac decens, ut Reus confugiens ad Sacerdotem S. Eucharistiam manibus ferentem, ab Ecclesia defendatur : quia Corpus Christi multo dignius est, imo ratio, & quasi fundamentum immunitatis concessæ locis sacratis.

5 Alius est Reus debiti, alius criminis. Reus debiti etiam tutus est, si fugiat ad Ecclesiam.

6 Nemo criminosus ad Ecclesiam confugiens extrahi inde debet, nisi in casibus Jure expressis, V. C. si crimen in Ecclesia committatur : Quia in tali casu Reus infert injuriam loco sacro ; ideoque indignus est, ut inde defendatur, ex quo potius pœnam meretur.

7 Qui prope Ecclesiam fiducia immunitatis delinquit, non ideo hoc privilegio privandus est ; quia non delinquit contra reverentiam Ecclesiæ, cum in ea peccatum non perpetret.

8 Publicus latro, vel agrorum depopulator, hæreticus, & qui per insidias hominem occidit, immunitate sacri loci gaudere non debet : Secus dicendum de iis, qui sine insidiis, tamen ex proposito hominem occidunt : Quia lex (odiosa) non facit mentionem nisi insidiatorum, ideo stricte interpretari debet (a).

„ (a) Ex vi tamen bullæ Benedicti XIII. *Ex quo* „ *Divina*. Nullus homicida etiam in rixa dummodo „ reus fuerit deprehensus in processu immunitate ista „ gaudet ; quæ tamen bulla extra ditionem Ecclesiæ „ non ubique valet, sed concedi solet Principibus „ eam petentibus.

9 Assassini (constituti ab aliis, ut alios occidant) non gaudent immunitate Ecclesiæ. Fures in Gallia gaudent immunitate Ecclesiæ : Item fugitivus ex arresto. Hæretici, ut dixi, non gaudent.

10 Omnes fideles etiam excommunicati, non item infideles, hac immunitate gaudent ; Excommunicatio enim non privat delinquentem immunitate.

11 Clerici, qui exemptionis privilegio gaudent, confugientes ad Ecclesiam propter delictum, ab Ecclesiastico Judice suo extrahi possunt : Tum qoia Ecclesiasticus Judex majorem potestatem habet in Ecclesia, quam sæcularis ; tum quia in judicio Ecclesiastico non ita severe agitur ad corporis pœnam, & publicam vindictam, sicut in sæculari : Unde Ecclesiasticum judicium in Ecclesia etiam exerceri potest ; non autem sæculare.

12 Si infidelis Reus ad Ecclesiam confugiens sacrum Baptisma non simulato petere videatur, defendendus est.

13 Immunitatis Reorum ad Ecclesiam confugientium effectus sunt. I. Quod Reus in loco sacro capi, incarcerari, aut vinculis constringi non possit. II. Quod interim, dum in Ecclesia moratur, non possit sententia mortis in illum ferri. III. Quod prohiberi nequeant, quo minus victus, ac vestitus ad Reum deferantur. IV. Quod rebus, aut bonis suis, quæ secum ad Ecclesiam attulit, spoliari non possit, nisi res sit aliena, aut arma prohibita. V. Quod Reus per vim, seu invitus e loco sacro extrahi non possit.

14 Judex sæcularis Reum extra casus Jure, vel legitima consuetudine exceptos, e loco sacro extrahens, sacrilegium committit, ipsique Judex Ecclesiasticus claudendo fores resistere potest, præsertim censuris.

15 Processus judicii contra Reum illegitime extractum ipso jure irritus est. Si enim fundamentum judicii jure non consistit, necesse est omnia, quæ in eo fundantur, irrita esse : Sed omnis ulterior judicii processus fundatur in captura, per quam veluti possessio in Reum acquiritur : Ergo si captura per injustam violentiam attentata fuerit, reliquus etiam processus ipso jure irritus censeri debet.

C A P U T IV.

De Exemptione Clericorum in causis criminalibus.

1 CLerici in omnibus causis criminalibus plenissimum privilegium exemptionis a foro secularium obtinent. Constat ex multis Conciliis, & Pontificum decretis. Eandemque exemptionem Christiani Imperatores Constantinus, &c. agnoverunt, & decreverunt.

2 Quæ Justinianus Imperator de Ecclesiasticis causis, ac personis decrevit, nullam vim obtinent, V. C. ubi constituit, Clericos fures, & homicidas coram seculari Judice conveniri posse : Constitutiones enim illæ a Friderico II. correctæ sunt. Ratio, & æquitas hujus exemptionis est : Quia valde indecens est, ut status inferior judicet superiorem : Sed Clerici, & Sacerdotes in digniori, & altiori statu sunt : Ergo indecens, & in contumeliam status Clericalis cedit, si a Laicis judicentur.

3 Necessitas publici, aut privati incommodi avertendi non tribuit seculari Magistratui jurisdictionem in Clericos ; sed jus duntaxat defensionis naturalis. Si violentia utantur Clerici, possunt abigi cum moderamine inculpatæ tutelæ.

4 Ob

4 Ob defectum justitiæ, seu negligentiam Ordinariorum Clerici ad seculare tribunal trahi non possunt: Quia sæculares non sunt capaces jurisdictionis exercendæ in Clericos, nisi ex commissione Prælatorum; qua seclusa, non possunt ulla consuetudine defendi: Quia incapax possidendi, incapax est etiam præscribendi, & major minoris, non minor majoris negligentiam, ac defectum supplere debet.

5 Ecclesiastici Judices contra subditos suos tunc seculare brachium invocare possunt, si ordinarium juris remedium ipsis deficiat. Unde nec subditis Judicum Ecclesiasticorum licet seculates Superiores in subsidium vocare contra Magistratum suum Ecclesiasticum; præterquam in casu necessitatis extraordinario, cum nullum aliud remedium suppetit.

6 Clericus in flagranti crimine deprehensus, aut suspectus de proposito patrandi a seculari potestate capi potest, ut Judici Ecclesiastico tradatur, V. C. in crimine pernicioso Reipublicæ, furto, homicidio. Intellige, si necessitas requirat, & mandatum Prælati saltem tacitum interveniat: Alioquin enim valde difficile, & moraliter impossibile erit, nec nisi Clericus resistat, intra terminos necessariæ defensionis consistere, & jurisdictionem in Clericos propria authoritate non exercere; quod Laicis probibitum est.

7 Judex secularis Clericos, arma contra publicam prohibitionem in plateis gestantes, non ita privare potest, ut eorom restitutionem deneget; nisi Prælatorum consensus accedat. Nam Clericos quidem secundum vim directivam obligatur legibus ob publicam civitatis quietem latis; non tamen secundum vim coactivam, ut a seculari Magistratu puniri possit. Excipe, nisi armorum usus tanquam Reipub. perniciosus, sit ita prohibitus, ut neque domi retinere concessum sit.

8 Clericus debitor, si fugam meditetur, interim a Judice seculari, aut creditore capi potest, ut Judici suo sistatur, & ad solutionem, ejusve cautionem compellatur. Nam hoc casu Clericus perinde se habet, ut fur; talem autem capi, & reduci posse, nemo negat; quia contra vim injustam cuilibet se defendere jure naturali concessum est.

9 Clericus a seculari Judice ad testificandum cogi non potest. Ratio: Quia testimonium alicujus authoritative requirere, seu imperare, est actus jurisdictionis ad proprium Superiorem spectans; Clerici autem exempti sunt a jurisdictione secularium Judicum. Si tamen ultro velit testificari, potest etiam sine licentia Episcopi.

10 Plures si simul delinquant, ut Clericus, & concubina, omnes ab eodem Judice Ecclesiastico puniri possuns: Quia Ecclesiasticus Judex dignior est laico.

11 Consuetudo tamen obtinet, ut Judices seculares contra concubinas Clericorum procedere soleant; sed id agere debent non usurpata jurisdictione in Clericos, & domus eorum. Inique autem condemnatur Clericus ad expensas incarceratæ concubinæ, quia hæc est pœna, quæ a seculare Judice inferri non potest.

12 Qui post crimen commissum Clericus, aut Religiosus factus est, a seculari Magistratu judicari non potest, nisi causa præventa fuerit. Quia privilegium exemptionis introductum est ob honorem status Clericalis: Ergo omnes eo gaudere debene, qui statum Clericalem assumpserunt.

13 Si bona per accidens subjiciuntur Magistratui seculari propter subjectionem personæ, tunc liberata, aut exempta persona, consequenter etiam bona eximuntur jurisdictione, modo non sint confiscata: Sicuti si quis, qui delictum commisit, ob quod molestari poterit, ante cœptum judicium mutet domicilium, a jurisdictione liberatur, nec potest deinde in ipsum sententia ferri.

Clericus ad statum laicalem transiens judicari potest a Judice Ecclesiastico propter crimina in Clericatu commissa: Quia non tam mutat forum, quam cumulat forum cum foro.

CAPUT V.

De Exemptione Clericorum in causis civilibus.

1 Clerici in causis quoque civilibus, ideoque etiam realibus a seculari potestate exempti sunt. Ratio: Quia si bona non habeant obligationem per se propriam sibi, seu realem, sequuntur conditionem, & statum personæ; ita, ut si ea eximatur a jurisdictione, etiam bona ipsius exempta sint; siquidem fieri non potest, ut Judex de bonis processum judicii, atque sententiam formet, nisi personam vocando, examinando, jubendo, quæ sine jurisdictione in illam fieri non possunt. Quare *certum est*, inquit Abb. n. 8. *quod si persona exempta est, ergo etiam res.*

NB. Quisque sortitur forum in loco, ubi res sita est, ut vult Mynsing. Intelligitur, nisi sit persona privilegiata, & exempta, ut Clericus.

2 Si persona exempta est, etiam res ejus exemptæ sunt; nisi per se, sibique propriam obligationem habeant, quod accidit, si a Laico V. C. Rege, &c. in feudum datæ fuerunt vel ipsimet Ecclesiæ, vel alteri, V. C. Comiti, Nobili, qui illas postea Ecclesiæ donavit. Cum enim iste Vasallus non potuerit plus juris in Ecclesiam transferre, quam ipsi competebat, sequitur, quod dominium directum semper maneat penes primum conferentem, ad quem proinde proprie pertinet de controversiis super feudo exorientibus judicare. Ita etiam Principes Imperii Episcopi ratione feudalium bonorum Imperatori subjecti sunt: *Quia nihil obstat, quin idem bona diversis respectibus, diverso jure, & qualitate censeatur.*

3 Si Clericus feudum habeat a Principe laico, coram ipso conveniri potest in causis feudalibus: Quia cum Dominus laicus cognoscit in causa feudali, potius judicat super re sua, quam de Clerico. Et, si Ecclesia habet feudum a Laico, censetur ut laicus, idque in pactis, adeo etiam ut si habeat fundus feudalis annexum tributum, & negetur fructus, Dominus occupare possit; modo nihil attentet contra personam Clerici. Quodsi agatur de crimine Clerici, ob quod meretur privari feudo, id Judex Ecclesiasticus cognoscere debet, & non laicus.

4 Bona immobilia Ecclesiæ donari possunt cum reservatione jurisdictionis comparatione eorundem bonorum.

5 Actor Clericus forum Rei laici sequi debet. Excipe nisi consuetudine aliud observetur, & nisi causæ sint mixti fori.

CAPUT VI.

De Immunitate; & Exemptione Ecclesiasticorum bonorum.

1 Bona Ecclesiastica, cum ad Dei speciale dominium pertineant, a secularium Magistratuum exactione libera esse debent; item vasa, & ornamenta sacra, etiamsi in privato oratorio sub particulari alicujus dominio existant. Ratio: Quia hæc nullam temporalem utilitatem habent, quæ in æstimationem venire possit; Quandoquidem ad divini cultus ministerium dedicata nullis aliis usibus profanis adhiberi debene. Idem intelligendum de bonis Ecclesiæ immobilibus, & mobilibus, quæ a fundatoribus proveniunt: Quia cum ad cultum Dei specialiter destinata fuerint, ideo omnes exactiones, quibus a seculari Magistratu gravantur, & in cultus divini diminutionem cedunt, & in Christi injuriam, atque irreverentiam, quippe cujus illa bona quasi proprium patrimonium existunt. Unde consequens, hanc exceptionem divini juris esse, quia Filium Dei oportet liberum esse ab exactione Regum terrenorum, juxta illud Matt. 7. *Ergo liberi sunt filii.*

2 Non est æquum, ut bona Ecclesiæ a duplici Magistratu, Ecclesiastico, & seculari, exactionibus graventur; essent enim deterioris conditionis, quam secularia.

3 Onera mere realia, seu ipsis rebus inhærentia ad Ecclesiam quoque, aut Ecclesiasticum possessorem transferuntur, V.C. tabulæ pensiones; nam res transit cum onere.

4 Indictiones ordinariæ, seu tributa Principum inter onera mere realia numerari non debent; cum imponantur ratione subjectionis personarum.

5 Munera alia sunt personalia, quæ personis subditis tantum sine ordine ad patrimonii bona imponuntur. Huc refertur Capitatio civium, a quibus omnibus Clerici sunt exempti. Alia munera sunt patrimonialia, id est, quæ de patrimonii bonis imponuntur, quæ duplicis generis: Quædam enim personis tantum subditis imponuntur cum habitudine ad patrimonii bona, ideoque mixta appellari solent: Quædam vero sunt munera mere realia, quæ rebus sive possessionibus secundum se inhærent, quæ etiam a non subditis Clericis atque Ecclesiæ possessoribus præstanda numerantur,

VIII. Si Laicus bona Ecclesiastica contra Juris ordinem invadat: Nam ordinarie non desunt remedia querelam deponendi apud Superiorem Ecclesiasticum. IX. Si secularis potestas cum authoritate se immiscet electioni Ecclesiasticæ. X. Si sæcularis potestas statuta edat, aut formari faciat, quæ Ecclesiasticæ libertati adversantur. Sub excommunicatione Bullari.

3 Statuta Secularium interdum directe derogant Ecclesiasticæ immunitati, interdum vero indirecte.

4 Personæ Ecclesiasticæ ad tutelam non possunt compelli: Agnationis tamen tutelam legitimam Clerici suscipere possunt, & personarum miserabilium.

C A P U T X.

Utrum Ecclesiastica Immunitas per contrariam consuetudinem tolli, aut minui possit?

1 Ecclesiastica immunitas per consuetudinem, quamvis immemorialem, si hæc sola sit, & nullo titulo seu Privilegio Summi Pontificis adjuvetur, tolli, aut minui non potest. Prob. Vel enim id fiet per modum revocationis interveniente scientia, ac patientia, ideoque tacito Papæ consensu: vel per modum præscriptionis. Sed neuter horum modorum sufficiens est. Non prior: Quia Summ. Pontifex hujusmodi consuetudinibus non solet præbere tacitum consensum approbativum, sed potius reprobat, ac damnat. Nec posterior modus; Nam consuetudo, quæ ut irrationabilis damnata est, non potest via præscriptionis legem abrogare: Sed consuetudo adversus Ecclesiasticam libertatem tanquam irrationabilis passim damnatur in Jure. Deinde incapax possidendi est etiam incapax præscribendi: Sed Laici sunt incapaces jurisdictionis super Ecclesiasticas personas. Ergo.

2 Per Privilegium, seu concessionem Papæ Laici capaces sunt alicujus potestatis in Ecclesiasticas personas.

3 Exemptionem Clericorum conservare, eamque læsam redintegrare ad clavem supremæ Ecclesiasticæ jurisdictionis pertinet, uti etiam revocatio concessionis potestatis super Clericos, item consuetudinis & præscriptionis, quippe fundatæ in gratia & privilegio Apostolico. Ideo sicut privilegium a Papa revocari potest, ita etiam præscriptio ex præsumptione & præscriptione privilegii vim accipiens,, idque ex plenitudine potestatis, maxime si cedere videatur in contemptum status Ecclesiastici.

T R A C T A T U S X.

D E

Vitiis oppositis virtuti Religionis.

NB. Vitia Religionis virtuti opposita alia sunt secundum excessum, & alia secundum defectum. Illa communi nomine superstitionis comprehenduntur. Dicitur enim superstitio quasi supra convenientem Dei cultum aliquid statutum. Qui tamen excessus non est secundum quantitatem cultus absolute: quia quantumvis homo Deum colat, minus est, quam ei debetur; sed est excessus vel secundum objectum, si alius ut Deus colatur, qui Deus non est; vel secundum circumstantias, si verus Deus colatur modo indebito.

Peccata secundum defectum duplicis generis sunt. Nam sicut virtus Religionis duplicem habet effectus: quosdam primarios, quibus Deus secundum se, ac directe colitur: cujusmodi sunt adoratio, sacrificium, votum, juramentum &c. quosdam vero secundarios, quibus res aliæ sacræ, sive Deo dicatæ ob ejusdem honorem coluntur, V. C. Sacerdos, Sanctorum Reliquiæ, sacra vasa, S. Scriptura; Sic alia peccata contra Religionem sunt, quibus Deo secundum se irreverentia irrogatur, ut tentatio Dei, perjurium, blasphemia &c. Alia vero peccata sunt, quæ communi nomine sacrilegii comprehendi solent, quibus res aliæ sacræ, sive Deo dicatæ, indigne, & cum irreverentia in Deum ipsum redundante tractari solent.

C A P U T I.

De Superstitione, ejusque speciebus.

1 Superstitio est cultus falsi, sicut Religio veri: Secundum defectum ex parte objecti tres sunt species: Idololatria (falso Deo, & diabolo ipsi propria, utpote honorem Deo debitum affectanti ob invidiam) Divinatio (qua petitur a diabolo rerum occultarum cognitio). Vana observantia (qua Magi a diabolo actionum suarum directionem petunt, ad eum modum a diabolo instructi); quia nos colimus Deum, tum reverentiam divinæ ejus excellentiæ debitam deferendo: tum obsecrando partim ea, quæ solus ipse nobis largitur, partim ea, quæ ad actionum nostrarum directionem spectant.

2 Superstitionis secundum defectum ex parte cultus duo modi sunt; vel enim est cultus falsus, vel superfluus. Falsus, seu perniciosus cultus est, si quis Deum colere præsumat cæremonia agni paschalis, per quam ex divina institutione futura Christi passio significabatur, dum perfecta sit. Huc pertinent falsæ traditiones hæreticorum docentium, aliud in sacrificio offerendum, quam Christus docuit.

3 Falsas Reliquias proponere, falsa miracula prædicare, aut scriptis mandare, ex genere suo est mortale; cum sint falsitates perniciosæ, ob quas minor deinde fides aliis veris miraculis, & Reliquiis adhibetur.

4 Si quis Deum colere aggrediatur tanquam Ecclesiæ minister, cum commissionem non habeat, graviter peccat. Sicut enim falsarius ille est, qui aliqua nomine alterius proponit, quæ ipsi commissa non sunt; ita vitium falsitatis incurrit, qui nomine Ecclesiæ cultum Deo exhibet contra formam ab Ecclesia constitutam; ut si aliquis sacrificium offerat, cum Sacerdos non sit, &c.

5 Superstitiosi cultus species secundum superfluitatem in eo consistit, quod aliquis Deum colere aggrediatur eo modo, vel cæremonia, quæ neque ad ipsius gloriam, neque ad spiritus devotionem excitandam inservit: aut quia cæremonia, sive ritus inanis est, V. C. non nere die Sabbati in honorem B. Virginis, interim aliis servilibus operibus insistendo; item orare ante solis ortum, adhibito certo numero, situ, colore cereorum; audiendi Missam a Sacerdote, qui vocatur Joannes. Aut quia est contra statutum Ecclesiæ, V. C. in Missa sæpius dicere Alleluja, plures facere Cruces, quam ordinatum est, dicere Gloria, cum intermittendum sit, quæ secluso scandalo venialia sunt peccata. Si tamen cultus non tantum vanus sit, sed etiam turpis, V. C. turpia cantare in Ecclesia, vel solo etiam vocis aut organi sono notabiliter lascivo ad impuritatem provocare, mortale est.

Regula in praxi observanda.

Advertere debent Confessarii, ut removeant a suis Pœnitentibus superstitiones plures cultus indebiti, in quas multoties solent rudes ex simplicitate incidere. Ita evenit dum tribuunt aliquam infallibilem virtutem orationibus, etsi de sua natura bonis, credendo e. g. toties repetitas habere vim obtinendi, ne repente moriantur, moriendi in Gratia &c. Idem dicendum, si tribuant infallibilem virtutem ad aliquid obtinendum, reliquiis a. g. ad collum appensis, vel alteri rei sacræ, quam secum gestent; nam quamvis habere possint vim contra fulgura, mortem repentinam &c. non tamen infallibilem.

C A P U T II.

De Idololatria.

1 Idolum est simulacrum falsum, seu rei non existentis species fictitia; quare differt ab imagine, quæ est vera rei similitudo, seu repræsentatio. Per Synecdochen tamen frequenter idolum appellari solet illud omne, quod ut Deus colitur, cum Deus non sit.

2 Idololatria dicitur servitus, quæ soli Deo debetur, alicui creaturæ exhibita.

3 Adoratio, & omnis latriæ cultus principaliter consistit in recognitione, seu mentali confessione supremi dominii, quam rationalis creatura Deo offert ex affectu submissionis, ac reverentiæ: Secundario est in actione externa tanquam signo expressivo internæ submissionis. Et hinc dividitur in internam, & externam.

4 Externa signa cultus quædam proprie instituta sunt ad Deum colendum, V. C. Sacrificium, templum, altare, &c. *Nulli Martyrum*, inquit S. August. *sed ipsi Deo Martyrum, quamvis in memorias Martyrum, constituimus altaria*. Quædam vero signa indifferentia sunt ad latriam, & duliam, seu cultum inferiorem creaturæ rationalis, V. C. capitis inclinatio, genuflexio, incensum, quæ secundum se indeterminata, determinantur ab intentione mentis, ut, si exhibeantur creaturæ cui-

cunque ad divinitatis in ipsa residentis contestationem, idololatria committatur; sin vero rationali creaturæ exhibeantur, vel Angelo bono in significationem inferioris creatæ excellentiæ, ad duliam spectet.

5 Idololatria alia est perfecta, cum quis divinum honorem idolo exhibere intendit: alia imperfecta, cum quis sciens Idolo nullam divinitatem inesse, tamen ex pravo affectu, V.C. odio erga verum Deum, vel cupiditate aliquid a diabolo obtinendi, ipsi dæmoni, vel alteri creaturæ externum cultum, tanquam Deo refert. Cujosmodi cultus licet a proprietate idololatriæ deficiat secundum intellectum, tamen non deficit secundum voluntatem; gravioremque malitiam continet, cum altera ex ignorantia procedat. Alia idololatria est simulata (committitur ob tyranni metum) illicita, & scandalosa, cum repugnet Fidei, & sit plenissimum mendacium, estque idololatria solum materialis, quia deficit formalis affectua submissionis.

6 Triplex apud Gentiles idololatria erat: Una erga homines mortuos, V. C. Jovem, Martem, Mercurium, Apollinem: Varro hanc appellat *Theologiæ genus fabulosum*: Altera, *Theologia civilis*, erga hominum demortuorum, vel bestiarum simulacra, per quæ diabolus responsa dabat. Tertia *Physica*, erga solem, lunam, sydera, &c. quæ animata esse credebant, & divino numine plena, a Physicis inventa.

CAPUT III,

De Divinatione,

1 Divinatio (quasi divinitatis æmulatio, seu ostentatio) est significatio occultorum ex pacto expresso, vel implicito cum Dæmone; Nam quicunque res occultas, & quæ hominis naturalem superant cognitionem, scire vult, idque non Dei beneficio ac revelatione; necesse est, ut Dæmonis ope addiscere desideret, ideoque societatem, ac pactum cum Dæmone holle Dei expresse, vel tacite ineat contra Apost. 1. Cor. 10. *Nolo vos fieri socior Dæmoniorum*. Malitia hujus peccati consistit in speciali contemptu Dei, eo quod homo ad diabolum pro instructione confugit, & Deum relinquit.

2 Si quis a Diabolo expresse, vel implicite petat cognitionem earum rerum, quas ille naturaliter nosse potest, peccatum superstitionis ex genere suo mortale committit, V. C, volens scire furti occultum auahorem.

3 Qui vanis & superstitiosis. signis fidem adhibet, non juvatur protestatione, quod cum Dæmone societatem nullam habeat; cum protestatio facto contraria sit.

4 Divinatio per pactum cum Dæmone expressum majorem deformitatem continet; quia peccatum divinitatis participat rationem idololatriæ, dum homo Diabolum tali honore dignatur, ut ab ipso divinitatis æmulatore rerum occultarum revelationem petat. Hic autem inordinatus honor gravior est, si Dæmones expresse invocentur, quam si aliquid fiat, cui dignom sit, ut Dæmones se ingerant. Estque signum reprobationis æternæ, si quis expressum pactum cum Dæmone ineat; quia sicut ad initium beatitudinis spectat conversatio cum Deo, & Angelis per preces, &c. ita ad initium damnationis conversatio & societas cum Dæmone, &c. Ad hæc, Divinatio cum pacto expresso sæpe adjuncta habet alia gravissima flagitia, puta abjurationem Baptismi, Apostasiam a Christo, idololatriam erga Dæmonem per sacrificium, genuflexionem, &c. nec unquam a mortali excusatur; quia nimis gravem deformitatem habet: At vero divinatio per implicitum pactum, interdum excusatur a mortali vel propter ignorantiam non crassam, vel propter superstitionis imperfectionem, si non certa est fides, sed solum timor & suspicio concipiatur eventus ita eventuri, sicuti prænotio signi vani indicat. Est autem divinatio per implicitum pactum cum Dæmone, cum quis notitiam alicujus rei ex signo aliquo consequi serio confidit, quam illud naturaliter nullo modo indicare potest; tunc enim divinator talem notitiam ab intelligentiore substantia tacite desiderare convincitur, idque non a Deo, aut Angelis, cum talia signa vanitatis a Deo instituta non sint, ideo restat, ut per ejusmodi signa a Dæmone cognitionem acquirere velit.

5 Una est divinatio per astra, quæ Astrologia judiciaria vocatur. Est enim duplex astrologia: Una naturalis, eaque licita, & humano generi utilis, per quam situs, ac motus astrorum observantur; itaque ex iis effectus naturales prædicuntur, partim necessario eventuri, ut Ecclipsis; partim contingenter, ut pluvia, siccitas, aeris serenitas &c.

NB. Incerta est conjectatio temperamenti, ac propensionis naturalis, habita ex aspectu astrorum, & observato puncto nativitatis cujusque hominis. Ratio: Quia temperamentum prolis non tantum ex influxu cœli, sed multo magis ex materia conceptionis, & nutritionis dependet. Item licet Astologi naturales astrorum effectus, puta anni sterilitatem, nati pueri temperamentum, & naturæ propensionem majori certitudine asseverent, tamen non peccant contra virtutem Religionis, sed temeritatis, & mendacii.

Altera Astrologia est divinatoria, per quam ex astrorum aspecto eventus a libero arbitrio pendentes prædicuntur; vel præteriti, aut præsentes occulti effectus denuntiantur, V. C. Titium esse authorem furti, Cajum tale matrimonium contracturum, aut Episcopum futurum, gladio, igne, &c. periturum: Quia astra non sunt causa talium effectuum libere contingentium, nec signa ex alicujus institutione significantia: non Dei, nec Angeli, quippe prohibita Esaiæ 47. Restat ergo, ut sint Diaboli signa expresso, vel tacito cum hominibus pacto instituta.

Altera species divinationis est Physiognomia, cujus partes sunt metoposcopia, & chiromantia, secundum quas ex vultus, & manuum lineamentis libere contingentes eventus, prospera, vel adversa fortuna prædicitur. Philosophica & naturalis physiognomia licita, est conjectura de corporis valetudine ex vultus, & manuum lineamentis.

6 Tertia divinatio est per somnia, quorum triplex est genus. Primum, naturale, quod ex præcedente cogitatione, & animi affectione provenit. Talia somnia licitum est observare eo fine, ut præsens corporis valetudo intelligatur. Secundum, Somnia a Deo immissa juxta exemplum Judic. 7. Daniel. 2. Matth. 1. & 2. Cujusmodi somniis fides adhibenda, si sufficientia indicia adsint, ea a Deo esse. Tertium, Somnium, quod a Diabolo immittitur hominis phantasiam commovente: ejusmodi somniis fidem habere ad superstitionem pertinet; quapropter horum observatio prohibita est Levit. 19. Atque est ex genere suo mortale; minuitur tamen propter ignorantiam, vel simplicitatem.

7 Somnium divinum a diabolico discernunt viri sancti, non tantum ex objecto, & fine ejus; sed etiam ex interna somniantis, & e somno excitati affectione: qualis est illustratio, & consolatio animi; insolita promptitudo ad Dei obsequiom. Dæmoniaca autem somnia ad malum inclinant, & perturbant.

NB. Duplex est somnium: Unum proprie dictum, in quo usus rationis liber, & impeditus non est. Quia intellectus in hac vita dependet a sensibilibus phantasmatibus; hæc autem in somno elevatione vaporum perturbantur; ideoque intellectus dormientis nullum perfectum judicium de rebus formare potest. Aliud est somnium improprie dictum, ac potius ecstasis, & raptus, cum intellectus dormientis elevatur ad perfecte intelligendum, & judicandum de revelatione sine dependentia a phantasmate, qui modus elevationis a Diabolo fieri non potest, sed a solo Deo.

8 Tertia species divinationis est per sortes. Est autem triplex genus sortium: Divisorium, consultatorium, ac divinatorium. Sortes divisoriæ per se malæ non sunt, sed sæpe utiles, sive ad honestum ludum, sive ad hæreditatis divisionem, aut litis compositionem; dummodo litigantes, qui jus æquale habent, in sortitionem consentiant. Aut tempore pestis, uter Sacerdotum ad loca infecta ire debeat; Aut si plures mortem meriti, idque moris in militia: Similiter in periculo naufragii, nisi aliqui navigantium in mare prosiliant, vel ejiciantur, sorte dirimi potest, quinam exsilire debeant. Neque id est se ipsum occidere, sed navia subsidium mortis evadendæ causa deserere; sicut si quis tabulam, qua ex naufragio emergere posset, derelinquat, ut digniori obveniat. Quodsi aliqui navigantium in sortitionem consentire nolint, tunc ipsis etiam invitis Navarchus, vel alii loco abnuentis sortiri possunt, & sortis eventum exequi. Sin vero quis impedire conatur sortitionem, in mare ejici potest juxta Majorem. Sortes consultatoriæ, in quibus occultæ veritatis manifestatio, aut consilii alicujus directio a Deo imploratur, licitæ sunt, si Dei instinctu fiant, ut Josue 7. in electione Saulis 1. Reg. 10. & elect. S. Matthiæ.

9 Electiones Ecclesiasticæ sortibus fieri prohibentur, & ipso

& ipso jure sunt irritæ. Si tamen dubitatur, uter duorum ad Pontificatum electus sit, forte hæc discordia componi potest cum consensu Cardinalium; quia Summi Pontifices non obligantur isto Canone.

Divinatoriæ fortes sunt; quibus latentis veritatis manifestatio non a Deo, sed a Dæmone expresse, vel tacite imploratur; ideoque superstitiosæ, & illicitæ.

10 Observationes vanæ ex avium, piscium, aliorumque animalium voce, cantu, volatu &c. item ex sternutatione, aurium tinnitu, vulturis occursu, & millia hujusmodi, venialia sunt; quia non fides, sed vana tantum formido eis tribuitur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum detur divinatio superstitiosa, non solum quando expresse invocatur Dæmon ad aliquid cognoscendum, sed etiam quando cum eo fit pactum tacitum, nempe quando ad acquirendam aliquam notitiam usurpantur media vana, & inutilia; hinc est, Confessarium non acquiescere debere dictis Pœnitentis, qui protestetur, se non intendisse a Dæmone edoceri, & ab eo auxilium quærere. Hujusmodi protestatio est contra factum, eo enim ipso quod ad aliquid cognoscendum media vana, & inutilia assumpserit, convincitur, talem notitiam a Dæmone expostulare, cum illam nec naturaliter talibus mediis acquirere possit, nec a Deo, qui rebus vanis, & inutilibus non se immiscet. Verum tamen est, in divinatione per pactum tacitum posse aliquam personam rudem excusari a peccato mortali ratione ignorantiæ, quæ ignorantia non potest contingere, dum adest pactum expressum cum Dæmone; nam tunc nimis patens est malitia. Excusant etiam a mortali plures Theologi illum, qui credendo omnia esse falsa, semel, & iterum mediis inutilibus utitur ad divinandum joci causa, atque ita etiam observat sortes, auguria &c., nam tunc divinatio non est perfecte superstitiosa; oportet tamen abesse scandalum. Dum autem divinatio, & quæcumque alia superstitio ex aliqua causa non est peccatum mortale, non est peccatum reservatum.

II. Cum divinatio per astra sit superstitiosa, quoties etiam probabiliter præsumit manifestare casus fortuitos, res occultas, & futura libera, hinc est, de hujusmodi non licere consulere Astrologos, & esse ex genere suo peccatum mortale, quia ita faciens inducit ad rem superstitiosam. Excusari nihilominus possunt personæ rudes propter ipsarum ignorantiam, si de his Astrologos consultant, ut nimis frequenter accidit.

III. Cum etiam peccatum mortale superstitionis sit fidem adhibere Somniis Dæmoniacis, consequens est, non licere fidem eis adhibere; cum hoc sit idem ac se subdere Diaboli disciplinæ. Et hoc verum est, etiamsi quandoque ipso eventu omnia comprobentur, quia, ut observat D. Th. 2. 2. *q.* 96. *a.* 3. id accidit casu; vel curat ipse Dæmon per eventum somnia comprobare, ut homines implicentur his observationibus, fiant curiosiores, & ita facile possit illos in errorem inducere. Nullum autem erit peccatum observare somnia ad detegendas fraudes Dæmonis, cum id quandoque possit esse Animæ salutare, & necessarium. Si vero nulla, vel levis credulitas somniis adhibeatur, & nihilominus aliqua ex eis fiant, vel omittantur, quæ non cadunt sub præcepto id duntaxat erit peccatum veniale: cum enim non credat quis esse verum, quod vidit, vel deducit ex somniis, non pervenit ad veram superstitionem, sed potius vel ex levitate, vel ex nimia timiditate operetur. Idem dicas, si aliquis propter somnia aliquid faciat vel omittet, credens sine sufficienti fundamento, illa immissa esse a Deo; nam tunc ex nimia levitate, vel simplicitate operatur. Cæterum si quis ita observet somnia, at pessim per illa gubernetur, convincitur nimis somniis credere, adeoque nulla ratione potest a gravi superstitione excusari. Idem dicas de illis, qui se certo modo, & situ sternunt, vel in aliquo loco quædam ponunt nomina, ut sub pulvinari inter capillos &c., ad hoc, ut in somniis dignoscant, an eadem nomina sint in quibusdam ludis extrahenda; patet etenim, eos tacite invocare Dæmonem, ut ab eo instruantur. Multo magis gravis superstitionis sunt culpabiles illi, qui hæc faciunt, postquam admoniti fuere, non posse hujusmodi fieri sine gravi culpa. Interim prudens Confessarius graviter objurget etiam illum, qui solum leviter peccavit in observandis somniis; nam alias fiet, istum quandoque nimis fidere, adeoque graviter peccaturum.

IV. Circa divinationem per dispositionem membrorum corporis, ac manus linearum &c. nulla est particularis regula adhibenda, quæ non statim pateat ex supradictis. Quamvis autem non condemnaverimus peccati mortalis illos, qui joci, & ridendi gratia, & remoto scandalo consulunt Astrologos, seu Zingares, ut ex sua physiognomia, vel lineis manuum prædicant aliquod præteritum occultum, vel aliquod futurum fortuitum; nihilominus Rectores Animarum debent eos ab his absterrere, & maxime si sint Personæ rudes, & indoctæ. Ratio est, quia non raro casu, vel ope Dæmonis, prædicti præterita divinant, seu quæ sunt in futurum ventura, ex quo fit, ut personæ indoctæ in posterum nimis eis fidant; & narrando, quod sibi accidit, sint causa, ut alii fidem adhibeant hujusmodi vanis Divinationibus.

V. Quamvis absolvi possint, qui vere non credentes vanis auguriis, & tamen ex quadam animi levitate, propter eadem auguria a quibusdem faciendis abstinent, nihilominus Confessarius ab iis illos absterreat. Quod si quædam fecerint ex simplicitate, nihilominus si semel, vel bis admoniti Pœnitentes non resipiscent, Confessarius debet illis negare absolutionem; ut si quis nolit accumbere mensæ, in qua Convivæ erant tresdecim, vere credens, intra annum aliquem ex illis moriturum; si, inquam, admonitus adhuc in sua credulitate persistat, & exinde nolit tali mensæ interesse, convincitur vere credere augurio; & post monitionem dici non potest ex simplicitate peccare.

CAPUT IV.

De Magia.

1 Magia una est naturalis, quæ est ratio mira opera efficiendi per applicationem naturalium agentium, sine ministerio Dæmonis. Altera est superstitiosa, quæ est ratio efficiendi mira opera Dæmonis ministerio, per signa ab ipso instituta ad imitationem signorum sacramentalium Christi Domini. Huc etiam transferenda sunt pleraque de divinatione dicta præced. cap. Nam per divinationem desideratur a Dæmone rei occultæ cognitio; per magiam effectio alicujus operis.

2 Magia superstitiosa etiam duplex est: Una per pactum explicitum, seu societatem cum Dæmone, cui juncta apostasia a Christo, & adoratio Diaboli: credunt enim magi, Diabolum non esse miserum, sed felicem, qui & ipsos felices reddere possit. Accedunt blasphemiæ in Christum, & Sanctos, sacrilega tractatio S. Eucharistiæ, non raro etiam fœdissima peccata per carnis cum Diabolo in phantastico corpore commixtionem.

3 Altera magia est per pactum cum Diabolo implicitum, si præter Ecclesiæ consuetudinem aliquid adhibeatur ad aliquid certo efficiendum, cujus vim naturalem habere non potest, utpote nec a Christo, neque ab Ecclesia institutum: Nec refert signum Crucis, sacra verba, & precationes adhibere, si alia vana V.C. ignota nomina, aut characteres adhibeantur. Sic superstitiosum est, V. C. S. Joannis Evangelium scriptum esse debere a virgine oriente sole in membrana virginea &c. Imo tametsi nihil adhibeatur, nisi quod secundum se pium, V. C. solus versiculus ex Psalmo, sola ova paschalia, soli flores ex altari; si tamen in his certa fiducia conferendæ sanitatis, aut temporalis commodi constituatur, superstitiosa sunt.

4. Gratia sanitatum plerumque tantum hominibus piis confertur, ita ut sit personalis, & non affixa certæ rei vel actioni a quacunque persona usurpetur. Licet vero interdum Deus homini peccatori gratiam gratis datam conferat, non tamen permanenter, sive habitualiter.

Quod si res aliqua, aut cæremonia pietatis speciem gerens adhibeatur, non quasi certus, & infallibilis effectus ex eo consequi debeat, sed quia inserviat ad melius precandum, & efficacius a Deo aliquid temporale impetrandum, non est magicum quid, sed actus ioanis, superfluus, contra Ecclesiæ consuetudinem.

5 Cultus superflui, qui præter Ecclesiæ consuetudinem usurpantur, si non penitus tolli, quantum fieri potest, emendari debent. V. C. si homines non possint abduci, ne in die S. Stephani equis venam mittant, quod superstitiosum: ne in festo S. Joanois flores decerpant, flores in ignem S. Joanois injiciant &c. si inquato abduci non possint, saltem edoceri debent, ut in iis certam spem non collocent, sed solum adhibeant ad se ipsos magis excitandos, ut a tali Sancto, vel potius a Deo per Christum, & Sancti hujus intercessionem petant rerum suarum conservationem, & augmentum, si ad animarum suarum salutem expediens fuerit. Idem statuendum de certo numero candelarum, aut precum, ut id faciant in honorem alicujus mysterii, sed non ea persuasione, quasi deprecatio, aut oblatio Deo grata futura non sit, si alius numerus adhibeatur.

6 Magiæ superstitiosæ tres sunt species: Primo, ars notoria, per quam certis verbis, & signis adhibitis variæ scientiæ absque labore acquiruntur, V. C. ab Anabaptistis. Secundo. Ars sanativa corporum per benedictiones, ligamina, scripturam &c. quæ naturalem vim medendi non habent. Tertio, Ars maleficiorum, id est nocumenta jumentis, segetibus &c. a Magis illata, ad restitutionem propter injustitiam obligantia. Unde Magorum bona confiscantur, & ex iis fiscus illata damna resarcire tenetur, juxta l. non possunt, ff. de jure fisci: Quia *id bonum cujusque intelligitur esse, quod æri alieno superest.*

7 Si certum est, rem quæ adhibetur ad morbum V. C. curandum, secundum se inutilem esse, non juvat protestatio, qua aliquis excludere velit pactum Diaboli.

8 Magus, si operam secundum artem suam præstitit, ac mercedem accepit, eam restituere non tenetur ad modum Medici, licet effectus non sequatur: modo diligentiam adhibuerit.

9 A Magó peti poteſt, ut ſigna magica, quibus morbum intulit, deſtruat, ſeu diſſolvat, non utendo novo ſigno magico, licet quis ſuſpicetur, Magum tunc uſurum ſignis. Quod ſi certo ſciat, Magum uti ſigno magico, peccat mortaliter, ipſum accedens; quia nunquam licitum eſt ab aliquo petere, ſeu aliquem inducere ad id agendum, quod ſine peccato fieri non poteſt. Adhibere autem ſignum magicum, & pactum cum Dæmone, intrinſece & per ſe malum eſt. Quod ſi quis dubitet, utrum licito, an illicito modo ſolvi poſſit, peccat, & abſtinere debet a petitione. Ratio: Quia in dubio facti cum agitur de periculo peccandi, Deum inhonorandi, tutior pars amplectenda eſt.

CAPUT V.

De Tentatione DEI.

1 Tentatio alia eſt ſeductionis ad peccatum, quæ nullo modo in Deum cadit, juxta Jacob. cap. 1. *Ipſe enim neminem tentat*. Altera eſt probationis, ſive experimenti: quo modo in S. Scriptura Deus dicitur tentaſſe Jobum, Tobiam.

2 Peccatum tentationis Dei duplex eſt: Unum proprie dictum, quod ex infidelitate oritur, ſeu dubitatione de aliquo Dei attributo, V. C. præſentia, omnipotentia. Quo ſenſu legimus de Iſraelitis Exod. 17. *Tentaverunt Dominum, dicentes: Eſtne Dominus in nobis, an non?* Eſt intrinſece mala, & graviſſimum peccatum. Alterum eſt peccatum tentationis minus proprie dictum, quod non ex dubitatione, ſed præſumptione, & nimia confidentia oritur; cum quis ſine neceſſitate petit a Deo vel voluntatis ſuæ, vel alterius rei miraculoſam declarationem. In neceſſitate ad aliorum ſalutem, ſi non ſuperſint alia media veritatis cognoſcendæ, licet a Deo humiliter ſignum petere: Ita excuſatur ſervus Abrahami Gen. 24. petens ſignum a Domino per modum orationis: Jonathas 1. Reg. 14. Apoſtoli, Actor. 4. Nunc tamen ſi quis pro converſione hæreticorum ſignum a Deo peteret, tentaret, cum non deſint ipſis alia argumenta, & notæ veritatis agnoſcendæ: quorum primum eſt perpetua Eccleſiæ traditio, & teſtimonium. Item coram Gentilibus, ſi eorum converſio probabiliter non ſperaretur. In ſpeciali tamen apparitione, & revelatione ſine indiciis ſufficientibus humiliter ſignum a Deo peti poteſt, juxta exemplum B. Virginis Luc. 1. *Quomodo fiet iſtud?*

3 Quidam Veteris Teſtamenti Patres abſque peccato ſignum petierunt divinæ apparitionis, aut præcepti, ut Gedeon Judic. 6. propter populum.

4 Tentatio Dei alia eſt cum expreſſa petitione extraordinarii ſigni, aut auxilii divini ſine neceſſitatis cauſa, V. C. ſi quis ſuper carbonibus ardentibus incedat ad oſtendendam innocentiam: quo ſpectant purgationes per ferrum candens, aquam frigidam, purgatio adulteræ. In veteri Teſtamento pertinebant ad cæremoniales leges.

5 Judex graviter peccat, ſi contra ſuſpectas perſonas prohibitis purgationibus utatur, V. C. per aquam fervidam, ferrum candens, aut ſanguinem ex occiſi cadavere in hominis præſentia fluentem. Ratio: Quia Judex in proceſſu contra Reos probationibus, & indiciis uti debet, quæ humano ac naturali modo deprehendi poſſunt; quales non ſunt effectus illi, quorum origo ſuperſtitioſa, vel ſaltem nobis incognita eſt.

6 Per orationem ſine debita animi diſpoſitione a Deo impetrare aliquid velle, cenſetur eſſe veluti quædam tentatio Dei: V. C. ſi quis temere ſe martyrio offerat, in morbo periculoſo medicinam reſpuat, ſi quis non paratus ad prædicandum accedat.

7 Peccatum tentationis virtuti oppoſitum, & ex genere ſuo eſt mortale: Quia ad irreligioſitatem pertinet, ex defectu Fidei, aut nimio exceſſo Spei irreverentiam Deo irrogare, petendo ab eo ſine cauſa rationabili extraordinarium, ac miraculoſum effectum. Veniale poteſt fieri ex levitate materiæ, ut ſi in morbo periculoſo reſpuas medicinas, temere confidens a Deo ſanitatem te conſecuturum; non tamen expreſſe petita curatione miraculoſa.

CAPUT VI.

De Blaſphemia.

1 Blaſphemia eſt maledictio, ſeu contumelia in Deum: formaliter, ac directe opponitur laudi Dei. Quemadmodum igitur laus Dei duplex eſt: una interna, ſive mente concluſa, altera externa, ſive verbis prodita; ita etiam blaſphemia alia eſt cordis, & alia oris.

2 Blaſphemia, ſicut hæreſis, in intellectu conſiſtit, exterioribus autem verbis, aliiſque ſignis manifeſtatur.

3 In ebrietate homo proprie non blaſphemat, cum mente, & intellectu captus ſit, quippe malitia blaſphemiæ in intellectu ſubſtantialiter conſiſtente; ideoque eſſe non poteſt actuale peccatum blaſphemia, hæreſis, &c. niſi concurrente intellectu, qui actu, aut virtute advertat ad verba, quæ ore pronuntiantur. Et blaſphemia eſt ſpecies contumeliæ; ad contumeliam autem requiritur ſcientia, & dolus. Unde contumeliam homini intuliſſe cenſendus non eſt, qui verba contumelioſa in ebrietate protulit; niſi ea ipſa intentione ſe inebriarit, ut convitia in Deum, vel hominem effutire poſſet.

Idem ſentiendum de verbis blaſphemis ex prava conſuetudine ante rationis adverſionem prolatis, nimirum non eſſe proprie peccatum blaſphemiæ. Nihilominus gravem irreverentiam, & irreligioſitatem continent materialem, ideoque pœna digna: non quod in ſe formaliter peccata ſint, ſed quia pravi effectus peccatorum, puta voluntariæ conſuetudinis, vel ebrietatis, quam homo etiam idcirco devitare debebat, quia perſpexit eſſe cauſam, & quaſi ſemen conſequentium blaſphemiæ verborum; quæ proinde ipſi indirecte, ſive in cauſa voluntaria cenſentur.

4 Peccatum blaſphemiæ diverſum eſt a peccato infidelitatis: Quia infidelitas eſt erroneus aſſenſus contra Fidem: Blaſphemia autem eſt mala verba dicere contra Deum, ad quod minime requiritur aſſenſus; ſicut quis furem appellare poteſt, cum tamen ſciat, furem non eſſe. Quamvis autem hæc ita ſint, nihilominus tamen blaſphemia frequenter ex infidelitate originem trahit, ſicuti & ex aliis peccatis, quæ contra Deum committuntur, qualia ſunt deſperatio, odium Dei, &c.

5 Peccatum tentationis Dei interdum blaſphemiæ rationem habet, præſertim quæ ex infidelitate, ſeu dubitatione de divina potentia oritur. Etiam ſignificatio odii erga Deum in damnatis V. C. eſt maledictio Dei.

6 Blaſphemia alia eſt cum directa intentione inhonorandi Deum, qualis reperitur in infidelibus, fidelibus deſperatis, damnatis. Alia cum indirecta, ac virtuali, cum quis ſcienter, ac ſerio loquitur verba, quæ vel ex propria ſignificatione, vel ex modo proferendi; divini honoris diminutionem continent, quamvis eam homo directe non intendat. Utraque vere blaſphemia eſt, licet prior illa gravior.

7 Blaſphemia item alia eſt ſimplex, quæ falſitatem non continet, quia non enuntiative, ſed optative concipitur, V. C. *Utinam non ſit Deus*: vel quia id, quod verum eſt, de Deo enuntiatur, ſed per modum deſpectionis adverſus Deum: tales ſunt blaſphemiæ per Crucem, per Sacramenta &c. Alia eſt blaſphemia hæreticalis, quæ falſitatem continet, dum aliquid tribuitur Deo, quod ipſi non convenit, V. C. injuſtum eſſe, vel negatur de eo, quod ipſi convenit, V. C. non curare res noſtras; & hæ blaſphemiæ proferuntur etiam a Chriſtianis malis, a damnatis, qui illas falſas eſſe non ignorant; ac proinde viatores taliter blaſphemantes ſuſpecti fiunt de hæreſi.

8 Qui ita contra hominem ſacra verba falſitatem non continentia irreligioſe profert, proprie non blaſphemat, V. C. *corpus Dei*, *Vulnera Dei*, *chriſma*, *Sacramenta Dei*. Si affectus indignationis non tendat contra Deum, ſed contra hominem, vel juramentum, eſt peccatum veniale ſacrilegii, altero præcepto Decalogi prohibitum: *Non uſurpabis nomen Dei tui fruſtra*. Fit mortale ob ſcandalum, vel periculum formaliter blaſphemandi. Quod ſi belli Dux confitens Confeſſario dicat, ſe alio modo milites coercere non poſſe, quam jurando per Sacramentum, non ſemper mortalis damnari poteſt.

9 Blaſphemia fit interdum cum juramento perverſo; puta, ſi quis per idolum juret. Item ſi quis proferat jura-

juramentum execratorium eum despectu Dei, V. C. *Non vivat Deus, nisi hoc verum sit*. Vel per modum spernentis, *per caput Dei, per capillos Dei*.

10 Blasphemia in Sanctos, qua tales sunt, in Deum redundat: Quare ejusdem rationis est cum blasphemia in Deum; qua eandem rationem malitiæ continet, videlicet divini honoris imminutionem. Quod si contumelia jactetur in Sanctos, non ut sancti sive beati sunt, sed ut quidam homines in terris fuerunt: ut si quis dicat de SS. Crispino, & Crispiniano, fuisse sutores, non erit blasphemia, cum in Deum non redundet; sed peccatum contra observantiam, sive cultum duliæ. Quod si ex joco dicantur, tantum sunt venialia.

11 Creaturis irrationabilibus pluribus modis maledici potest. I. Quatenus creaturæ Dei sunt, qua ratione ad blasphemiam pertinet. II. Quatenus ad dominium, vel usum hominis spectant; cujusmodi maledictio duplex est: Una imperii efficacis, quomodo Deus Gen. 3. maledixit terræ. Altera inefficax, per modum simplicis optationis, quomodo homines maledicere solent possessionibus eorum, quos odio persequuntur: nam talis maledictio ab odio imperatur. III. Per exaggerationem, ad significandam animi mœstitiam. Sic David maledixit montibus Gelboe, Job diei, in qua natus. IV. Quatenus creaturæ irrationales absolute spectantur; & sic illis maledicere saltem otiosus est actus.

NB. Confessarii est inquirere, quomodo, aut quibus verbis confitens maledixerit: quia differunt blasphemiæ in quantitate, & gravitate injuriæ contra Deum: sicuti non satis est, si quis confiteatur, se furatum esse, sed debet addere quantitatem furti.

12 Confessarius etiam inquirere debet, utrum blasphemia prolata sit cum formali, & directa intentione inhonorandi Deum. Ratio: Quia hæc circumstantia intrinsece aggravat, & auget inhonorationem Dei, in qua essentialis malitia blasphemiæ consistit. Quod si confitens, se tantum ex ira, sine intentione Deum inhonorandi, blasphemasse dicat, tunc Confessarius debet attendere ad verba, quibus homo usus fuit: si enim secundum se divini honoris diminutionem nullam exprimunt, non est censenda blasphemia, nec mortale; si autem verba talia, aut tali modo prolata sint, ut contumeliam Dei, aut Sacramentorum significent, censeri debent blasphemiæ, dummodo homo attenderit ad vilipensionem Dei, aut rei sacræ, quæ talibus verbis exprimitur. Sæpe autem homines ejusmodi verba blasphema proferunt inadvertenter, ac materialiter tantum, non attendentes quid significent: tum vero excusantur a gravitate peccati propter imperfectionem cognitionis, ac voluntarii; modo interim conentur perversam illam consuetudinem deponere.

CAPUT VII.

De Sacrilegio.

1 SAcrilegium dicitur *rei sacræ*, id est Deo dicatæ *violatio*: cum enim efficiatur peculiaris possessio Dei, quod ad cultum divinum deputatur, debetur ei reverentia, quæ in Deum redundat; adeoque etiam irreverentia, seu indigna tractatio rerum sacrarum ad injuriam Dei spectat. Sacrilegus dicitur, quasi sacrum legens, sive compilans.

2 Sacrilegii tres species sunt: I. Contra personas sacras. II. Contra loca sacra. III. Contra alias res sacras, seu cultui divino dicatas publica institutione & ritu, non quolibet privato proposito.

3 Sacrilegium contra personas sacras quatuor modis committitur. I. inferendo manus violentas in Clericum, vel Religiosum, adversus privilegium Canonis. Si quis suadente, c. 17. q. 4. quod ex motivo virtutis Religionis Ecclesiasticis, & Deo dicatis personis concessum est. II. Personas Ecclesiasticas subjiciendo fori secularis judicio adversus privilegium exemptionis earum. III. Tributum ab ipsis exigendo adversus Ecclesiasticam immunitatem, sive exemptionem a talibus oneribus. IV. Luxuriose violando corpus personæ Deo sacratæ per votum continentiæ perpetuæ: idque intelligendum est tam de persona, quæ adversus proprium votum fornicatur; quam de altera, quæ illam violat, seu turpitudinis complex est.

4 Si Clericus in sacris, vel Religiosus fornicetur, præter peccatum luxuriæ duplicem malitiam adversus virtutem Religionis admittit; unam violationis voti, & alteram sacrilegii, quæ circumstantia in confessione explicanda. Violatio vero voti privati castitatis, si violans non publico jure cultui divino sit dicatus, est solum late sacrilegium.

5 Locus sacer censetur, qui publica Ecclesiastica authoritate deputatus est ad sacra officia, licet non consecratus sit: quare talis locus immunitate, & privilegiis Ecclesiasticis gaudet; non vero privata oratoria, etiamsi Episcopus licentiam dederit celebrandi in illis.

6 Non omnis locus sacer, aut pius, Ecclesia dici potest, quamvis Ecclesiarum privilegia ferme etiam ad loca sacra, videlicet Monasteria, & Xenodochia, quæ publica authoritate instituta sunt, extendi solent. Alioquin Xenodochia sine Episcopi authoritate ædificata non censentur religiosa.

NB. Ecclesia appellatur locus, qui ab Episcopo consecratus est ad publica divina officia, & usum Sacramentorum; cui annumerantur Monasteria, Xenodochia, & alia pia loca secundum extensionem privilegiorum. Nota: Clericus interdictus celebrans in Ecclesia publica authoritate ad cultum divinum deputata, licet necdum consecrata, fit irregularis; quia satis est, quod sit Episcopi authoritate fundata.

7 Oratorium, quod publicam in eminente loco campanam habet, censetur esse publicum, ut Ecclesiastica immunitate gaudeat. Nam in privatis oratoriis non nisi privata campana haberi potest ad convocandos incolas domus.

8 Sacrilegium adversus locum sacrum accidit: I. Violando sacri loci immunitatem. II. Polluendo Ecclesiam, vel Cœmeterium. III. Exercendo actionem profanam, quæ reverentiæ sacri loci repugnat: cujusmodi sunt judicii secularis exercitium (non Ecclesiastici) item negotiationes, convivia.

9 Voluntariæ jurisdictionis actus, cujusmodi sunt dispensationes, pupillorum provisiones, item Doctoratus collatio in Ecclesiis fieri non prohibentur. Non item Parlamenta secularium, quæ mere politica sunt. Quoad mercaturam patet ex exemplo Christi Matth. 21. Et est mortale propter gravem irreverentiam: Si tamen solum tractatus emptionis instituatur in Ecclesia merce non præsente, est veniale. item si propter pluviam in recessu, veniale, vel nullum. In Cœmeteriis tamen candelæ, & alia vendi possunt ad devotionem populi pertinentia.

10 Comœdiæ, & Tragœdiæ, quæ ad pietatem movent, in Ecclesia institui possunt. Profana colloquia sunt prohibita inter divina officia. Alioquin tamen in templo honestum colloquium instituere nullam irreverentiam continet.

11 Agapes (publica convivia Christianorum, ex quibus etiam pauperes pascebantur) olim in Ecclesiis institui solitæ, postea propter abusum sublatæ fuerunt. Veniale est in templo jabulari, comedere.

12 Indigna tractatio S. Eucharistiæ, utpote primum locum inter res sacras obtinens, omnia sacrilegia pravitate superat, directe tendens contra personam Christi in S. Eucharistia contentam.

13 Sacrilegium, quod committitur indigna rerum sacrarum tractatione, vasorum sacrorum, altarium, ædium sacrarum, crucis & imaginum Christi, habet secundum locum post Sacramentum Eucharistiæ: existimantur enim hæc ut instrumenta cultus divini. Huc revocantur S. Chrisma, & oleum benedictum; item sacra nomina Christi, & Sanctorum, S. Evangelium, & tota Scriptura. In tertio gradu ponuntur ea, quæ pertinent ad ornatum altarium, & Ministrorum, cerei, aqua benedicta &c. Referuntur enim hæc omnia peculiari ratione ad Deum; unde indigna tractatio eorum tanto gravius sacrilegium est, quo major irreverentia, V. C. indigna communio, perversio S. Scripturæ, usus sacrorum vasorum ad profana.

14 Multa sacrilegia committi possunt circa res sacras non decenter tractandas: V. C. Si Ecclesiæ Ministri S. Baptisma a sordibus non custodiant, sacra vasa, & pallas lavare, vel reficere negligant, si Chrisma &, S. Eucharistiam custodire adhibitis clavibus intermittant. Ex quo patet, tametsi sacrilegium plerumque sit peccatum commissionis, interdum tamen posse esse omissionis.

NB. Inhonoratio rei sacræ, quæ fit ex proposito, sive intentione formali, semper est mortalis. Inhonoratio vero per intentionem virtualem potest esse venialis, cum ob actus imperfectionem, tum ob materiæ levitatem.

15 Qui legata pia, vel alia Ecclesiastica jura aut bona pervertunt, sacrilegium committunt. Ratio: Quia

bona ista ex prima sui institutione, atque offerentium voluntate eam conditionem habent, ut, quia ad Dei & Christi honorem oblata, ac destinata sunt, non in alium nisi pium usum convertantur. Alia ratio est, postea quam bona Ecclesiastica, pauperum, vel Ministrorum Ecclesiæ, per legitimam dispensationem propria facta sunt.

16 Furtum sacrilegum committitur vel auferendo rem sacram de loco sacro, vel non sacram de sacro, vel sacram de non sacro.

17 Qui Calicem sacrum e loco non sacro surripit, proprie sacrilegium committit, quidquid Juristæ dicant; quia eorum non est definire, quidnam sacrilegii crimen sit, sed Canonum. Res non sacras auferre ex loco sacro est sacrilegium, quia aliquo modo pertinent ad Ecclesiam, in cujus fidem & immunitatem susceptæ sunt.

18 Qui crumenam alicui in Ecclesia abscindit, est fur sacrilegus, licet in externo foro non ita puniatur: Nam ad reverentiam Ecclesiarum rationabiliter pertinet, ut res omnes in iis positæ a furtis & rapinis liberæ sint. Quare violatur immunitas Ecclesiæ per ablationem talium.

19 Qui furtum sacrilegum cum violenta effractione committit, excommunicationem ipso jure incurrit, adeo, ut post denuntiationem Papæ ad Sacram Sedem Apostolicam pro absolutionis beneficio mittendus sit, nisi in provincia sit aliquis a Sede Apostolica privilegiatus, ut a censuris Papæ reservatis absolvere possit.

Regula in praxi observandæ circa doctrinas superioribus tribus capitibus traditas.

I. Cum Tentatio Dei consurgat, quando sine utilitate, & necessitate exposcitur a Deo aliquod opus miraculosum, sequitur fuisse Dei tentationem purgationem a crimine objecto per ferrum candens, vel aquam ferventem, quia alia media a jure statuta sufficiunt ad probandam propriam innocentiam, quapropter prædicta probatio rejicitur can. *consuluisti* 2. q. 5., & *cap.* 3. *de purg. vulg.* Idem dicas, si aliquis ostendere velit propriam innocentiam per duellum, expectans a Deo auxilium; unde & similis Purgatio per duellum damnatur *cap. Monomachia &c.*, & *cap.* 2. *de purgat. vulgar.*, & *a Trident. sess.* 25. *c.* 19. *de reform.*

II. Tentatio pariter Dei est absque prævio studio, & meditatione velle concionari, confundere hæreticos &c. Tentat pariter Deum, qui absque speciali impulsu, & necessitate absolute petit miracula ad hæreticos convertendos; nam primo etiam visis miraculis, noluerunt multoties veram Fidem amplecti, unde petitio miraculi esset sine evidenti utilitate. Secundo, etiam esset sine necessitate; nam sine miraculis ad conversionem hæreticis sat est testimonium Ecclesiæ, & argumenta, quibus demonstratur, nostram Fidem esse evidenter credibilem. Si nihilominus daretur quandoque firmissima spes hereticos convertendos viso miraculo, tunc, stante tali utilitate posset quis petere a Deo miraculum conditionate, si scilicet ita ipsi placeat.

III. Tentatio Dei est absque justa causa se exponere periculo mortis, aut mutilationis, ut accideret, si ægrotus respueret communia remedia, & vellet se tantum Divinæ Providentiæ committere. Idem dicas, si quis, dum martirium non est sub præcepto, vel consilio, se offerat occidendum Infidelibus; & ultraquamquod provocarat ipsos ad peccatum mortale, Deum tentaret temere profundendo suam vitam. Porro martyrium est sub præcepto, dum est necessarium ad Fidem, & salutem spiritualem plurimorum, & ad vitandas blasphemias. Est ergo sub consilio, quando ex eo tantum consequitur Dei gloria, & Fidei exaltatio.

IV. Ordinarie loquendo, non sunt blasphemi, qui jurant Per Jovem, per Bacchum &c. quia non intendunt illis tribuere Divinum honorem, cum sciant, nihil esse; quapropter deest animus jurandi, & tribuendi Creaturæ infallibilem veritatem.

V. Dicere *al Corpo*, *o Sangue di Dio*, non est blasphemia, quia licet talia verba irreverenter dicantur, non dicuntur per modum contumeliæ in Deum, neque continent quid falsi; cum Deus quatenus incarnatus habeat corpus, & sanguinem. Quod si hæc verba dicantur vel de Deo Patre, vel de Spiritu Sancto, tunc continerent blasphemiam hæreticalem. Idem dicas, si quis hujusmodi proferret vocibus, quæ indicarent imperfectionem: ut si quis diceret: *al Corpaccio di Dio*, *al Sanguaccio di Dio*; nam de fide est, Christum hujusmodi habuisse sine ulla imperfectione. Idem dicas, si quis quæ ad Deum, vel ad Christum pertinent, ita proferat, ut illis imperfectionem indicare suis verbis videatur, ut si diceret, *Dio poveraccio*, *Dio buonaccio*, *per la barba di Cristo*, &c. quibus nonnulli addunt etiam hanc blasphemiam: *Dio Sacratone*. Quod dictum est de iis, quæ competunt Deo, sed proferuntur quasi contineant imperfectionem, cum debita proportione applicanda sunt iis, quæ competunt Sanctis, sed taliter proferuntur, ut cum imperfectione eis tribuantur.

VI. Hæreticaliter blasphemat qui dicit: *Dio non ha cura di me*; cum de omnibus illi cura sit, *Dio non è morto per me*; cum pro omnibus, saltem quoad sufficientiam, mortuus sit Christus: *Dio è parziale*; cum Deus non sit acceptator Personarum: *Dio non ha fatto questo matrimonio*; *questo negozio &c.* cum Deus sit omnium rerum conditor: *Dio non si ricorda di me*; cum Deus nullius possit oblivisci. Quod si quis hujusmodi protulit occasione alicujus infortunii, potest interpretari, eum hujusmodi dixisse in hoc sensu, quod scilicet Deus illud malum pœnæ noluerit impedire, cum potuisset. In hoc sensu talia verba non continent blasphemiam.

Ista verba, *al dispetto di Dio*, *di Cristo &c.* puto continere blasphemiam hæreticalem; quamvis non pauci contradicant. Ratio mihi est, quia talia verba prolata adversus alium hominem, ut si quis dicat: *Voglio far questo al tuo dispetto* significant, velle aliquid facere sive ipse velit, sive ipse nolit, adeoque non timere quod possit illi resistere. Pari ergo ratione dicere; *voglio far questo al dispetto di Dio*; videtur significare; non timere Deum posse illum impedire; adeoque aliquid contra ipsius omnipotentiam profert. Cæterum si quis per ea verba solum significare intelligeret, se velle aliquid facere, Deo displicens, tunc blasphemiam non proferret, sed solum affectum ad peccatum, quod Deo displicet, indicaret.

VII. Dantur quædam blasphemiæ, quæ dicuntur similitudinariæ, ut cum quis diceret: *Rinego Di*, *al dispetto di Di*, omittendo ultimam literam. Quoad has blasphemias puto, posse facile excusari eum, qui non habet consuetudinem ita blasphemandi, sed hujusmodi protulit ex quadam ira; & advertens se peccare consulto abstinuit ab illa vocali o, ut Deum non injuriaret; nam statim apparet ipsum noluisse blasphemare: scio id quandoque accidisse etiam respectu virorum timoratæ conscientiæ. Si vero quis habeat consuetudinem ita dicendi, videtur rejicere ultimam vocalem ad occultandum suam malitiam, unde non est a blasphemia excusandus. Quæ dicta sunt de supradictis blasphemiis, verificantur eodem modo de eo, qui diceret, *al dispetto di Di*. & interim advertens, se male loqui, ad removendam a vero Deo injuriam, adderet *Bacco*, *non del buono*, *non del vero*. Confessarius vero semper inquirat, & examinet intentionem hujusmodi verba proferentis, & maxime si habeat consuetudinem blasphemandi, & videat, an habuerit intentionem Deum injuriandi, dehonorandi &c.

VIII. Dantur etiam quædam blasphemiæ, quæ dicuntur protestativæ, quia in iis additur protestatio nolendi Deum vel Sanctos injuriare, ut si quis diceret, *al dispetto*, *che non voglio dire di Cristo &c.* Hujusmodi protestationem non pauci putant excusare talia proferentem a blasphemia, sed meo videri probabilius dicitur contrarium; nam quando post protestationem sequitur factum, tunc protestatio potius dicitur delusoria, & nugatoria, exemplum sit in eo, qui alicui diceret, *salvo il tuo onore*, *sei bugiardo*: seu in eo, qui protestaret, se nolle aliquem injuriare, & post protestationem ei impingeret alapam. Certe in his casibus protestatio non deserviret ad removendam injuriam adversus eum, qui appellaretur mendax, vel alapa percuteretur; nam factum destrueret protestationem. Pari igitur ratione, illa protestatio *non voglio dire* videtur destrui, eo quod postea addatur *di Dio*, *della Vergine*, *di S. Pietro &c.* adeoque non excusaret hujusmodi proferentem a blasphemia. Pro foro vero interno prudens Confessarius debet diligenter monere Pœnitentem, ut explicet, an vere per talem protestationem habuerit animum removendi a Deo injuriam, nam in tali foro intentio proferentis attenditur; unde si aliquis ea verba, sive protestationem addendo, voluerit removere a Deo, sive Sanctis quacumque injuriam, & contumeliam, non erit blasphemus. Semper tamen erit serio increpandus saltem ad removendum scandalum audientium, sive periculum vera blasphemandi.

IX. Quoad blasphemias conditionales advertendum est, eas esse in duplici ratione. Aliæ actu includunt blasphemiam, aliæ solum important voluntatem blasphemandi. Primi generis sunt sequentes: *Rinego Iddio*, *se la tal cosa non sta così*: *Iddio*, *non è giusto*, *se non castiga il mio nemico &c.* Secundi generis sunt sequentes: *Rinegherei Iddio*, *se la tal cosa fusse vera*. *Vorrei farmi Turco se la tal cosa stasse così*. De his blasphemiis certum est continere malitiam blasphemiæ, quia hujusmodi proferens habet affectum ad blasphemandum, sive habet de præsenti voluntatem pravam blasphemandi: unde nullum dubium est, hujusmodi loquutiones continere malitiam blasphemiæ. An vero reputandæ sint hæreticales, affirmative responderem, quia, quæcumque addatur conditio, semper talia verba significant, Fidem nostram non esse firmam, & quod possit ab eventu aliquo pendere. Ponamus exemplum in eo, qui diceret: *Rinegherei Cristo se*, *succedesse la tale*, *o tal cosa*. Hujusmodi verba significant, Fidem in Christum pendere ab hac, vel illa re eventura, quod est hæreticaliter blasphemare. Quamvis ergo, dum aliquis dicit *rinegherei &c.* videatur de præsenti non renegare, nihilominus quia illud verbum *rinegherei* significat ab aliquo eventu pendere, inde est, continere hæreticalem blasphemiam.

Ad summum excusari posset a blasphemia ille, qui hujusmodi proferret sub conditione de præterito certo, & vero, ut si quis diceret: *Rinego Iddio*, *se non è passato il giorno di jeri*: etenim dum ponitur conditio de præterito certo, & vero videtur talibus verbis velle significari, quod sicut e. g. impossibile est diem externam non præteriisse, ita impossibile est, ipsum Deum negare. Quod si intelligeret per talia verba, existentiam Dei pendere a Creaturis etiam necessariis, non posset a blasphemia excusari, cum Deus a nulla pendeat Creatura &c.

X. Dantur etiam quædam blasphemiæ, quæ dicuntur comparativæ, quia comparatur veritas humana cum aliqua veritate Divina, ut dum quis dicit. *Hoc verum est*, *sicut est verum Evangelium*: *Sono innocente*, *come la Vergine Maria &c.* Utique tales loquutiones blasphemiam continerent, si aliquis, ita loquendo, vellet significare id, quod dicit, æqualiter verum esse, sicut vera sunt mysteria nostræ Fidei, seu veritates Divinæ; tunc enim daret Creaturæ, quod soli Divinæ Fidei competit. Quia tamen per hujusmodi loquutiones nemo ordinarie intelligit coæquare suam veritatem veritati Divinæ, sed solummodo significare certum, & firmum esse, quod affert, hinc est, tales loquutiones communiter a blasphemia excusari.

XI. Notet denique Confessarius, quamcumque blasphemiam contra Deum, Virginem, & Sanctos esse reservatam in nostra Diœcesi, si hæc tria concurrant. Primo, quod blasphemia sit peccatum mortale; potest etenim esse veniale ex defectu plenæ advertentiæ, sicut etiam si ex joco proferatur, dum tamen talis non sit, ut etiam ex joco prolata aures valde offendat. Secundo, debet esse verbis prolata; unde non subjacet reservationi blasphemia corde retenta, vel factis, aut scripto expressa. Tertio, debet esse prolata coram aliqua persona. Hæc omnia patent ex textu primi casus reservati.

Ex defectu cognitionis excusare potest Confessarius a reservatione eos, qui licet protulerint veras blasphemias, & quæ ratione pravæ consuetudinis sint graviter peccaminosæ, adhuc tamen, dum blasphemant, saltem in confuso non cognoscunt se graviter peccare; cum etenim reservatio sit odiosa, intelligendum est, solum habere locum quoad blasphemiam, quæ graviter sit in se culpabilis, non vero tantummodo in sua causa. Idem dicas de

blasphe-

blasphemante in ebrietate, quamvis prævideit, se blasphematurum. Notet deinde Confessarius, quod licet blasphemia hæreticalis subjacet Pontificiæ reservationi quando id, quod dicitur, corde creditur etsi a nullo auscultetur, ut dixi suo loco de hæresi: nihilominus quoad reservationem nostræ Diœcesis, ut blasphemia sit reservata, oportet ita proferri, ut ab aliquo intelligatur, & insuper percipiat, esse blasphemiam; unde non caderet sub reservatione blasphemia prolata coram puero, vel amente, vel ad eam non advertente. Idem dicendum, si proferatur coram aliquo, qui advertit, sed deberet judicare, proferentem non habuisse animum blasphemandi; ut in casu, quo aliquis non solitus blasphemare, in aliqua subita ira &c. blasphemiam protulisset. Bene etiam P. Mansi in explicatione hujus casus excusat a reservatione blasphemiam prolatam ab eo, qui non credit, se ab alio audiri, quamvis de facto audiatur; quia talis blasphemia non habet perfectam malitiam blasphemiæ coram aliis prolatæ, sub qua circumstantia reservatur. Multo magis non innodatur reservatione, qui videretur solum aliorum blasphemias referre, quamvis referret animo blasphemandi, quia externe non constat, eum blasphemare.

Ultimo advertat Confessarius, quod semper cum dubium est, aliqua verba esse blaspema, non haber locum reservatio.

CAPUT VIII.

De Simonia.

1 SImonia dicta est a Simone Mago hæretico, qui primus tali peccato se obstrinxit, cum Act. 8. pecuniam Apostolis obtulit, dicens: *Date & mihi hanc potestatem, ut, cuicunque imposuero manus, accipiat Spiritum Sanctum*. Quod ea intentione petiisse putatur, ut hac ratione postea Spiritum Sanctum tanquam servum pro pecunia venderet. Tametsi vero hoc peccatum ab auctore suo *hæresis Simoniaca* passim in Jure appellatur, tamen Simonia sine hæresi in prava duntaxat voluntatis affectione, atque indigna tractatione rerum spiritualium consistere potest, quasi perinde ac res profanæ, venales, seu pretio æstimabilies fieri possint.

§. I.

Quid sit Simonia?

2 SImonia est *studiosa voluntas emendi, aut vendendi aliquid spirituale, vel spirituali annexum*. Dicitur *voluntas*, quia sufficit affectio Simoniaca (etiam sine pacto) cum opere subsecuto. *Emendi, aut vendendi*, ut comprehendat omnem contractum onerosum, & reciprocum, in quo res temporalis tanquam pretium, sive æstimatio rei commutatæ, seu vicissim datæ intervenit.

3 Quædam sunt spiritualibus annexa antecedenter, ut jus patronatus, vasa, & vestes sacræ. Quædam concomitanter, ut labor corporis in sacrificando. Quædam consequenter, ut reditus beneficiorum.

NB. Essentialis malitia Simoniæ in eo consistit, quod res sacra, aut spiritualis indigne ac irreligiose tractetur, si cum re temporali in commutationem ducatur; perinde ac si tam vilis sit, ut instar temporalium rerum venalis proponi possit. Id notavit S. Hieronymus in cap. 10. Matth. super illa verba: *Gratis accepistis, gratis date*. Perinde enim agitur, quando res spiritualis cum temporali commutatur, ac si illa non minus quam hæc libero hominis dominio subjecta sit, & non a solius Dei gratuita voluntate, & operandi virtute dependens. Colligitur ex dicto Actor. 8. *Pecunia tua tecum sit in perditionem: quoniam donum Dei existimasti pecunia possideri.*

4 Simonia est species quædam sacrilegii, juri naturali repugnans, supposita Fide & revelatione donorum spiritualium: quatenus res sacra ita vilis reputatur, ut veluti venalis proponatur. Est mortale gravissimum; nec fit veniale ob levitatem materiæ: Quia est gravis irreverentia, imo virtualis quædam blasphemia, ita tractare quodcunque donum gratiæ spiritualis, ac si res tam vilis sit, vel ab arbitrio & potestate hominis dependeat, ut pretio æstimari, & vendi possit.

5 Est etiam contra justitiam ex parte vendentis, si in compensationem rei, quatenus præcise spiritualis est, temporale aliquid accipiat. Qui enim temporalem rem ab altero accipit, sine ullo jure accipiendi, is injustitiam committit: Sed dans alteri rem spiritualem, nullum jus habet vicissim accipiendi rem temporalem. Neque enim accipere potest ex titulo gratuitæ donationis; quia suppono, alterum non habere intentionem dandi gratis: Neque ex titulo oneroso; quia talis contractus ipso Jure naturali, divino, & Ecclesiastico irritus est.

6 Fama, & corporis integritas quodammodo pecunia æstimari possunt, quia humano arbitrio, & usui deputata; non ita vero res sacra, seu spiritualis.

§. II.

Quale pretium in Simonia requiratur?

7 SUppono, ad rationem Simoniæ pretium requiri; quippe malitia ejus in emptione, & venditione consistente, quæ sine pretio esse non possunt. Item spectata rei natura non est Simonia, rem spiritualem cum spirituali commutare, V. C. unum beneficium cum altero, &c.

8 Neque Simonia est, rem temporalem gratuito darè, aut remunerationis causa offerre ei, qui rem spiritualem exhibet. Ratio: Quia donum gratuitum opponitur pretio; quippe quod tanquam vicissim ex justitia debitum promittitur. Neque refert, licet utrinque intentio sit sperandæ remunerationis. NB. Tamen propter periculum affectus Simoniaci talia interdum Ecclesiastico Jure prohibentur.

9 Si antidoralis remuneratio (V. C. *Dono tibi pecuniam, sed ea conditione, ut mihi vicissim ex gratitudine præstare debeas rem spiritualem*) pro exhibitate spirituali in obligationem pacti ex justitiæ vel fidelitatis virtute deducatur, Simoniæ vitium committitur: Quia tunc datio non est gratuita, sed onerosa, ideoque potius permutatio. Et nisi hoc dicamus, nulla erit Simonia, nulla usura, quam non liceret tali contrahendi formula declinare, V. C. *Gratis ac liberaliter tibi conferam hanc rem spiritualem, sed ea conditione, ut vicissim ex gratitudine mihi obligatus sis ad dandam pecuniam (a).*

„ *(a)* Satis hæc congruunt rectæ doctrinæ, cui op-
„ ponitur sententia damnata num. 45. sub Inn. XI.
„ *Dare temporale pro spirituali non est Simonia, quan-*
„ *do temporale non datur tanquam pretium, sed dum-*
„ *taxat tanquam motivum conferendi, vel efficiendi spi-*
„ *rituale, vel etiam quando temporale sit solum gra-*
„ *tuita compensatio pro spirituali, aut e contra.*

10 Qui beneficium Ecclesiasticum alicui confert, aut pecunias mutuo dat, generaliter monere potest, ut gratum se exhibeat is, cui datur; sed nulla nova obligatio pretio æstimabilis imponi debet. *(b)* Qua ratione divites, cum pauperibus eleemosynam dant, eos hortari solent, ut pro ipsis orent, quasi alias nihil daturi essent: & pauperes vicissim se oraturos promittunt. Idem censendum de contractu mutui.

„ *(b)* Hæc tamen in beneficii collatione, & in ce-
„ lebrando contractu mutui in praxi vix excusari pos-
„ sunt a Simonia, vel usura; nam sive beneficium,
„ sive mutuum accepturus sic admonitus videtur se
„ obligare ad aliquid temporale præstandum, ut sit
„ gratus, quod etiam dico in altero casu sequenti.

NB. Nec Simoniacum est, si alicui V. C. Ecclesiasticum beneficium conferas ea intentione & protestatione, ut hoc modo obligatione antidorali gratitudinis te exoneres.

11 Simonia non est promittere, aut donare alteri rem temporalem sub conditione, aut modo, ut ab illo opus spirituale præstetur; non tamen per modum retributionis, seu commutationis, V. C. Si parentes filiis munera promittant sub conditione, ut Sacramenta frequentent: Si puella viro hæretico promittat matrimonium, si Catholicus fieri velit. Ratio: Quia non committitur Simonia, ubi non est contractus onerosus ac reciprocus; sed liberalis donatio: cum donatarius rem non præstat cum obligatione, ac proinde non in contractum onerosum & reciprocum transit. Quod si obligatio imponatur vicissim promissario V. C. *Do tibi centum, ea lege, ac obligatione, ut Religionem ingrediaris*, est Simonia; aut si conditio sit de faciendo aliquid in gratiam dantis, V. C. *Do tibi hanc rem, V. C. decem aureos, si mihi, vel amico dederis sacras Reliquias*, est Simonia.

12 Spectata rei natura Simonia non est præstare alteri officium spirituale, principaliter propter rem temporalem, quæ inde provenit, non ut pretium, V. C. propter speratam eleemosynam.

NB. Clericus Simoniacus est, si propter distributiones, tanquam finem operis principalem, in Ecclesiam veniat; si finis ille tanquam operis pretium intendatur: Tali autem seclusa intentione, deordinatio voluntatis operantis spirituale principaliter propter lucrum temporale solum culpa est venialis: Quandoquidem

fiois

finis hujus appetitionis mortaliter pravus non est; sed solum inordinata ejus appetitio (a).

„ (a) Cave te ab his Lector, nam satis affinia propositioni 46. sub Inn. XI. damnatæ: *Et id quoque* „ *locum habet* (nempe ut non sit Simonia) *etiamsi* „ *temporale sit principale motivum dandi spiritualis*, „ *imo etiam si sit finis ipsius rei spiritualis, sic ut il-* „ *lud pluris æstimetur, quam res spiritualis*.

13 Clerici ministrantes fidelibus spiritualia, ab iis temporalia accipiunt, ut justum ac debitum vitæ stipendium: *Dignus est enim operarius mercede sua*. Et Apost. 1. Cor. 9. *Quis militat suis stipendiis unquam?* Etenim naturalis justitia exigit, ut si quis in alterius gratiam atque commodum occupatus est, & laborat, sufficiens victus & sustentatio, considerato statu personæ ejus, præbeatur: Et tunc non accipitur pro spirituali; sed quatenus præcise servitium est, sive operatio in alicujus gratiam suscepta. Cum enim omni servienti stipendium & sustentatio debeatur, cur non etiam Ministris Ecclesiæ? Consequenter ipsi Ministri recipientes stipendium (ex pacto) ex justitia obligantur ad officium spirituale; alioquin stipendium reddere debent, quod ipsis datur propter officium. Neque enim vero ita gratuito officium spirituale ministrari debet, ut omne simpliciter debitum ex justitia excludat; sed solum debitum ob acceptionem pretii temporalis. Nam qui V. C. pactus est, se sacrificaturum pro altero, si is vicissim aliquot v. g. rosaria pro ipso oret, ex justitia obligatus manet; imo si solum singulariter promittat.

14 Stipendium Clerico spiritualia ministranti, v. g. Missam celebranti, non datur ut mera eleemosyna, sed ut ex justitia debitum, licet pauper non sit. Nemo enim suis stipendiis alteri militare, seu operari cogitur.

15 De stipendio sibi debito Clericus pacisci potest, modo absit exactio turpis avaritiæ, aut Simoniæ speciem præferens. Ratio: Quod enim naturali jure ex justitia debetur, illud etiam in pactum deducere licitum est. Cæterum cum quantitas stipendii naturali jure determinata non sit, lege, aut consuetudine taxari potest, imo etiam partium conventione. Nec est Simonia, etiam si pecunia numeretur ante officium præstitum.

16 Si Parochus ex Decimis, aliisve proventibus sufficientem sustentationem habeat, non potest aliquid pro Sacramentorum administratione, & similibus officiis exigere. Nam omnis exactio injusta est, quæ fit ratione operis alioquin ex justitia debiti, cum tunc desit jus, sive titulus exigendi. Limita, nisi sit consuetudo legitime præscripta.

17 Speciale id est in Societate Jesu, quod pro officiis ad proximum erudiendum, aut spiritualiter juvandum exercitis, nullum temporale stipendium, vel eleemosyna accipi possit, seu in communi, seu in particulari. Quod si aliquid datur in signum gratitudinis, accipi potest, cum id non habeat rationem compensationis.

Illud Navarr. Si alter centum aureos libere daret, secluso pacto, & ego gratificandi causa centum Sacra promitterem, sine dependentia unius promissionis ab altera, licitum esset.

18 In fundatione Collegii non potest Societas Jesu se obligare ad dandum Concionatorem, Confessarium, Theologiæ Professorem. Excipe nisi obligatio docendæ Theologiæ esset accessoria Universitati; eam enim acceptans Societas ex consequenti obligatur ad ordinarias ejus lectiones, etiam Theologiæ.

19 Si Religiosus Soc. Jesu pro sacro ministerio pecuniam accepit, restituere debet danti: Quia Collegium non accipit, cum illud repugnet voto paupertatis: Restat igitur, ut obligatio incumbat restituendi danti, non quidem ob legem justitiæ, utpote quæ violata non est, sed propter voti religionem. Quod si tamen alter, cui pecunia reddenda est, contentus sit, ut nomine ipsius pauperibus detur, satisfiet ejus obligationi juxta ea, quæ dixi hoc lib. tract. 5. cap. 7. num. 16.

20 Religiosus Soc. Jesu non potest spirituale ministerium præstare eo pacto, ut stipendium exinde alteri personæ proveniat, utpote peccans contra votum paupertatis: Quia revera sacro ministerio pecuniam acquirit personæ illi, quam designat; ideoque perinde est, ac si ipsemet acciperet. Quod si tamen alius Sacerdos obligatus sit ad Missas V. C. legendas ex fundatione, aut dispositione, loco ejus sacrificando, eum liberare poterit: Quia jam præcessit pactum, & jus acquisitum est illi Sacerdoti; consequenter Religiosus non cooperatur pactioni; seu ut clarius dicam, suo Sacrificio non acquirit pecuniam, sed solum liberat alterum sua sacrificandi obligatione, idque gratis.

21 Si Minister in casu necessitatis Sacramentum ex affectu Simoniaco ministrare non vult, nisi oblata ipsi pecunia; non est illicitum dare ad redimendam injustam vexationem, & avaritiam ejus explendam. Prob. Quia datio pecuniæ non nisi per accidens ordinatur ad ministrationem Sacramenti, videlicet tanquam removens prohibens. Confir. Quia etiam datio stipendii ex operantis intentione ordinatur ad Sacramentorum V. C. ministrationem, siquidem *beneficium datur propter Officium*; tamen quia non datur ut pretium operis spiritualis, sed ut necessaria sustentatio personæ, ideo non est datio Simoniaca. Item, dans pecuniam tali casu non intendit alterum inducere ad Simoniam, sed abducere a peccato injustæ vexationis. Neque refert, etsi dans advertat accipientem ministraturum esse Sacramentum Simoniace propter pecuniam tanquam pretium: Ille enim nihilominus bonam intentionem servare potest, permittendo hujus peccatum.

Simili ratione, si Tyrannus S. Eucharistiam sacrilege detineat, licitum est ipsi pecuniam dare ad redimendam vexationem, ut a sacrilegio cesset.

22 Qui in beneficio Ecclesiastico jus acquisitum habet, altera persona quacunque eum injuste vexante, vexationem istam pecunia redimere non prohibetur. Ratio: Qui enim habet jus spirituale acquisitum, is non dat pecuniam pro eo accipiendo, sed solum pro avertenda injuria, seu vexatione. Nam injuriam pecunia redimi posse constat ex libro 1. & 4. ff. de condict. ob turpem causam. Quod si tamen quis in beneficio jus plene acquisitum non habet, Simoniam saltem ex Jure positivo Ecclesiastico committere censetur, offerendo tali personæ pecuniam, quæ per se, ac directe ejus promotionem impedire vult: Si tamen per accidens V. C. impediat, cum ad ipsum non pertineat collatio beneficii, violenter obstando, ne possessionem accipiat, potest offerre pecuniam ad redimendam vexationem. Dixi: *Ex Jure positivo Ecclesiastico*. Quia redimere vexationem ab eo, ad quem spectat jus spirituale conferre, V. C. si dem pecuniam Præsentatori, ut non præferat mihi aliquem indigniorem, vel Confirmatori, ut me legitime electum per injuriam non repellat, hujusmodi pactiones censeri solent Simoniacæ. Ratio: Quia cum illi non tantum injuste impedire, sed etiam juste conferre possint aliquod jus spirituale beneficii, ideo, qui dat eis pecuniam, ut non impediant, quatenus collatores sunt, is censetur non mere vexationem, seu impedimentum removere velle, sed directe viam sibi ad beneficium pretio comparare.

23 Simoniacum non est, neque illicitum, offerre pecuniam electoribus, ne exequantur propositum eligendi personam indignam; ad redimendam enim vexationem, sive injustum nocumentum Ecclesiæ id fit. Quod si unus solus dignus censeatur, modo non intendatur propter ipsum dare pecuniam, censebitur id per accidens esse.

24 Non est Simoniacum in absolutione, vel dispensatione pecuniam exigere, non ut pretium pro collata facultate, sed ut pœnam, seu mulctam pro commisso peccato ad pias causas applicandam.

§. III.

De Divisione pretii Simoniaci.

25 PRetium Simoniæ dividi solet in *munus* (debitum justitiæ commutativæ, gravamen, & onus aliquod) *a manu*, *munus a lingua*, & *munus ab obsequio*. Per *munus a manu* non tantum intelligitur pecunia, sed omnis alia res materialis pretio æstimabilis. V. C. Si quis Episcopo propter beneficium, vel Ordines collatos aliquod debitum remittat, Simoniacum est.

26 Per *munus a lingua* intelligitur laus, adulatio, preces pro aliquo interponendæ ex vi pacti expressi, vel taciti, ut res aliqua spiritualis vicissim conferatur. V. C. Commendabo te apud Principem, si Ecclesiasticum beneficium meo filio conferas. Secluso autem pacto explicito, vel implicito non est Simonia precibus, vel adulationibus beneficium impetrare. Ratio est: Quia ad Simoniam non sufficit dare rem spiritualem ex motivo rei temporalis, V. C. propter amicitiam, obsequia, preces, sed opus est, ut detur pro

re

re temporali, tanquam pro pretio, videlicet in compensationem illius, velut ex justitiæ obligatione.

Per *munus ab obsequio* intelliguntur quæcunque alia obsequia, seu servitia alicui præstita, vel præstanda sub obligatione conferendi beneficium Ecclesiasticum. V. C. Si collatori sine alio salario inservire velis cum expresso, vel tacito pacto conferendi beneficii. Verum Simonia non est, si Episcopus, vel collator famulo beneficium conferat sine ullo pacto, dummodo famulus non sine salario, intuitu, & cum spe beneficii acquirendi famuletur; quod periculosum, & scandalosum est.

27 Neque Simoniacum est conferre beneficium Ecclesiasticum propter amicitiam, consanguinitatem, aut actualem injuriam tollendam. Ratio: Quia non quævis conditio promissioni, aut dationi adjecta facit contractum reciprocum, in quo Simonia fundari debet, sed solum, si conditio vicissim afferat onus, seu obligationem justitiæ, per modum cujusdam commutationis. Nam, qui puellæ V. C. dotem promittit sub conditione, si nuptias celebrarit, si Religionem professa fuerit &c. is non censetur onerosum contractum celebrare, sed gratis promittere, quamvis sub conditione, modo, ob causam.

N.B. Eademque ratione reciprocus, aut Simoniacus contractus non est, dare Clerico victum, seu stipendium sustentationis propter officium, adeoque sub conditione, si spiritualia gratis ministret, alioquin vero restituere stipendium debeat tanquam datum ob causam causa non secuta. Similiter licitum, & in Ecclesia consuetum est, donare, vel legare Ecclesiæ fundum, vel aliam rem temporalem sub conditione applicationis ad determinatum usum pium, V. C. ut dies anniversarius celebretur, etiam expresso, ut, si talis conditio non servetur, revocari possit donatio, aut legatum.

28 Latro se obligans, quod imposterum nihil damni injusti illaturus sit, novam obligationem contrahit, pro qua pretium valide accipiet. Simili ratione non est Simoniacum dare, vel resignare alicui beneficium, exigendo tanquam conditionem, ut is, cui resignatur, ab actuali injuria cesset: Tunc enim non imponitur ipsi nova obligatio, sed solum exigitur, quod per se ex justitia debitum est. At vero Simoniacum esse videtur, si ideo detur beneficium, ut beneficium accipiens debeat promittere, quod futuro tempore nihil damni injusti collatori, aut resignatori illaturus sit.

29 Per se loquendo, non videtur esse Simoniacum, conferre beneficium debitori injustam moram trahenti sub conditione præsentis vexationis statim amovendæ. Ratio: Quia hoc casu mutuans non censetur novam obligationem imponere mutuatario, quando ea solum sibi dari postulat, quæ ex antecedentibus pactis liquido debentur.

Regula in praxi observanda.

I. Cum peccatum Simoniæ consistat in tradenda re temporali pro spirituali consequanda, existimarem, prudentem Confessarium advertere debere tali peccato non solum offendi virtutem Religionis, sed etiam Justitiæ; sicut enim contra justitiam peccat, qui vendit rem, quæ non est pretio æstimabilis, sive quam non potest vendere, ita peccat, qui accipit temporale pro spirituali, nam dat pro pretio rem, quæ non est pretio æstimabilis, & quam non potest vendere.

II. Quia ex dictis eo magis consurgit Simoniæ peccatum, quo magis temporale, quod datur, est minoris valoris, & pretii, ideo Confessarius non excuset a Simonia illum, qui ob consequendum Beneficium se offerret ad mutuo dandam aliquam summam pecuniæ. Quamvis igitur non esset usura sub conditione mutuare e. g. Pecuniam, ut mutuatarius triticum remutet hic, & nunc, quia non dicitur ibi aliquid supra sortem pretio æstimabile exigi, & videtur innuere S. Th. 2. 2. *qu.* 78. *a.* 2. *ad* 4. nihilominus dare rem spiritualem, quia alter e. g. offert hic, & nunc mutuo dare pecuniam, puto esse Simoniam, quia quo minoris hæc mutuatio æstimatur, eo magis vilipenditur res spiritualis, cum detur pro temporali nullius, aut fere nullius valoris. Cæterum sicut est usura mutuare cum pacto, ut mutuatarius se obliget ad remutuandum, ita nulli dubium est, esse Simoniam propter talem obligationem dare rem spiritualem.

III. Cum frequenter dentur temporalia ad alliciendum ad aliquod spirituale præstandum, sicut dum Parentes munera filiis promittunt, ut frequentent Sacramenta, Dominus Mancipio infideli, ut recipiat Baptismum &c. ut hæc immunia sint a labe Simoniæ, duo præcipue sunt attendenda. Primum est ut ei, cui datur temporale, nulla imponatur obligatio faciendi opus spirituale, sed liber maneat ad faciendum. Sic S. Th. admittit, posse aliquem muneribus allici ad ingressum Religionis, ut videre est 2. 2. *q.* 100. *a.* 3. *ad.* 4. nihilominus dicit ibi, & *q.* 189. *a.* 9. hoc esse Simoniacum, si tradantur cum pacto, ut ille ingrediatur religionem, dum enim intercedit pactum, & obligatio faciendi rem spiritualem pro re temporali, statim consurgit contractus onerosus adeoque Simoniacus. Secundum est, quod licet donans possit conditionem apponere, ut si donatarius aliquod spirituale non efficiat, vel non consequatur, vel debeat restituere rem donatam, quia donatio facta fuit sub tali conditione, v. g. si christiane vivat, si ingrediatur Monasterium &c. nihilominus non debet apponere conditionem de dando, aut faciendo aliquid in propriam utilitatem, sive in utilitatem alterius personæ, cujus ipse quasi vicem subeat. Exemplum sit in eo, qui Virgini dotem promitteret ad ingrediendam religionem cum conditione ut ipse, vel Filius, aut Consanguineus succederent in ipsius hæreditatem; nam tunc pro re temporali promissa peteretur spiritualis, exercenda in ipsius temporalem utilitatem, & sic peteretur res spiritualis pro temporali assequenda. Aliud esset, si præfata non apponatur conditio, & libera remaneret Virgo, vel ad ingrediendam religionem, vel ad disponendum de suis rebus.

IV. Cum consurgat Simonia etiam ex munere ab obsequio, advertere debet prudens Confessarius, an inservientes Episcopis, seu Patronis Beneficiorum, id præstent solummodo ad conciliandam voluntatem Episcopi, seu Patroni &c. an potius, ut ipsorum obsequiis fiat satis collatione Beneficii. Si inserviant nullo, vel exiguo salario, & talis sunt conditionis, ut alias sine salario nollent inservire, difficile erit, ut tam ipsi, quam Collatores immunes sint a labe Simoniæ: videtur enim inter ipsos tacitus contractus adesse, compensandi nempe ipsorum obsequia collatione Beneficii. In casu autem, quo nullum pactum, nec tacitum, nec implicitum detur, semper nihilominus adest peccatum scandali; non pauci etenim credent, fuisse collatum Beneficium ad satisfaciendum obsequiis præstitis, & Beneficia impertiri, non juxta merita, sed juxta obligationem privatam, ut communiter advertunt Theologi. Debeat ergo Confessarii curare, ut pœnitentes etiam ab hoc scandali peccato abstineant. Interim doceant, quod si etiam a Simoniæ peccato volunt abesse, debent inservire Collatoribus, Patronis &c. Beneficiorum, vel nulla habita ratione Beneficiorum, quæ possent consequi, vel solum cum intentione ea habendi ex pure obligatione antidorali, postquam suo famulatu certificaverint Collatorem de propriis meritis, capacitate &c.

V. Circa munus a lingua, ex quo consurgere posse diximus Simoniam, observet Confessarius, quod si detur pecunia &c. intercedenti pro aliquo apud Episcopum, ut ipsum ordinet, dispenset, conferat Beneficium, *& detur præcise propter hæc assequenda*, statim consurgit Simonia saltem juris Ecclesiastici, ut patet ex *Extra. 2. de Sim. ex can. præsentium* 1. *q.* 1. *& can. statuimus*, 2. *qu.* 1. ubi inter alias Simoniæ species annumeratur ea, qua, licet nil detur ordinanti, confertur tamen mediatoribus. Ratio est, quia, ut dicit *S. Th.* 2. 2. *q.* 100. *a.* 2. *ad* 5. *Simonia est sibi parare viam ad rem spiritualem consequendam*, quod facit, qui muneribus solicitat intercessiones, preces, favores &c. Quamplures apud Salmanticenses *tr.* 19. *c.* 1. §. 4. *n.* 53. volunt, hanc Simoniam esse jure divino prohibitam, adeoque subjacere omnibus pœnis latis contra Simoniacos. Ratio ipsorum est, quia dum detur pecunia Mediatori, vel Intercessori, non datur præcise pro intercessione ut actus naturalis, sed quatenus connectitur moraliter cum Beneficio: unde sicut qui vult causam, convincitur etiam velle effectum, qui emit eam intercessionem ordinatam ad consequendum beneficium, intelligitur emere ipsum Beneficium: hæc autem est Simonia contra jus Divinum.

Dixi, si detur præcise propter hæc assequenda, nam si aliquid detur Intercessori, Mediatori &c. pro labore, vel damno, quod passus est, quia e. g. ut intercederet penes Episcopum Patronum &c. abstinere debet a suis negotiis, operibus, &c. tunc non esset Simonia, quia daretur temporale pro temporali. Hoc nihilominus valde periculosum est, ac proinde Confessarius attendere debet, an pecunia data excedat valorem laboris, & damni, & si excedit, clarum est, talem laborem plus æstimari ratione Beneficii obtinendi; adeoque non tantum dari ratione laboris &c. sed etiam ratione Beneficii.

Eadem regula observanda, quando munera dantur Mediatori, non ut preces fundat, & intercedat apud Prælatum, Patronum &c. sed præcise, ut ille proponat sua merita. Dare præcise propter hoc, non videtur simoniacum, quia est dare alicui, ut gerat munus sui Advocati; & aliunde quod immediate intenditur, non est acquisitio rei spiritualis, sed bonæ famæ apud Collatorem: Negari tamen non potest, hoc esse periculosum, & maxime si temporale, quod datur, excedat merita informantis, nam tunc videtur dari, non tantum, ut recipiens notificet Prælato sua merita, sed etiam exerceat officium deprecantis, exhortantis, inducentis &c.

Observant autem Theologi, & inter ipsos *Palaus de Sim. p.* 11. *num.* 5. raro in praxi evenire, ut detur temporale pro simplici meritorum notificatione Prælato faciende, vel pro solo extrinseco labore &c. quem patiuntur, qui intercedunt, vel deprecantur, ut beneficium conferatur illi, qui dedit aliquod temporale. Jam vero ex dictis scire debet Confessarius, quod dum alicui datur temporale, ut intercedat pro consequutione beneficii, committitur Simonia; nam preces, & intercessio tunc non æstimantur, nisi quatenus connexionem habent cum re spirituali; ac proinde datur temporale revere ad consequendum spirituale, *Laym. de Sim.* §. 6. *num.* 65., *Barbos.* in *cap. nemo de Sim. num.* 4.

VI. Quia, ut diximus, Simonia est convenire, sive pactum facere de satisfaciendo obligationi antidorali inter eum qui dat, & eum, qui recipit rem spiritualem, hinc est, omnino abstinendum ab hujusmodi pactis. Cæterum si dans Beneficium, seu aliam rem spiritualem dicat recipienti sibi ex gratitudine remanere obligatum, & e contra recipiens protestetur se futurum gratum, & honorati Viri leges adimpleturum, nulla est Simonia, quia ultra obligationem antidoralem, sive ex gratitudine, nulla alia illis verbis contrahitur obligatio, ut evenit quando deducitur in pactum. Sic si dem alicui Sacerdoti centum aureos, & petam ex gratitudine, ut pro me offeret decem Missas; sive si ego, volenti mihi dare centum nummos, offeram pro gratitudine pro ipso decem Missas celebrare, vel alia offerre suffragia, nulla est simonia, ut intuenti patet.

Ut vero hanc regulam tam pro praxi necessariam bene percipiat Confessarius, animadvertat, quod licet ob acceptum Beneficium semper consurgat obligatio antidoralis, sive gratitudinis: *arg. leg. sed etsi* 25. §. *Consuluit* 11. *ff. de petit. hered.* hæc nihilominus obligatio non exposcit, ut potius una res, quam altera tradatur, vel potius temporale, quam preces ad Deum fundantur. Si Collator proinde ex. gr. Beneficii illud recipienti, dicendo sibi remanere ex gratitudine obligatum, aliquo modo

innue-

innueret potius velle aliquid temporale, quam, ut pro se e. g. oratur; & multo magis, si demonstraret, se aliquam rem particularem temporalem velle, jam non amplius peteret solam gratitudinem, sed determinate aliquid temporale, unde excusari non posset a Simonia. Idem dicas de recipiente, si dum diceret Collatori *exhibebo me gratum &c.* demonstraret se potius temporale, quam spirituale daturum, sicut videtur exposcere Collator Beneficii. Quod si hæc mente retineantur; dum exposcitur, vel offertur gratitudo, dabitur sola Simonia mentalis. Cæterum prudens, & doctus Confessarius debet removere a suis Pœnitentibus has gratitudinis expressiones; nam ex his facile scandalum oritur. Si enim e. g. Patronus alicui deprecanti, ut ipsum præsentet ad Beneficium, dicat optare ipsum esse gratum, nominandus in suo corde facillime statuet aliquid temporale pro præsentatione conferre; & e contra Patronus facillime pro re temporali separata præsentabit, si audiat Præsentandum promittere gratitudinem &c.

VII. Ultimo observare ast, quod quando temporale non datur in pretium rei spiritualis, sed ex aliis titulis honestis, licet pactum intra de temporali dando, Exemplum sit in eo, qui pactum faceret de administrandis Sacramentis, & efficiendis aliis spiritualibus functionibus, si illi pecunia detur in sui sustentationem; hoc etenim titulo dantur etiam Parocho decimæ, oblationes &c. Id, inquam, licite deducitur in pactum, quia tunc non commensuratur res spiritualis cum temporali, sed exposcitur quod ex justitia debetur. Addo, temporale posse exposci, & deduci in pactum etiam pro labore extrinseco; ut si Sacerdos non Parochus deberet iter facere, ut pergeret ad aliquam Ecclesiam ad excipiendas ibi Confessiones, ad assistendum funeri &c.

Idem dico de promissione, quæ intercederet, de danda aliqua eleemosyna, sive faciendo aliquo opere pio, si detur aliquid spirituale, sive si aliquis intercedat pro obtinenda aliqua re spirituali; quia tunc temporale, quod daretur, non daretur ut pretium rei spiritualis, sed in eleemosynam: sicuti sine labe Simoniæ possum promittere in eleemosynam alicui pauperi aliquam pecuniam, si pro me oret &c.

§. IV.

De re spirituali, quæ est materia Simoniæ, sive merx.

30 Doctrinam, seu instructionem scientiarum naturalium pro mercede locare, aut quasi vendere, non est Simoniacum: Quia non est res sacra spiritualis, seu ad salutem animæ specialiter destinata, & actio instructionis voce facta pretio æstimabilis est. Peccatum tamen est, plus justo, aut modo indebito, videlicet collectas a scholaribus exigere, præterquam si privata instructione extraordinarium officium discentibus impendatur. Nec Simoniacum est, mercedem accipere pro doctrina Theologica, quæ neque supernaturalis est ex parte principii, neque ex parte finis. Non ex parte principii: Quia licet perfectus assensus Theologicus a Fide supernaturali, & infusa pendeat, ipsa tamen doctrina discursiva, quatenus discipulo proponitur, omnino naturalis, & acquisita est, a supernaturali Fide per se, ac necessario non dependens. Quod eo argumento colligitur, quia etiam hæreticus, & Fide supernaturali destitutus, imo etiam dubitans de veritate doctrinæ Theologicæ, eandem tamen ex humana, & acquisita peritia, suppositis revelatis, & communiter creditis Fidei propositionibus, alios edocere posset. Non item ex parte finis: Quia instructio illa discursiva Doctoris per se non ordinatur ad spiritualem animæ salutem; cum ex se non moveat pium voluntatis affectum, sed solum dirigat intellectum ad discursum naturali facultate sua, suppositis Fidei revelatæ propositionibus.

31 Pro Doctoratu, & collata licentia docendi in Theologia sine Simonia aliquid tanquam pretium exigi potest: Quia publicæ ejusmodi approbationes, & facultates diriguntur ad actus, qui per se spirituales non sunt.

32 Pro officio prædicationis, aut exhortationis spiritualis aliquid accipere ut pretium operis Simonia est, juxta cap. 10. Matth. *Gratis accepistis, gratis date.* Ratio: Quia verbum Dei est maximum donum spirituale, ad animarum salutem per se, ac principaliter institutum. Ludimoderatores tamen possunt aliquid accipere: Quia Catechismum non modo exhortatorio tradere solent, sed sicut aliarum artium præcepta, exercendo puerorum memorias. Etiam pro consilio morali munus accipi potest; quia per se, ac directe doctoralis instructio est.

33 Gratiæ gratis datæ, ut sanitatis, prophetiæ, item gratia sanctificans, & Sacramenta novæ Legis, atque Sacramentalia omnia proprie sunt materia Simoniæ.

Materia remota Sacramenti, panis, vinum, oleum, secluso scandalo possunt vendi. Sic dicit Sotus, Chrisma ratione materiæ posse vendi, si scandalum, & suspicio Simoniæ absit, neque justitia obliget ad ministrandum gratis. Sed pro materia propinqua, quæ ferme in actione transeunte consistit, V. C. ablutione, unctione, sicut & pro ipsa forma aliquid accipere est Simonia: Quia sunt actus potestatis spiritualis, qui nullam aliam utilitatem, & æstimationem habere possunt, quam quod ex Christi institutione, & gratia ad animarum salutem conferant; quæ tota ratio spiritualis est.

34 Matrimonium non tantum Sacramentum est, sed etiam officium naturæ, atque contractus naturalis: Quare secundum hanc considerationem dare aliquid puellæ, vel parentibus ejus, ut consensum præbeant, non est illicitum.

35 Vendere S. Eucharistiam, præsertim infideli, aut venefico, gravissimum scelus est. Judas tamen non commisit Simoniam proprie dictam; quandoquidem is Judæis Christum vendidit tanquam hominem naturalem sine ulla æstimatione sanctitatis, divinitatis, alteriusve spiritualitatis. Quare licet non tantum injustitiam, sed etiam sacrilegium gravissimum commiserit, non tamen proprie Simoniam.

NB. Vendere materiam rerum sacrarum (V. C. vasorum, numismatum benedictorum, vestium sacrarum) secundum se pretio æstimabilem non est Simonia (*a*).

„ (*a*) Nisi tamen carius vendantur propter sacrum
„ annexum.

36 Pro jure sepulturæ aliquid accipi potest, si sponte offeratur, item vigore consuetudinis, non tamen ut pretium; tunc enim esset Simonia.

NB. Loca, & subsellia in Ecclesiis pro pecunia locare licet, deputata ad fabricam.

37 Materialia Ecclesiæ, imo ipsa Ecclesia in necessitate, æstimando saltem expensas, quæ in ea factæ sunt, item obligatio certum locum præbendi in Ecclesia ad sepeliendum, pretio æstimabilia sunt, & vendi possunt; dummodo consecratio, seu spiritualitas non æstimetur. utpote accidentaliter tantum annexa.

38 Officia divina, & quævis orationes etiam privatæ sine vitio Simoniæ non possunt venire in commutationem pro re temporali, seu pretio æstimabili; quamvis nihil obstet, quo minus aliquid petatur pro Processione, gestatione Crucis, pro Officio funebri, non per modum pretii, sed ratione laudabilis consuetudinis.

NB. Cum pauperibus pecunia datur ea lege, ut orent secundum intentionem dantis, interpretandum est per modum stipendii quale etiam Sacerdoti datur, ut pro certa causa sacrificet.

39 In susceptione Monialium aliquid recipi potest, tanquam dos ad personæ sustentationem necessaria, si Monasterium inops sit; si dives, Simonia Jure Ecclesiastico committitur. Sed consuetudo contraria damnari non potest. Alioquin pro susceptione ad statum Religiosum nihil accipi potest: Quia status Religiosus spiritualis est. Dos potest accipi ad eum modum, quo accipitur in matrimonio carnali, in quo secernitur spiritualitas ab onere alendi personam, quod temporale est. Quod si sponte, & liberaliter aliquid offeratur ab ingrediente Religionem, licitum est recipere propter consuetudinem introductam, si fiat sine pactione.

40 Omnis actus jurisdictionis Ecclesiasticæ materia Simoniæ est: Quia sicut potestas Ecclesiastica spiritualis est tum ratione principii, tum ratione finis; ita etiam actus ab ea procedentes. Quare Simoniacum est, pretium accipere pro absolutione, præsentatione, dispensationibus. In visitationibus tamen potest exigi moderatus victus. In votorum dispensationibus, & juramentorum apud Sedem Apostolicam per modum stipendii applicandi Officialibus moderatum aliquid peti, & accipi potest: Et licet propter speciem, & suspicionem Simoniæ sacri Canones id prohibeant, tamen Summus Pontifex, ejusve Legatus his non ligatur, utpote ex Jure tantum positivo provenientibus. Quod si per consuetudinem etiam in Episcopatu aliquid accipiatur, Simoniæ criminis damnari non poterit: Consultum tamen esset, abrogare tales consuetudines, maxime quoad munera in collatione Ordinum; prohibent enim hoc severe Canones, & Concilium Tridentinum.

41 Labor corporis, qui in spiritualibus officiis per se exercendus est, secundum specificam rationem æstimari non potest; nam labor corporis non est pretio æstimabilis, nisi in ordine ad opus, cujus causa suscipitur: Si ergo opus spirituale, ideoque invendibile est, neque corporis labor per se, intrinsece, ac necessario requisitus vendi, aut pretio æstimari poterit.

Verum-

Verumtamen qui per accidens conjuncti sunt labores, molestiæ, impensæ, ea in compensationem venire possunt. Considerato etiam illo, quod Ministri in spiritualibus occupati sint in gratiam fidelium, ac proinde illis ex justitia debetur aliquid, non ut pretium, sed ut sustentatio vitæ.

42 Non enim debent esse deterioris conditionis, quam alii operarii; proinde pro ministerio sacro non datur proprie pretium operis, alioquin tanto plus deberetur, quanto dignius ministerium esset, sed datur stipendium pro sustentatione personæ operantis.

43 Omissio actus spiritualis, seu Ecclesiasticæ potestatis, V. C. si Minister pecuniam accipiat, ut non sacrificet, est materia Simoniæ, si scilicet accipiat pecuniam non præcise, ac pure, quia opus spirituale in gratiam alterius omittat, sed tanquam in compensationem jacturæ fructus spiritualis, quem ex opere sacro, V. C. Sacrificio, accipere posset. Alioquin si omissio mera, & pura sit, nullumque spiritualem effectum moraliter pariens, non est aliquid spirituale, consequenter nec materia Simoniæ.

Regulæ in praxi observandæ,

I. Justissimus quidem titulus est, ut S. Ministri exercentes sacras functiones titulo sustentationis exigant temporalia: at observare debet Confessarius, ne irrepant abusus. Isti autem intervenirent, quando aliquid exigerent, vel ultra taxam synodalem, vel, dum hæc non adest, ultra honestam consuetudinem; nam vel ex taxa, vel ex laudabili consuetudine regulanda est honesta sustentatio: *arg. cap. ad audientiam 24. de Sim.* Non lmat proinde, Ecclesiasticos, quando v. g. aliqua die festa magis necessarium est in aliqua Ecclesia ipsorum ministerium, aliquid ultra taxam, vel piam consuetudinem prætendere, eoque convolare, ubi majus stipendium, nomine eleemosynæ palliatum, ab ipsis exigitur. Quantum exigere possint titulo sustentationis jam a taxa, vel pia consuetudine est præscriptum: quo titulo ergo duplum aliquando audent exposcere? Injustus saltem talis Ecclesiasticus semper mihi videretur, ut dicitur de eo, qui calicem valoris decem aureorum, viginti venderet.

II. Quamvis pro administrandis cæteris Sacramentis aliquid accipere liceat titulo eleemosynæ, sustentationis &c. ut dictum est in regula superiori; id tamen nullatenus licet in collatione Sacramenti Ordinis, nam id expresse jure Ecclesiastico vetitum fuit, ut habetur *can. nullus Abbas, can. sicut Episcopum 1. q. 2. & cap. in ordinando de Simon., & apud Tridentinum sess. 21. de reform.* Quod si Notario non sit constitutum aliquod salarium, poterit stante consuetudine pro mercede laborum, quos facit pro Ordinandis, auri decimam partem sumere. Si vero habeat salarium, neque hoc poterit recipere ratione taxæ, aut cujusvis immemorabilis consuetudinis &c.; nam hæc omnia damnantur a Tridentino ubi supra.

III. Puto etiam posse aliquid temporale dari saltem in gravi, & extrema necessitate Ministro deneganti Sacramenta. Et quidem id illicite fieri, si daretur pro Sacramento, patet ex dictis in Superioribus, & docet S. *Thom. 2. 2. quæst. 100. a. 2. ad 1.* ubi dicit, quod in extrema necessitate non licet dare pecuniam pro Baptismo, si Sacerdos nollet jamjam moriturum baptizare. At quid impedit, quin detur ad removendam injustam vexationem, sive ad flectendam voluntatem iniqui Ministri nolentis baptizare, sive excipere confessionem morientis, nisi oblata pecunia? Certe licitum est in tali casu illicitum terrere minitando, ad Superiorem denuntiandum, poterit ergo & muneribus quis curare, ut a prava voluntate, & iniqua vexatione recedat. Ulterius D. Thomas loco citato in resp. ad quintum admittit, post jus acquisitum licere per pecuniam removere injusta impedimenta; Cum ergo fideles omnes ex Christi concessione habeant jus ad omnia Sacramenta, si circa hoc jus injuste impediantur, poterunt injustum impedimentum pecunia removere, quod tamen, ut patet, non erit absque Simonia avari Ministri: *Suar. lib. 8. de relig. cap. 12. numer. 19. Sanch. l. 2. cap. 1. dub. 8. num. 2. Laym. l. 4. tr. 10. cap. ult. §. 2. num. 20.*

IV. Cum Simonia sit negare actus spirituales pertinentes ad potestatem jurisdictionis, sequitur, simoniam committere Prælatum, qui ratione acceptæ pecuniæ subditum non corrigeret; Sacerdotem, qui confessione Pœnitentis audita, negaret propter pecuniam acceptam absolutionem, & idem dicendum de negatione absolutionis a Censuris: Electorem non eligentem Petrum alias idoneum ad Beneficia &c. Cum omnes hæ negationes regulentur a potestate spirituali, & ad finem spiritualem ordinentur, pro iis accipere pecuniam est pretium temporale accipere pro re spirituali. Quidquid etiam plures contrarium sentiant, videtur Simonia, si Parochus propter pecuniam omitteret denunciare peccatorem non communicantem in Paschate, quia *cap. nemo de Sim.* prohibetur Presbyteris aliquid accipere a publice peccante, ut ejus peccatum celent Episcopo, ejusque Ministris. Accedit talem Parochum ratione pecuniæ abuti suo munere, & quasi jurisdictione; cum videatur liberare dictum Peccatorem a censura, & absolvere quarum est in se impœnitentem. Videatur S. Thomas 2. 2. q. 100. a. 3. *ad* 2. & scribentes in supradictum Caput *Nemo de Sim.*

V. Quia pro ingressu in Religionem licet aliquid exigere solummodo titulo sustentationis, sequitur, non facile liberari a Simonia Monasteria, quæ ultra taxam sustentationis aliquid de plus exigunt, v. gr. a Moniali, quia est minus nobilis, deformis, seu alia infamia notata. Quod si exinde aliquod detrimentum temporale, sive in facultatibus, sive in aliqua alia re temporali Monasterio eveniret, tunc licite illud compensaretur per majorem dotem.

§. V.

De Simonia, quæ committitur in Beneficiis Ecclesiasticis.

44 Simonia commissa in beneficiis Ecclesiasticis videtur esse contra Jus divinum: Quia stipendium beneficii Ecclesiastici non potest esse, neque concipi sine jure spirituali exercendi officium, utpote sibi invicem ita connexa, ut non nisi ob illud spirituale officium alicui competere possit; & consequenter, si alicui vendatur jus beneficialium proventuum, venditur illi etiam jus spirituale exercendi officium. Alia ratio est de calice consecrato vendito, utpote cujus materia suapte natura non pendet ab annexo spirituali, ac proinde secundum se, non æstimato spirituali, vendi potest. Locutus autem sum de proventibus Ecclesiastici beneficii formaliter, & in sensu composito, id est, quamdiu proventus Ecclesiastici per authoritatem Ecclesiasticam nec re, nec virtute a spirituali munere separati sunt, sed juxta primævam institutionem, & naturam debentur, tanquam stipendium sustentationis pro spirituali munere.

45 Nam alias certum est, proventus beneficiorum a titulo spirituali per Summum Pontificem separari, eosque vendi posse absque Simoniæ vitio. Implicitam, seu virtualem separationem vides in hoc exemplo. Si Papa conferat alicui beneficium Ecclesiasticum, reservata sibi annua pensione, seu portione redituum, eamque pensionem a titulo spirituali separatam statim ab initio vendat Beneficiato, ita, ut aliter illi nolit gratiam collationis beneficii facere, nisi in redemptionem pensionis consentiat, non erit Simonia: Sicuti neque usura est, si alicui nolis mutuare pecuniam, nisi is vicissim tibi statim mutuare, aut vendere velit triticum; sicut dixi Lib. 3. Tract. 4. de Just. C. 16. num. 3. Simile quiddam est, si Parochus a Sacerdote pecuniam exigat, propterea quod ipsi licentiam det in Parochia stipem lucrandi celebratis Missis, Simonia est; cum enim stips detur propter Sacrificium, eo ipso, quod licentia accipiendæ stipis venditur, etiam jus sacrificandi venditur. Si autem Parochus, qui propter onera, & administrationem Parochiæ, quæ ipsi incumbit, juste aliquam stipis partem, aut oblationis de Sacrificiis Cooperatoris sui capere potest, cum eodem paciscatur, ut pro portione sibi competente in singulos annos certam pecuniæ summam numeret, non erit hæc pactio Simoniaca, sed justa venditio.

46 Annatam, seu fructus primi anni (ad Ecclesiasticum aliquem usum assignari solitos) ex beneficio, spectato Jure communi, solus Pontifex sibi deposcere potest ex plenitudine potestatis: Sed per consuetudinem etiam Episcopi, ubi Concilium Tridentinum non est receptum quoad auctariam Constitutionem.

NB. Simonia est, si pro ipsa collatione aliquid exigatur; quippe quæ spiritualis muneris actus est.

47 Pensiones laicales, utpote separatæ a spirituali titulo, licite venduntur; sed Clericales sine Simonia emi, aut vendi non possunt, utpote fundatæ in spirituali officio: Pensionarius tamen retenta obligatione sui spiritualis officii ipsas temporales pensiones, seu fructus alicui ad vitam vendere potest (*a*).

„ (*a*) Benedictus XIV. in sua Bulla: *In Sublimi*, „ vetuit redemptionem pensionum in casu, quo bene„ ficia resignantes sub pensione ineant pactum cum „ resignatario de cedenda illi pensione, seu commodo „ exigendi fructus ejusdem pensionis, soluta anticipa„ ta pecunia. Pacta hæc nulla esse ipso jure declarat; „ tum addit resignatarium ab omni jure adepti bene„ ficii cadere; tum & pecuniam solutam reddendam „ esse Ordinario edicit applicandam locis piis. Iisdem „ pœnis subiacere vult pacta illa inita intra sex men„ ses a die recepti per resignatarium beneficii.

„ Alia vero Bulla: *Universalis Ecclesiæ* Bull. Tom. I. „ num. 29. vetat sub pœna excommunicationis ipso „ facto incurrendæ, ac nullitatis actus vetat Benefi„ ciariis, ne vendant, aut distrahant redditus suo„ rum Beneficiorum ad vitam, vel in longum tem„ pus, recepta ab emptore per unam, vel plures so„ lutiones quantitate pecuniæ, quam ipsi Beneficiati „ per spatium ejusdem temporis, vel totius vitæ pro„ babiliter consequi potuissent.

48 Pensiones mixtæ, id est, quam Clericorum propriæ sunt, sed non ob sacrum ministerium assignatæ, sed solum ob senium, infirmitatem, litis compositionem,

hem, emi non possunt: Quia Clericales pensiones simi-
litudinem quandam cum beneficiis gerunt; unde sty-
lus Curiæ Romanæ damnat ejusmodi venditiones tan-
quam Simoniacas. Possunt tamen redimi: Quia redi-
mere pensionem non est emere aliquod jus spirituale,
sed extinguere onus, seu obligationem temporalem
solvendi annuatim certam summam pecuniæ, aut fru-
ctuum; dummodo talis redemptio non ita instituatur,
quasi per eam extingui debeat spiritualis obligatio re-
citandi Officium B. Virginis: Tunc enim Simonia com-
mitteretur secundum stylum Curiæ Romanæ.

49 Non est Simonia, si Capitulum Vicario Paro-
chiæ suæ Ecclesiæ Collegiatæ annexæ relinquat omnes
proventus, ita tamen, ut ex his copiosis proventi-
bus 100. aureos quotannis Capitulo solvere teneatur;
simul etiam aliud pactum ineat cum Vicario, ut sta-
tim, si velit, redimat onus totius pensionis 500. au-
reis: Quia hic non est materia spiritualis, sed res
mere temporalis, quæ redimitur. Debet tamen Vica-
rio beneficium primo pure esse collatum sine tali obli-
gatione; alias erit Simonia (a).

„ (a) Vide dicta in nota superiori.

50 Permutatio beneficiorum, si privata pactione si-
ne Episcopi authoritate fiat, irrita est, & Simonia-
ca ob Ecclesiastici Juris prohibitionem; imo permu-
tans meretur beneficium amittere, sed per Judicis
sententiam. Spectata tamen rei natura Simoniacum
non est, beneficium cum beneficio permutare, cum
utrumque spirituale sit; sed propter periculum Simo-
niacæ intentionis prohibitum est. Possunt tamen par-
tes inter se prius tractare de permutatione, sed cum
conditione relata in consensum Episcopi, seu legitimi
Superioris.

51 Omnis permutatio rei spiritualis cum altera spi-
rituali, habente annexum temporale, Simoniaca est;
idque propter periculum, atque suspicionem, ne id
fiat intuitu rei temporalis, adeoque per rem tempo-
ralem comparetur jus spirituale.

52 Permutatio beneficii cum portione, aut pensione
præstimoniali in titulum beneficii erecta, cum aucto-
ritate Ordinarii, non est Simoniaca: Quia tale præsti-
monium vere beneficium est.

NB. Episcopus approbare potest permutationem be-
neficii cum pensione Clericali, quæ non est benefi-
cium, non quidem ordinarie, sed in causa speciali
alicujus necessitatis. V. C. Si Clericus, qui ob se-
nium, aut infirmitatem beneficio præesse non potest,
pure illud resignet in manus Episcopi, petens sibi
suppeditari sustentationem, nihil obstat, quin Episco-
pus tale beneficium pensionario alicui conferre possit,
ejusque pensionem, si jam vacare incipiat, alteri illi,
qui beneficium resignaverat, tribuere.

53 Expensæ, quæ de jure faciendæ sunt in permu-
tatione beneficiorum, in pactum deduci possunt pro-
pria authoritate, sed non aliæ.

54 In permutatione beneficiorum inæqualitas fru-
ctuum pecunia, vel pensione annua ex pinguiori be-
neficio detracta compensari potest interveniente autho-
ritate Papæ, non item Episcopi, excepto casu ex-
traordinario necessitatis. Est Simonia, propria autho-
ritate, etiam cum authoritate Episcopi, sine necessi-
tate, etiam cum authoritate Episcopi, sine necessi-
tate in permutatione beneficiorum fructuum inæquali-
tatem pecunia ex pinguiore beneficio detracta compen-
sare. Ratio: Quia fructus, sive reditus beneficiales
ita annexi sunt spirituali titulo, ut nemini deberi
possint, nisi ratione spiritualis præstiti officii; conse-
quenter, qui reditus beneficiales emit, ipsum titulum,
seu jus beneficii emere convincitur. Quare necesse est,
reditus a spirituali titulo separari ante commutationem:
Cum autem Episcopus jure ordinario non possit sepa-
rare, etiam non poterit talem permutationem cum ta-
li conditione approbare.

55 Transactio differt a compositione amicabili.
Transactio enim dicitur, cum in lite dubia aliquid
remittitur, altero retento, aut vicissim perito: Ami-
cabilis compositio autem est pactum, seu remissio gra-
tuita.

56 Orta lite beneficiaria, possunt eam partes amica-
biles inter se componere, V. C. si unus sponte, &
gratis suo juri cedat, litemque deserat; etsi nihil ob-
stet, quo minus postea donum ex gratitudine sibi obla-
tum accipiat.

NB. Transactio Simoniaca est, in qua ex una par-
te beneficium Ecclesiasticum, ex altera vero parte res
temporalis datur. Ratio: Quia transactio est recipro-
cus contractus, & species quædam commutationis: Spi-
ritualia autem cum temporalibus commutari non pos-
sunt sine vitio Simoniæ.

57 Transactio in aliis rebus spiritualibus præter be-
neficia fieri potest inter partes sine interventu rei tem-
poralis. V. C. Si controversia orta sit inter Præla-
tos de jurisdictione spirituali, transactionem facere
possunt, dividendo loca, vel actus jurisdictionis;
Nam transactio est species quædam permutationis.
spirituale autem cum spirituali permutari non prohi-
betur. Materialia ornamentorum secundum se per-
mutari possunt sine ordine ad rem sacram ipsis an-
nexam.

58 Omnis pactio in Ecclesiasticis beneficiis, quæ
propria authoritate fit, tanquam Simoniaca damnatur
Jure Ecclesiastico, propter periculum, & suspicionem
intentionis Simoniacæ.

59 Episcopus, & Judex delegatus partis litiganti per
modum transactionis adjudicare possunt pensionem an-
nuam in compensationem expensarum, vel ad vitæ ne-
cessariam sustentationem, & in bonum pacis, ac con-
cordiæ, quæ ipsi etiam transigenti utilis est, adeoque
pretio æstimabilis.

60 Jus Patronatus videtur esse materia Simoniæ,
spectato Jure divino, quia est secundum se quid spi-
rituale; *Quia nihil repugnat*, inquit Navarr. *ut
unum, & idem sit spirituale, & annexum spiritua-
li*. Nam sic vasa, & vestes consecratæ spiritualia
sunt principaliter propter habitudinem ad Sacrificium,
& Sacramenta, ad quæ antecedenter ordinantur, si-
cut jus Patronatus ad beneficium Ecclesiasticum; &
tamen ipsæ etiam sacræ vestes, & vasa secundum se
spiritualia censentur propter Ecclesiæ institutionem,
& consecrationem, & qua talia vendi, aut pretio æsti-
mari non possunt sine vitio Simoniæ adversus Jus di-
vinum supposita Ecclesiæ illa institutione. Quare si-
mili modo, si jus Patronatus, Ecclesiastica potesta-
te institutum, secundum se vendatur, aut fundus,
cui tale jus annexum est, illius ratione pluris æsti-
metur, committitur Simonia adversus Jus naturale,
& divinum: Quia venditur id, quod per se, ac in-
trinsece spirituale est, sive consideretur ratione prin-
cipii, a quo promanat, quæ est Ecclesiastica potestas,
per quam etiam beneficia instituta sunt, sive ratione
proprii actus, qui est præsentatio ad beneficium spi-
rituale, per quam ipsi præsentato potentia, sive jus
saltem passivum acquiritur, ut ipse ad beneficium in-
stitui possit, atque etiam debeat, si idoneus sit.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum omne temporale, quod detur ratione Beneficii obti-
nendi, immune esse non possit a fœdissima Simoniæ labe, inde
est, in Collationibus Beneficiorum neque licitum esse aliquid
dare pro expeditione litterarum Collationis Beneficii, pro Bullæ
registratione, aut subscriptione, vel appositione Sigilli, cum
quod datur, semper daretur ut pretium pro assequendo Benefi-
cio, secus si detur pro salario Notarii &c. Imo Simonia est et-
iamsi solum promittatur aliquid temporale pro Beneficio confe-
rendo, ut patet *ex cap. cum essent de Sim.*

Idem dicas, si fiat sponsio cum Collatore decem e. g. aureo-
rum, non collaturum Beneficium sibi, vel suo Amico &c. sive
etiam fiat cum aliquo valde familiari Collatori; in his enim
casibus sub prætextu sponsionis idem est ac dare temporale Col-
latori, sive Mediatori pro Beneficio obtinendo, quod non est
absque Simonia, ut *ex textu in Extra.* 2. *de Sim.*

II. Cum paretur via ad Beneficium obtinendum, etiamsi tem-
porale non detur Collatori, sed ipsius Familiari, sequitur, ne-
que posse absque Simonia pecuniam dari Mediatori, ut procu-
ret Beneficium; semper enim verificaretur, mediante re tempo-
rali, rem spiritualem acquiri, unde ita habet *Can. præsentium*
1. *q.* 5., *& can. statuimus* 2. *q.* 1. Idem dicas, si pecunia, si-
ve alia res temporalis detur Intercessori mediato, v. g. famulo
alicujus Ministri ipsius Collatoris, ad hoc, ut intercedat apud
illum Ministrum, & iste apud Collatorem. Et ratio semper est
eadem, quia, etiam in hoc casu pretio paratur via ad Benefi-
cium, sive datur pretium pro Beneficio.

III. Cum diximus absque Simoniæ labe vendi fructus pensio-
nis, quia in tali venditione non transfertur jus, & titulus pen-
sionis, sed solum conceditur Emptori, ut nomine Pensiona-
rii illos exigat: cum, inquam, licita sit talis venditio, pot-
erit Beneficiarius anticipata solutione emere omnes fructus du-
rante vita Pensionarii. Hic interim retinet titulum pensionis,
adeoque habet obligationem recitandi Officium; & si præmoria-
tur Beneficiarius, successor in Beneficio tenebitur solvere pensio-
nem, si ipsum Beneficium authoritate S. Pontificis pensione fuit
oneratum, quia tunc Beneficium transit cum onere pensionis,
quæ non fuit extincta, nec redempta. Prædictis non obstat haud
posse Beneficiarium vendere ad totam suam vitam fructus Bene-
ficii, ut *ex Extra. Ambitiosæ de rebus Ecclesiasticis non alien.*
nam ideo Beneficiario solummodo conceditur locatio fructuum
ad triennium, quia diuturnior locatio habet speciem alienatio-
nis bonorum ipsius Beneficii, quod non intervenit in venditione
fructuum pensionis ad totam vitam; nam pensio non habet bo-
na immobilia, sed consistit in determinata portione fructuum
Beneficii.

IV. Quia

IV. Quia licitum est dare pecuniam ei, qui tantum potest obesse, dum injustum apponit impedimentum pro Beneficio acquirendo, sequitur licitum esse dare pecuniam volenti injuste aliquem infamare, ne illi Collator det Beneficium, sive volenti illum detinere domi, ne se opponere possit, sive concurrere ad Beneficium; sive etiam volenti injuste corrumpere Electores. Nunquam tamen licitum erit dare pecuniam illi, qui etiam injuste negaret suffragium, electionem, institutionem, confirmationem &c. nam tunc, ut constat ex supradictis, idem esset ac emere Beneficium, seu viam ad Beneficium parare.

Cætera, quæ in praxi observanda sunt pro vitanda Simonia in Beneficiis, satis constant ex dictis suo loco.

§ VI.

Quotuplex sit Simonia?

61 SImonia alia est, quæ Juri naturali ac divino repugnat. Alia, quæ ex natura rei Simonia non est, sed ex Ecclesiastica tantum consuetudine, quæ iterum duplex est: Una, quæ versatur circa materiam, quæ neque in se, neque proxima habitudine, aut intrinseca dependentia, sed solum remote, vel accidentaliter rei spirituali annexa est: Cujusmodi annexio, & habitudo non sufficeret ad Simoniam, spectata rei natura, nisi Ecclesiastica constitutio accederet. Hac ratione solo Ecclesiastico Jure prohibitum est, ne pro sacro oleo, vel Chrismate aliquid exigatur, quamvis alioquin, spectata rei natura, Simonia non sit, materiam rei spiritualis pretio secundum se æstimabilem vendere.

NB. Venditio sacrorum vasorum, & juris Patronatus divino Juri adversatur; item venditio redituum Ecclesiasticorum beneficiorum.

62 Officia quædam Ecclesiæ, quamvis circa res temporales, V. C. Archidiaconi, Custodis, Primicerii, seu Magistri Chori, Ecclesiastico Jure vendi prohibentur propter servandum Ecclesiæ decorem, & incommoda vitanda, quæ sequerentur: Si tamen talia officia etiam in laicum cedere possunt, juxta aliquos Simonia non est. Alii dicunt, quod possint vendi functiones talium officiorum, utpote mere temporales pro pretio; & hoc certum est.

63 Officia secularis potestatis vendere per se quidem injustum non est; sed non est consultum, quia Reipublicæ perniciosum: Quia hac ratione inepti homines ad publica munera assumuntur.

64 Papa potest Simoniam incurrere contra Jus naturale, ac divinum, utpote perinde ac alii naturalibus, ac divinis legibus obligatus: Sed non potest judicari ab hominibus propter Simoniam, nec pœnas, seu censuras incurrit: Quia *ipse a nemine judicandus est, nisi deprehendatur a Fide devius*. c. Papa d. 40.

65 Officiales in Curia Romana non minus, quam aliorum Prælatorum ministri, Simoniam committere possunt, si pro data, aut promissa pecunia aliquid spirituale impetrent. Ratio: Quia, si intercessori, vel laudatori pretium detur propter beneficium impetrandum, emitur quodammodo, & æstimatur ipsum beneficium, & intercessor movet collatorem, moraliter causans collationem: Si tamen aliquid detur Officiali pro præbendo aditu, vel pro labore accidentaliter conjuncto, sæpius eundi, & redeundi ad collatorem, non erit Simonia, idque si per modum stipendii accipiatur.

66 Simonia, solo Ecclesiastico Jure introducta, est peccatum irreligiositatis, ac sacrilegii, sed non proprie peccatum Simoniæ: Quia non reperitur ibi reciproca, & onerosa commutatio, licet esse possit pactio irreligiosa, & sacrilega propter Ecclesiasticæ legis prohibitionem.

67 Simonia alia est mentalis, ex sola intentione & affectione, V. C. si aliquis rem spiritualem alicui conferat, quasi eam ex justitia debeat pro obsequio V. C. temporali ipsi exhibito, licet nulla nec expressa, nec tacita pactio antecesserit. Et vice versa, si aliquis rem temporalem alicui conferat, quasi ex obligatione justitiæ eam debeat pro re spirituali sibi ab altero collata, nulla prorsus antecedente pactione. Alia est conventionalis Simonia, quæ in pactionem mutuam expressam, vel tacitam transit, sed reali traditione, seu executione nondum consummata est. Alia est Simonia conventionalis mixta, cum vel traditio rei temporalis, sive pretii tantum facta est, nondum tradita re spirituali, vel vice versa traditio rei spiritualis facta est, nondum tradito pretio temporali.

NB. Qui ficte promittit dare rem temporalem pro spirituali sine animo se obligandi, is non committit Simoniam conventionalem: Quia non est conventio sine consensu in obligationem. Alter vero, qui ita deceptus dat rem spiritualem pro promissa temporali, Simonia solum mentali delinquit, propter quam nulla pœna incurritur, quia non satis proditur, ut de illa judicari possit.

§. VII.

De Pœnis Simoniæ.

68 PŒnæ Simoniacis decretæ intelligendæ sunt, si Simonia ex utraque parte per traditionem completa sit. Ratio est: Quia pœnæ tam graves strictæ interpretationis esse debent, ut, cum decernuntur propter aliquem actum peccaminosum, intelligantur de actu omnino completo.

69 Nulla Simonia juris pœnam ipso facto inducit, nisi ea, quæ est in Religionis ingressu, Ordine, ac beneficio Ecclesiastico.

70 Raro propter datum aliquid in ingressu Religionis, etiam virorum, Simoniæ vitium incurritur, & non nisi secuta Professione, idque propter diuturnam consuetudinem, talem exactionem cohonestantem.

NB. Cum Canones collationes beneficiorum Simoniace factas irritas esse decernunt, stricte interpretandi sunt, ut non comprehendant monachatum.

71 Propter Simoniacam collationem, & susceptionem Ordinum, etiam primæ tonsuræ; incurrunt excommunicationis, & suspensionis censuras, Papæ reservatas.

72 Propter Simoniam realem, & completam in beneficio Ecclesiastico contrahitur excommunicatio Papæ reservata, & electio, præsentatio, confirmatio irrita est, nihil obstante, quod electus, provisus, &c. id ignoraverit; excepto, si in fraudem pecunia data fuerit, vel si ille expresse contradixerit.

73 Simoniace electus, aut provisus inhabilis efficitur, quo minus per dispensationem Episcopi idem beneficium consequi possit.

74 Beneficium Simoniace obtinens aliis beneficiis ipso jure non privatur, neque inhabilis fieri videtur ad alia obtinenda ante Judicis sententiam.

§. VIII.

De Simonia Confidentiæ.

75 SImoniæ confidentialis quatuor sunt modi. Primus dicitur *Accessus*, habetque locum in eo, qui ad beneficii Ecclesiastici provisionem concurrit eligendo, præsentando, aut confirmando, si id agat cum certa confidentia, videlicet pactione aliqua interveniente, ut beneficium postea ipsimet, vel alteri V. C. nepoti ipsius resignetur. Secundus dicitur *Regressus*, habetque locum in eo, qui renuntiat beneficio in favorem alterius, cum certa confidentia, quod postea tempore conveniente ad ipsum renuntiantem, vel aliam personam, V. C. consanguineum ejus idem beneficium regressurum sit. Tertius modus est *Ingressus*, si aliquis beneficium sibi collatum, sed nondum possessum, alteri renuntiet, ea confidentia, seu pacto, ut postea ejus possessionem iterum ingrediatur, si is, cui resignaverat, mortuus fuerit, vel Episcopus V. C. factus. Quartus modus locum habere potest tam in renuntiante beneficium, quam in conferente, si illud alicui obvenire faciant cum pacto, ut ex eo pensio, seu pars redituum ipsi renuntianti, aut conferenti, vel alteri personæ pendatur.

76 Simoniæ confidentiali plures pœnæ Canonicæ decretæ sunt: I. Episcopi, & alii Prælati superiores interdictum ab ingressu Ecclesiæ, inferiores autem pœnam excommunicationis Sedi Apostolicæ reservatæ incurrunt.

77 II. Resignatio, vel collatio beneficii, in quo talis Simonia committitur, irrita est; & provisus inhabilis fit ad idem beneficium postea obtinendum. Monet tamen Sa, quod *renuntians Simoniace puniri quidem potest, & privari beneficio, non tamen perdit ipso jure, quia renuntiatio nulla est.*

III. Inducitur privatio omnium beneficiorum, ac pensionum prius obtentarum; non tamen in con-

scien-

ſcientia per ipſum Reum exequenda ante Judicis ſententiam.

78 Mediator Simoniacus non incurrit cenſuram, niſi Simonia ab utraque parte tam accipientis, quam dantis completa ſit.

§. IX.

De reſtituendi obligatione propter Simoniace accepta.

79 QUi Simoniace vendit, ac tradit rem ſpiritualem, in qua nullum temporale jus, vel commodum habet, acceptum pretium reſtituere debet danti. Ratio: Quia accipiens temporale pretium pro re ſpirituali alteri communicata, lædit juſtitiam commutativam; nam Eccleſiæ Miniſtri non ſunt domini ſpiritualium chariſmatum, & res ſpirituales pretio æſtimabiles non ſunt: Ergo debet Parti læſæ reſtitutionem facere.

80 Sicut in uſura non eſt titulus transferendi dominium, ita nec in Simoniaca pactione.

81 Regula illa, *Si turpitudo ſit tam ex parte dantis, quam accipientis, reſtitutio Eccleſiæ, vel pauperibus fieri debet*, ad forum externum, non internum conſcientiæ ſpectat: Ratio: Quia nulla lex Eccleſiaſtica afferri poteſt, quæ ante omnem Judicis ſententiam in conſcientia obliget, ut acceptum Simoniace ad pios uſus convertatur; quamvis hoc ipſum a Judice in pœnam delicti juſtiſſime decernatur.

NB. Qui Simoniace aliquid temporale tanquam pretium ſpiritualitatis pro adminiſtratione Sacramentorum accipit, tenetur ad reſtitutionem, niſi ipſi alter condonet. Dico: *Tanquam pretium ſpiritualitatis*. Quia, ſi aliquid accipiat tanquam ſtipendium vitæ, non tenetur ad reſtitutionem, niſi poſt Judicis condemnationem, ſi aliquid acceptum fuit, in caſu, quo id lex Eccleſiaſtica prohibet. Imo etiam, ſpectato Jure naturali, Miniſter, qui ratione officii, ac decimarum ex juſtitia obligatus eſt, ſacra miniſteria fidelibus præſtare, ſi præterea aliquid indebite exigat, eiſdem reſtituere tenetur.

82 Qui Simoniace vendit rem ſpiritualem, in qua aliquod temporale jus, ſive commodum habet, is pretium, ſpectato Jure naturali, retinere poteſt ante condemnationem. Ratio: Quia, licet venditio ejuſmodi rei ſpiritualis, habentis annexum commodum temporale, Simoniaca ſit, tamen non eſt injuſta, ſi temporalis commoditas, quæ in alterius gratiam dimittitur, juſto pretio compenſetur; V. C. ſi quis Eccleſiaſticum beneficium alteri Simoniace vendat.

83 Qui jus Patronatus Simoniace vendit, non obligatur ad reſtitutionem rei acceptæ. Nam licet jus Patronatus ſimpliciter ſpirituale ſit, ejuſque proinde venditio Simoniaca; non tamen injuſta eſt, ſi attendatur ad temporalem commoditatem, V. C. honorem, qui ſecundum ſe pretio quodammodo æſtimari poteſt, quamvis irreligioſe, eo quod in jure ſpirituali fundatus ſit.

84 Doctores conſentiunt in hoc, quod, qui pretium accepit pro renuntiatione beneficii, ante omnem Judicis ſententiam reſtituere teneatur, idque lege Eccleſiaſtica ſtatuente, ut beneficia gratis dentur, ſuppoſita tamen lege naturali. Et ſatisfacit Simoniacus, ſi danti reſtituat: Quia nulla lex Eccleſiaſtica afferri poteſt, quæ diſerte præcipiat, Eccleſiæ reſtituendum eſſe ante ſententiam. Quod ſi vero is, cui reſtitutio fieri deberet, libere remittat, ceſſat omnis obligatio reſtituendi.

85 Utrum reſtituto pretio Simoniace dato etiam res ſpiritualis viciſſim reddi debeat, varia conſideratio eſt. Nam ſi reciproca traditio, ſive commutatio Simoniaca tantum fuit, non item injuſta, tunc, ſicut pretium retineri poteſt uſque ad Judicis condemnationem, ita & res, quæ pro pretio data fuit, puta, officium temporale Eccleſiæ, penſio Clericalis, quæ in titulum beneficii erecta non eſt, item jus Patronatus, &c. propterea quod nullum Jus Eccleſiaſticum extet, quo horum venditio Simoniaca etiam irrita decernatur. Deinde ſi pretium Simoniace, atque injuſte acceptum ſit pro re tranſeunte, V. C. Ordinatione, vel alterius Sacramenti collatione, tunc, licet ea valida ſit ſecundum omnes, nihilominus tamen pretium reſtituendum eſt, juxta ea, quæ ſupra dixi Aſſert. 1.

Igitur dicendum nobis reſtat de rebus ſacris permanentibus, injuſte pariter, ac Simoniace datis pro pretio; cujuſmodi ſunt officia, & beneficia Eccleſiaſtica, ſacra vaſa, Reliquiæ, quando in eorum commutatione ipſamet ſpiritualitas æſtimatur. Et quidem de Eccleſiaſticorum beneficiorum renuntiatione, collatione, electione jam ſupra dictum eſt, irritas eſſe, ſi per Simoniam fiant, ideoque beneficia retineri non poſſe, ſed una cum fructibus relinquenda eſſe. Quod vero attinet ad alias res ſacras permanentes, diſtinguendum eſt: Utrum in iis, quod ſpirituale eſt, tanquam principale ſe habeat, an vero tanquam acceſſorium? Ad prius membrum pertinere videntur vaſa, & veſtes ſacratæ, quæ ſi carius vendantur propter ſpiritualem conſecrationem, exceſſus pretii reſtitui quidem debet, ſed contractus validus eſt: Quia utile per inutile non debet vitiari. Ad alterum membrum pertinent Reliquiæ, quæ ſi vendantur ratione ſpiritualitatis, contractus irritus eſt, ideoque reſtituto pretio etiam reſtituendæ videntur Reliquiæ, tanquam datæ ſub conditione acquirendi pretii. Sed hæc ſufficiunt, adeoque finem imponimus huic Libro de materia Religionis, ex animo optantes, ut omnia ad DEI Optimi gloriam cedant. Amen.



LIBER V.

DE SACRAMENTIS, ET SACRIFICIO NOVÆ LEGIS.

TRACTATUS I.

De Sacramentis in communi.

CAPUT PRIMUM.

De notione nominis Sacramenti.

1 Nter varias Sacramenti, a *Sacro* derivati, acceptiones una est valde usitata, & ad propositum nostrum pertinens, nimirum ea, quæ est pro cæremonia hominem sacrante, adeoque pro signo rei sacræ, & occultæ non cujuscunque, sed per quam homo sacratur, & initiatur Deo.

CAPUT II.

De definitione Sacramenti.

1 SAcramentum est *signum visibile invisibilis gratiæ ad populum Dei sanctificandum, divinitus institutum*. Unde hic excluduntur omnia Sacramentalia, uti sunt prima Tonsura, aqua benedicta, & variæ consecrationes; quippe quæ instituta non sunt ad significandam perfectam hominis sanctitatem, seu justitiam.

NB. Sacramenta veteris Testamenti non fuerunt proprie Sacramenta: Quia per se, ac directe ad Dei supremam excellentiam contestandam, non ad homines sanctificandos, instituta fuerunt.

2 Ad rationem Sacramenti pertinet, ut stabilem institutionem, ac usum habeat. Unde linguæ igneæ Jo. 20. & insufflatio Christi in Apostolos, licet signa fuerint gratiæ invisibilis ad hominis sanctificationem, tamen, proprie Sacramenta censeri non debent.

Regula in praxi observanda.

Diligens valde sit Confessarius, ne Pœnitens ignoret ea, quæ pertinent ad Sacramenta. Minoris valde ea æstimabit, si ipsorum nesciat excellentiam, maximamque utilitatem, quæ provenit digne suscipientibus. Ex hac etiam ignorantia potest derivare vel quod non se disponat, ut par est, vel ut minus se disponat; adeoque vel quod nullum, vel minorem fructum ex Sacramentorum participatione percipiat. Quam majus autem esset inconveniens, si ipse Confessarius adeo indoctus esset, ut nesciret sufficienter Pœnitentem instruere de excellentia Sacramentorum, & effectibus, & de convenienti dispositione ad eadem recipienda?

CAPUT III.

De discrimine Sacramentorum.

1 SAcramenta novæ Legis non tantum gratiæ significativa, quemadmodum veteris Testamenti, sed etiam operativa sunt gratiæ, idque ex vi institutionis suæ, in quo a veteribus Sacramentis differunt.

2 Post lapsum hominis institui oportebat Sacramenta, non ante: Quia ante lapsum neque indigebat iis homo, quatenus medicina sunt adversus peccatum, a quo liber fuit; neque quatenus ad animæ majorem perfectionem ordinantur, quandoquidem Deo rite subjectus facili animi motu ipsi uniri potuit, & sic internam perfectionem augere. Post lapsum vero oportebat institui Sacramenta, id est, visibilia signa, quibus homo fidem suam protestaretur in Christum Salvatorem venturum. Talia erant Circumcisio, Agnus Paschalis, consecratio Sacerdotum, & lustrationes quædam ab immunditiis legalibus, atque expiationes a peccatis externis.

3 Pro parvulorum sanctificatione, etiam ante Circumcisionem, aliquod a Deo remedium institutum erat, qualecunque tandem fuerit.

4 Post legem etiam Circumcisionis, credibile est, certam aliquam cæremoniam fuisse pro fœmellis, & masculis ante circumcisionem morituris; his enim omnibus ad delendum peccatum originale remedium aliquod adhiberi oportebat, quod, quale fuerit, licet scriptum non sit, tamen credibile est, fuisse signum externum.

NB. Circumcisio a Deo instituta fuit, principaliter quidem, ut filii Abraham, populus ab eo electus, hac expressiore protestatione in Christum venturum congregaretur, & a reliquis populis discerneretur; secundario vero, ut esset in remedium peccati originalis, præsertim parvulis.

5 Circumcisio non conferebat gratiam sanctificantem ex opere operato, sicut Sacramenta novæ Legis *ex opere operato* (id est, hoc ipso, quod opus secundum Christi institutionem peractum est, absque ulla dependentia ex merito, aut pia dispositione seu conferentis, seu suscipientis; modo tamen is Sacramenti secundum propriam cujusque naturam capax sit, nullumque obicem ponat) gratiam sanctificantem conferunt: Sed Sacramenta veteris Legis nec parvulos, nec adultos ita sanctificabant spiritualiter; quamvis enim in eorum susceptione gratia sanctificans conferri potuerit, tamen in Circumcisione V. C. non conferebatur gratia virtute Circumcisionis, sive ex vi operis, sed ex virtute fidei in Christum Salvatorem, adeoque ut ajunt, *ex opere operantis*, videlicet suscipientis Sacramentum; si adultus esset, qui propriam fidem, & bonæ voluntatis actualem dispositionem, seu contritionem afferre posset; vel alterius, seu ministrantis, seu offerentis, si parvulus esset, qui, cum fidem, & bonam voluntatem propriam non haberet, ejus voluntas secundum benignam Dei acceptationem censebatur pia voluntas ejus, qui curam parvuli suscipiebat, cum Deo in fide Christi offerens.

6 Valde probabile est, quod Sacramenta novæ Legis ad hominis sanctificationem concurrant non ut causæ physicæ, sed tantum morales; quia ex voluntate, & institutione Christi, Deique Patris acceptione sacrorum signorum, seu Sacramentorum exhibitioni infallibiliter annexa est gratia sanctificans per Christi merita conferenda.

Concludo hisce, quod Sacramentum generice sumptum sit sacra, & stabilis cæremonia divinitus instituta ad homines aliquo modo sanctificandos, & spiritualem gratiam significandam. Differentia autem inter vetera, & abolita, ac novæ Legis Sacramenta in eo consistit, quod illa gratiam, seu animæ sanctitatem figurabant, & significabant tantum; hæc autem non tantum significant, sed etiam operantur: Quamobrem sunt signa gratiæ practica, seu operativa.

CAPUT IV.

De Materia, & Forma Sacramentorum novæ Legis.

1 IN Sacramentis novæ Legis non tantum sensibilis materia, sed etiam verborum forma requiritur. Ratio: Nam licet pleræque res sensibiles, tanquam symbola assumi, & institui possint ad aliquid significandum; tamen earum significatio obscura, plerisque incognita, ac proinde imperfecta esse solet, nisi per verba declaretur, ac determinetur.

2 In Sacramentis plerumque duplex materia requiritur, remota, & propinqua. Remota dicitur res illa, quæ in Sacramentum assumitur, seu circa quam actus, aut cæremonia sacra exercetur; ut aqua, oleum. Propinqua dicitur ipse actus, se usus rei illius sensibilis, puta, ablutio, unctio.

NB. Præter materiam etiam verba ad Sacramentum requiruntur. Probatur. Quia Sacramenta novæ Legis claram gratiæ significationem habere debet; hanc autem consequuntur per verba, quippe quæ proprie instituta sunt ad ignota explicanda.

3 Sacramenta illa; quæ in usu, seu actione transeunte consistunt, ex re, & verbis, veluti materia, ac forma essentialiter componuntur. Probatur. Cum Sacramenta ista, Baptismus, Confirmatio &c. esse successivum habeant, ideo eorum partes, ex quibus moraliter con-

aonstitnuntur ; aut componuntur , successionem quoque, seu transitum habere debent : Talia autem sunt sensibilis materiæ applicatio, & verborum formæ prolatio. Tanta autem debet esse conjunctio inter materiam, & formam Sacramenti, V. C. inter aquæ affusionem , & verborum pronuntiationem , ut spectata natura cujusque Sacramenti secundum moralem hominum æstimationem forma verborum habitudinem determinationis retineat ad materiam , seu symbolum subjectum . Porro Sacramenta , quæ in esse permanente consistunt , V. C. Eucharistia , non possunt proprie componi ex materia , & forma verborum : Quia verba successiva , & transeuntia sunt ; nullum autem permanens ex partibus successivis essentialiter constitui potest.

4 Mutatio materiæ , & formæ Sacramenti alia est substantialis , alia accidentalis . Substantialis mutatio materiæ censeri debet , quando tanta est , ut secundum communem usum , & æstimationem hominum differat ratione , & appellatione a materia , quam Christus præscripsit , & Ecclesia usurpat . Sunt enim Sacramenta signa moralia , ideo in cognoscenda eorum materia potius ad moralem ejus usum , & conceptionem , quam physicam plerisque ignotam formam , sive naturam attendere oportet . V. C. Massa farinacea nondum pista non est materia S. Eucharistiæ ; quia non est panis , & cibus humanus , sive differat a pane forma physica , sive non . Accidentalis autem mutatio materiæ censeri debet , si nihilominus materia eundem moralem usum , & æstimationem retineat , licet aliqua qualitas desit , quæ ex præcepti necessitate requiritur , puta , si aqua turbida sit , panis ater , immundus .

Formæ mutatio vero substantialis censeri debet , per quam alius orationis sensus efficitur . Cum enim verbi essentia , & quasi anima sit sensus , ac significatio , ideo , si verba ponantur aliam significationem habentia , non eadem , sed alia verborum forma judicatur . Accidentalis vero mutatio formæ est . 1. Si verba materialiter tantum mutentur , quia alia eundem sensum habentia usurpantur ; V. C. si pro *baptiza* dicatur *ablua*. 2. Si vox una , vel plures mutentur , aut omittantur , quæ non pertinent ad substantiam formæ ; ut si in forma Baptismi omittatur Pronomen *Ego* , vel in forma Eucharistiæ *Enim* ; Cujusmodi minutorum mutationem , si sine scandalo , & contemptu fiat , veniale ait Coninck ob materiæ levitatem (*a*) . 3. Si Minister ob præcipitationem , aut balbutiem linguæ omittat , vel mutet verborum literas , præsertim extremas ; V. C. *Ego te baptizo in nomine Patri* . Dico : *Postremas literas* . Quia primæ syllabæ mutatio plerumque audientibus alienum sensum affert , formamque vitiat ; V. C. *Ego te baptizo in nomine matris* .

,, (*a*) Licet hæc sit sententia communis Theolo-
,, gorum docentium omissionem illius adverbii *Enim*,
,, non mutare substantialiter formam Sacramenti ;
,, communius tamen censent illius omissionem infer-
,, re mortalem culpam , utpote in re tanti momenti .
,, Modo etiam apud recentiores Theologos invaluit
,, sententia verba consecrationis per se , & seorsim
,, ab antecedentibus non conficere Sacramentum Eu-
,, charistiæ , sed tantum ut sunt conjuncta cum præ-
,, cedentibus in Canone recitatis . Hæc si admitta-
,, tur opinio , vox *enim* erit substantialis , utpo-
,, te quæ hanc connexionem indicat ; unde ejus omis-
,, sio dubium redderet Sacramentum :

NB *Ega te baptizo in nomine Patria , & Filia , & Spiritua Sancta* , valet forma hæc ; quia , quamvis hæc verba ita corrupta nihil significant ex virtute impositionis , accipiuntur tamen ut significantia ex accommodatione usus .

5 Error privatus Ministrorum non obstat valori Sacramenti (V. C. Græcorum baptizantium hac forma : *Baptizetur servus Christi* ; licet errantes arbitrentur , talem ritum verborum , quo persona Ministri non exprimitur , ad Sacramenti necessitatem spectare) modo veram materiam , & formam adhibeant , cum intentione saltem implicite faciendi , quod Christus instituit , vel vera Ecclesia facere intendit . Ratio : Sacramentum semper conficitur , si adsit materia , & forma substantialis , & intentio Ministri saltem confusa ; At vero cum ejusmodi intentione consistere potest error speculativus , eique errori interdum correspondens privata intentio male conferendi Sacramentum , V. C. ministrandi Baptismum per Filium , Patre minorem . Cum enim hæc intentio conditionalis sit , seu ex suppositione existimationis falsæ , quod hæc ipsa sit Christi institutio , ideo superatur ab altera confusa , ac generali intentione , quæ absoluta est faciendi , quod Christus instituit . Quemadmodum si quis quærat , & omnimode habere desideret equum suum , quem amisit , etsi speculatione particulari erret , existimans , non esse equum suum , qui revera suus est , ideoque eum respuat , is tamen absolute loquendo potius hunc ipsum habere cupit : Vult enim habere equum suum ; hic autem , qui offertur , equus suus est : Ergo , absolute loquendo , eum habere vult , licet per accidens , atque ex hypothesi speculativi erroris nolit . Requiritur tamen in hoc casu , ut Minister actuali contraria intentione non excludat veritatem Sacramenti , puta , si Græcus nolit Eucharistiam confici , nisi panis fermentatus sit de necessitate Sacramenti ; tali casu Sacramentum irritum erit , non quidem propter defectum materiæ , & formæ , sed propter defectum intentionis . Quod si Minister errorem suum contra Sacramenti veritatem in forma exprimat , V. C. *Ego te baptizo in nomine Patris majoris* , nullum efficitur Sacramentum ; cum hæc sit substantialis mutatio formæ . NB. Hæc verba : *Ego te baptizo in nomine Patris , per Filium in Spiritu Sancto* , possunt quidem explicari , ut sensum verum habent ; si tamen a Ministro Ariano usurpentur , præsumitur , errorem suum de inæqualitate Personarum inducere , & substantialem formæ sensum corrumpere velle .

NB. Hæc forma : *Ego te baptizo in nomine Patris , & Filii , & Spiritus* , si ab hæretico , existimante , Spiritum Sanctum non esse verum Deum , proferatur in collatione Baptismi , irritum est Sacramentum propter defectum intentionis baptizandi in nomine SS. Trinitatis . Quod si tamen Minister usurpet verba ista secundum veram , & Christi institutioni conformem significationem , cum generali intentione , valide confertur Sacramentum , cum verba ista verum sensum habere possint .

6 Si Minister existimet , esse puerum , cum sit puella , vel esse Titium , quem ordinat , cum sit Cajus , validum est Sacramentum . Nam hæc ordinaria , & usitata est , ac esse debet Ministri intentio , ut baptizetur , ordinetur , confirmetur subjectum , aut materia , quæ capax , & præsens est , dum super ea verborum forma profertur : Quam proinde intentionem unusquisque habere censetur , nisi eam expresse excludat .

NB. Episcopus sacrilegium committit , si ante Ordinationem dicat , se nolle excommunicatos ordinare : Quia Episcopus semper censetur habere practicam , & absolutam intentionem ordinandi hominem præsentem , & non conditionatam ; *Nisi excommunicatus sis , &c.* cum appositio talis conditionis conformis non sit Ecclesiasticæ consuetudini .

Regula in praxi observanda .

Solent quidam scrupulosiores Sacerdotes , maxime in proferenda forma consecrationis , vel etiam absolutionis post aliqua verba prolata , iterum ab initio integre proferre ipsam formam . Postquam ex. gr. dixerunt *Hoc est* , aliquantulum subsistunt ad renovandam intentionem ; ac deinde iterum dicunt : *Hoc est corpus meum* . Id utique non est invalide conficere Sacramentum , cum re vera integram formam pronuncient , sed redarguendi sunt , quia imprudenter repetunt aliqua verba consecrationis . Idem dicendum de illis , qui postquam ex. gr. dixerunt . *Hoc est corpus me* , iterum statim repetunt integre *meum* . Concedo illam primam syllabam in tam brevi tempore repetitam non distrahere verum sensum formæ , at hæc omnia , quoad fieri potest , removenda sunt in proferendis formis Sacramentorum , nam certe Christus Dominus non ita instituit , ut eo modo pronuncientur .

CAPUT V.

De causa efficiente Sacramentorum novæ Legis .

1 SOlus Deus primarius author , & institutor est Sacramentorum : Quippe cum ille dicatur author Sacramentorum , qui eis virtutem confert , quæ est sanctificatio hominis ; solus autem Deus principaliter est author gratiæ sanctificantis ; Christus autem qua homo duobus modis eorum author , & institutor dici potest , nimirum quia eam nobis institutionem ex condigno promeruit , & quia cum potestate excellentiæ promulgavit , juxta illud Matth. ult. *Data est mihi omnis potestas in cælo , & in terra : euntes ergo docete omnes gentes , baptizantes eos in nomine Patris , & Filii , & Spiritus Sancti* .

2 Potestas instituendi Sacramenta authoritative , & ut causa primaria effectus eorum nulli puro homini communi-

municari potest; ministerialiter tamen, quamvis non tam excellenter, uti Christo competebat, utpote Capiti Ecclesiæ, ita, ut talis potestas ratione unionis hypostaticæ Ipsi debita, & quodammodo connaturalis sit: Hominibus autem si conferretur, solum esset participata, sicut alia omnis potestas spiritualis Ecclesiæ collata ministerialis est, & subordinata potestati Christi, cujus alii Ministri, alii Vicarii sunt.

3 Omnia novæ Legis Sacramenta a Christo immediate instituta fuerunt. Ratio: Quia oportebat Christum, antequam ex hoc mundo ad Patrem migraret, perficere illud, cujus causa venerat, videlicet ut homines a peccati jugo redimeret, Ecclesiamque fundaret novo condito Testamento: atqui pars præcipua novi Testamenti sunt Sacrificium, & septem Sacramenta: Ergo oportebat ea a Christo ipso in terris existente institui.

4 Solus Deus, ut causa simpliciter principalis, interiores effectus Sacramentorum operatur; sed Christus homo, ut causa principalis meritoria. Ubi nota. Licet causa meritoria gratiæ in suo genere principaliter reperiatur in Christo homine, simpliciter tamen dependens est a Deo; quia meritum habet ordinem ad authorem gratiæ principaliorem, qui est Deus. Quare, licet Christus, ut homo, dici possit author gratiæ in genere causæ meritoriæ; tamen in genere causæ simpliciter efficientis solus Deus est author gratiæ.

5 Humanitas Christi operatur interiores Sacramentorum effectus, tanquam instrumentum conjunctum divinitati: Alii autem Ministri secundum Christi institutionem, & imperium solum exhibent exterius ministerium, & applicationem symbolorum, quæ ex Christi meritis gratiæ sanctificantis virtutem in se continent.

6 Fides, aut probitas Ministri non requiritur ad valorem Sacramenti. Probatur ex institutione Christi, quam per traditionem accepimus, quod Sacramenta conficiantur, & operentur virtute divina ex Christi meritis.

7 Mortaliter peccat Minister, si in statu peccati mortalis ministret Sacramentum, ad cujus ministrationem ordinatus est. Ratio sumitur partim ex dignitate Sacramenti, quod in statu peccati mortalis conficere, vel ministrare, velut sordidum Christi instrumentum, non vacat irreverentia; partim ex sanctitate, & dignitate officii sacerdotalis: Nam Sacerdos eo fine accipit gratiam Ordinationis, ut Sacramenta fidelibus sancte ministret. Igitur ratione status, ac Ordinis sui, adeoque ex proprio officio ipsi incumbit, ut tale ministerium digne, & decenter obeat.

8 Idem quoque dicendum est de Sacerdote baptizante non solemniter in casu necessitatis; & de Diacono, si ex commissione Sacerdotis baptizet, vel S. Eucharistiam porrigat in statu peccati mortalis.

9 Si laicus, vel alius Clericus præter Sacerdotem in casu necessitatis baptizet cum conscientia peccati mortalis, peccat venialiter. Cum enim tales non ex vi status, & Ordinationis suæ, sed solum per accidens propter casum necessitatis Sacramentum ministrent, non incumbit illis tam magna obligatio ministrandi in statu gratiæ. Quod ad contrahentes matrimonium in statu peccati mortalis attinet, non peccant illi mortaliter, tanquam ministrantes Sacramentum (cum non sint Ministri ad hoc consecrati) sed solum tanquam suscipientes.

10 Probabile est, Diaconum non peccare mortaliter, si in statu mortalis in Missæ officio ministret, nisi id frequenter, seu per consuetudinem fiat, idque propter irreverentiam, quæ per consuetudinem magis, ac magis aggravatur.

Concionator non peccat mortaliter, si in statu mortalis sine scandalo prædicet: Quia prædicare non est actus Ordinis.

NB. Quod si Sacerdos, Sacramentum aliquod ministraturus, mortalis peccati sibi conscius sit, alterum horum Ipsi agendum incumbit, videlicet ut vel præmissa Confessione Sacramentalem absolutionem accipiat, vel per internum contritionis actum cum proposito postea suo tempore confitendi se in Dei gratiam restituat.

11 Intentio (quæ est voluntas operandi quippiam) alia est *actualis*, alia *virtualis*, & alia *habitualis*, seu interpretativa. Intentio, sive voluntas *actualis* in eo Ministro est, qui cum rationis discretione attendit ad id, quod libere agit. *Virtualis* est in eo Ministro, qui nunc quidem non attendit, agit tamen ex antecedente rationali attentione, ac proposito, atque in ea dispositione est, ut jam quoque attendere posset, nisi animus ad alia distractus esset. *Habitualis* denique, seu interpretativa est in eo, qui neque actualiter, nec virtualiter ex proposito rationali agit, ideoque materialiter tantum symbola sacramentalia applicat, non ut sacra sunt; puta, si quis in somno, vel ebrietate baptizet hominem: Et talis nihil efficit. Ratio: Quia actio ministrantis Sacramentum debet esse moralis, & proprie humana, ac rationalis; talis autem esse non potest actio ebrii, aut dormientis, cum non sit in tali dispositione, ut actus suos cum libertate exercere queat. Actualis, sicut & virtualis intentio, vel est explicita secundum specificam rationem, videlicet, *Volo baptizare*. Vel est implicita secundum confusam, & generalem rationem, nimirum *Volo baptizando facere, quod in Ecclesia Christi fieri solet*.

12 Ad necessitatem Sacramenti requiritur formalis intentio Ministri, saltem implicita, si videlicet facere velit, quod vera Ecclesia solet, aut quod Christus instituit, aut quod Sacerdotes Christianorum facere consueverunt, etsi determinate nesciat, aut non credat, esse Sacramentum. Ratio peti debet ex institutione Christi, quam per traditionem, & S. Scripturam didicimus, quod Ministri a Deo constituti sint, ut scientes, & volentes, ideoque rationali modo Sacra Mysteria fidelibus dispensent, juxta Apost. 1. Cor. 4. *Sic nos existimet homo, ut Ministros Christi, & dispensatores mysteriorum Dei*. Hoc autem fit, si intendant V. C. ablutionem, vel unctionem cum adjecta verborum forma homini adhibere non materialiter tantum, sed formaliter, uti sunt sacra signa, saltem secundum generalem, & implicitam intentionem.

NB. 1. Etsi Minister hæreticus baptizans, aut contrahens nolit efficere Sacramentum; si tamen hæc intentio proveniat ex privato errore speculativo, quo veluti conditione nititur, prævalet intentio ejus generalis faciendi, quod Christus instituit.

NB. 2. Etsi deceat, habere Ministrum intentionem actualem propter dignitatem Sacramentorum, tamen sufficit virtualis. Puta, si aliquis cum proposito sacrificandi, vel baptizandi venit in Ecclesiam, atque idcirco vestes sacras induit, Altare, vel baptisterium accessit, licet tunc, & in ipsa materiæ applicatione distractus sit, perficitur tamen Sacramentum. Probatur: Quia Christus non majorem attentionem, intentionemque requisivit ad Sacramentorum administrationem, quam ad alia humana negotia requiri solet. At vero virtualis intentio sufficit, ut actio aliqua censeatur humano modo, ac rationali fieri, quando imperata fuit ex libero actu voluntatis, ejusque impetu, ac motionis vi adhuc perdurat: Quæ enim ex tali proposito postea agimus, licet propter humanam imbecillitatem ad alia distracti simus, tamen libere, & humano modo agere censemur.

13 Ad Sacramenti valorem necessaria est intentio absoluta, ideoque nihil efficitur, (a) si V. C. Minister baptizet sub conditione in futurum, V. C. *Si pater tuus consenserit, &c.* Ratio est: Quia sacra symbola debent a Ministri intentione explicita, vel implicita secundum Christi institutionem determinari, ut sint practica, & efficacia: Talia autem non sunt, si eorum vis, & efficacia suspendatur a futuro contingente effectu.

„ (a) Hodie tamen invaluit apud plures Theo-
„ logos opinio tenens intentionem ministri internam
„ non requiri necessario ad valorem baptismi; adeo-
„ que si exterius efficiat id, quod efficit Ecclesia,
„ idest si baptizet cum debita forma, & materia,
„ & exterius appareat rem serio agi, hoc sufficere
„ volunt ad hoc, ut baptismus collatus censeatur.
„ Monendi tamen sunt lectores, in praxi non esse
„ hac sententia utendum pro periculo nullitatis Sacra-
„ menti; nam hæc sententia nihil minus est quam
„ certa.

Corollarium. Si quis ministret Sacramentum sub conditione de præsenti, aut præterito, statim valet, si conditio est; non valet autem, si conditio non est; V. C. *Absolvo te, si capax es: Baptizo te, si non fuisti baptizatus*. Ratio: Quia conditio de præsenti, aut præterito, cum extra causam posita, & non in futurum dependens sit, non suspendit intentionem, sed mox facit transire in absolutam, efficacem; sicuti si dicam: *Volo tibi donatum, si pater tuus vivit*.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Ministri Sacramentorum, si scrupulis laborent, solent non raro inquieteri timentes non habuisse intentionem consecrandi, absolvendi &c. Curet igitur Confessarius omnino ab his scrupulis suum pœnitentem liberare; nam in praxi difficillimum est non adesse intentionem saltem virtualem, quæ ex actuali præcedenti remanserit. Quis igitur credere potest, non dari intentionem actualem saltem implicitam consecrandi, dum quis accedit ad ecclesiam animo celebrandi Missam, induit S. Vestes, &c.? Idem dicendum de eo, qui accedit ad fontem Baptismi, animo baptizandi, ad Confessionarium animo confessiones excipiendi &c. Ex hac autem actuali præcedenti intentione remanet virtualis, sufficientissima ad Sacramenta conficienda, quamvis actualem habere, dum actu conficiuntur Sacramenta, melius esset. Ideo sæpe præfati scrupuli in Ministris oriuntur, quia quamvis habuerint, vel etiam actu habeant debitam intentionem, dum conficiunt Sacramenta, non reflectunt serio se illam habuisse, vel habere; at hæc reflexio nullatenus est necessaria.

II. Quamvis Minister, qui suo maximo infortunio non est in statu gratiæ, non teneatur confiteri, sed solum elicere perfectam contritionem, dum debet Sacramenta administrare, nihilominus Confessarius illi suadeat præmittere confessionem, dum tempus, & commoditas suppetunt. Ego nunquam tam facile esse illi credidi elicere actum perfectæ contritionis, qui valeat justificare, dum consideravi vitam, maxime Ecclesiasticum, peccatis mortalibus inquinatum, in ordine ad res supernaturales paulatim tepescere, & parum affici erga divinam bonitatem, quæ debet esse motivum contritionis; ita etiam Deo permittente, & denegante validiora auxilia, quia Ecclesiasticorum peccata, tum ratione status, tum ratione scandali sunt horribiliora.

III. Removeat quantum potest Confessarius Ministrum suum pœnitentem a reiterandis sine sufficienti fundamento etiam sub conditione Sacramentis, ut faciunt aliqui, qui putantes non habuisse intentionem absolvendi, iterum absolvunt sub conditione, si nempe pœnitens non fuit absolutus; iterum sub conditione consecrant, si nempe prima vice non consecrarunt. Isti faciunt actionem, quæ ex genere suo est grave peccatum, adeoque ab his, quantum fieri potest, sunt removendi. Cæterum in praxi putarem difficillime accidere hos scrupulosos graviter peccare, quia ita scrupulis perturbantur, ut non credant habere leve fundamentum reiterandi Sacramentum; & ex alia parte putant se peccare, si non reiterent.

IV. Quamvis regula generalis sit non esse administranda Sacramenta publico peccatori, nihilominus in Ministris quoad hoc summa necessaria est prudentia. Primo igitur caveat a judicando aliquem esse publicum peccatorem ex falsis rumoribus, & vulgi suspicione; nam multoties quamplurima falsa ita publicantur. Debet ergo suspicio esse & publica, & tam vehemens, ut inducat moralem certitudinem, alias semper prævalet jus, quod habet ad suam famam, qui petit Sacramenta. Legendus S. *Thom. in 4. d. 9. qu.* 1. *art.* 5. *qu.* 2. Secundo, debet distinguere inter peccatorem publicum, cui non possunt sine scandalo denegari Sacramenta, usque dum publice constet de emendatione, & inter peccatorem, qui licet publice peccaverit, nec adhuc publice constet de emendatione, nihilominus præsumenda est, & aliis scandalum non est illi administrare Sacramenta. Demus e.g. publicum esse peccatum fornicationis commissum ab aliqua puella, nec constet illud confessione expiasse; utique illi petenti non est deneganda Eucharistia, quia omnes præsument suum peccatum confessam esse, & ita cessat omne scandalum. At si petet meretrix, si publicus Usurarius, si Histriones repræsentantes lascivas commœdias, & similes peccatores, quamvis præsumi posset præmisisse Sacramentalem confessionem, nihilominus deneganda est Eucharistia, quia magnum adesset scandalum, si illis administraretur, antequam constaret turpe exercitium reliquisse. Excipiendum est periculum mortis, in quo cessaret omne scandalum, si ad consulendum saluti illorum ipsis Sacramenta administrarentur.

V. Graviter reprehendat Confessarius illos sacros Ministros, qui ita properato celebrant, ac alia Sacramenta ita administrant, ut plurimum deficiant in sacris ritibus, & cæremoniis, cum facillime in hoc graviter peccare possint. Ponat illis sub oculos, quæ habet S. Carolus Act. part. 4. de Sacram. administ. „ Sacramentum aliquod, *ait*, dum ministrat, ut id magna cum „ religione praestet, singula verba, quæ ad illius formam, ratio„ nemque pertineat, omni animi attentione, & pietate distin„ cte pronunciabit, & clara item voce, ut ab illis audiatur, „ quibus ministratur: sacras item precationes sancte graviterque „ dicat. Solemnes præterea alios ritus, cæremoniasque ita ob„ servabit, ut veluti ante oculos ponere videatur eximia illa do„ na, quæ in eo Sacramento continentur. Ita vero demum in „ omni Sacramenti administratione se geret, ut non actione so„ lum tota, sed vultu etiam illos, qui adsunt, incitet ad pie„ tatem, & devotionem. Illudque noscat præterea officii sui es„ se, & hac sancta administrandi ratione, & præterea assiduis „ instationibus, & doctrina, & omni Sacerdotali industria fideles „ sibi commissos tales efficere, quibus digne, utiliterque Sacra„ menta ministrari possint „.

VI. Quidam Ecclesiastici ita scrupulis quandoque vexantur, ut anxii etiam sint de valore sui ordinationis, utpote quia ipsis videtur non habuisse intentionem, dum S. Ordines susceperunt. Moneat eos Confessarius, istos scrupulos futilissimos esse, quandoquidem impossibile est eo ipso quod Ordines susceperint, aliquando non habuisse actualem intentionem eos suscipiendi; ex actuali autem intentione non retractata semper remanet saltem habitualis, quæ sufficientissima est ad Ordines suscipiendos.

VII. Quamvis verum sit illicite peti Sacramenta ab impio Ministro, nihilominus caveat, qui vult ea suscipere, ab indaganda vita S. Ministrorum, hoc etenim ad ipsum non pertinet, sed omnes debet credere bonos, nisi constet contrarium. Neque recedat a petendo Sacramenta a Ministro, maxime si sit paratus, quem scit peccasse; præsumere etenim debet peccatum confessione, vel contritione expiasse, nisi sit in statu habituali peccati, ut dicendum esset de Sacerdote Concubinario, vel palam graves inimicitias profitente; vel si fere immediate antea peccasse sciret, & credi non posset pœnituisse.

VIII. Jus quod quis habet exposcendi Sacramenta a Parocho, quamvis impio, non solum ex magna necessitate consurgit, sed etiam quia nollet quis in statu peccati mortalis permanere, vel diu nollet carere Sacramentis, cum non alter Minister esset, a quo expostulari possunt, ut sæpe posset evenire. Hoc idem puto in tali casu fieri posse, quando expostulanda essent non a Parocho, sed ab alio impio Ministro, sed palam ea ministrare.

CAPUT VI.

De Subjecto Sacramentorum, eorumque effectibus.

1 Aliud est Sacramentum, & aliud res Sacramenti. Quemadmodum enim omnis causa ab effectu distinguitur, & interdum re ipsa separatur; ita & hic fieri potest, ut tota Sacramenti alicujus essentia consistat, attamen effectus ejus, quæ est gratia sanctificans, non conferatur propter impedimentum, seu obicem suscipientis: Nam ad Sacramenti essentiam non pertinet, ut actu gratiam conferat, sed ut sit collativum gratiæ; sicut ad naturam ignis non pertinet calefacere, sed esse calefactivum.

2 Quædam Sacramenta *vivorum* sunt, videlicet per se instituta ad justitiæ augmentum pro justificatis, V. G. Sacramentum Eucharistiæ: Alia sunt *mortuorum*, ad tollenda mortalia, videlicet Baptismus, Pœnitentia.

3 Præter effectum gratiæ sanctificantis in singulis Sacramentis conferuntur specialia auxilia gratiæ actualis.

4 Ad valorem Sacramenti in adultis requiritur suscipiendi propria voluntas, saltem interpretativa. Ratio: Quia per Sacramenta homines initiantur, & consecrantur Deo, ut in ejus Ecclesia, & cultu stabiles perseverent: Ergo valde congruum est, ut proprium consensum afferant, si ejus capaces sint, ut adulti. At vero parvuli, & amentes, cum propriam voluntatem afferre non possint, Sacramenta suscipiunt in fide, & voluntate Ecclesiæ, ac Christi, ne, si Sacramentorum incapaces sint, omnino pereant.

5 Ad consequendam justificationem primam in Sacramentis Baptismi, & Pœnitentiæ necessario requiritur in adultis aliqua pœnitentia, vel, si in mortali peccato non sint, alius pius motus spei, & charitatis in Deum. Ratio peti debet ex institutione divina. Congruum enim est, & decens, ut, qui per peccatum propria voluntate se a Deo avertit, illud detestando aliquo modo ad Deum accedat; alioquin peccati remissionem consequi non possit.

6 Sacramenta æqualem gratiam conferunt omnibus suscipientibus, si æqualiter dispositi sint; secus, si inæqualiter. Nam congruum est, ita Sacramenta a Deo instituta fuisse, ut eorum sanctificandi virtus secundum majorem præparationem, dispositionemque suscipientis uberiorem gratiæ effectum producat.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Dum Pœnitens, non habens conscientiam peccati mortalis, accedere vult ad Eucharistiam recipiendam, non præmissa Confessione, monendus est a Confessario, ut semper præmittat actum doloris supernaturalis; ita enim fiet, ut si forte habeat peccatum mortale ab ipso ignoratum, justificetur, mediante eadem Eucharistia. Multo magis in hoc diligens debet esse Parochus, dum SS. Viaticum Moribundo administrat, sive Extremam Unctionem. Valde proinde negligentes essent illi Parochi, qui antequam ministrarent Extremam Unctionem, non curarent excitare in Moribundo dolorem supernaturalem. Quis scire potest, an justificatus fuerit mediante Confessione, vel Eucharistia? cum maxime multoties gravitas morbi non sinat Moribundum satis se disponere ad digne hæc Sacramenta suscipienda? In tali casu, cum non tam facile sit assequi justificationem per contritionem perfectam, remanet, ut moribundus justificetur, mediante Extrema Unctione, suscepta cum dolore supernaturali peccatorum. Si proinde Parochus solummodo curet de Extrema Unctione administranda, non vero de excitando in suscipiente dolore supernaturali, fortasse Moribundus, qui hoc medio justificari poterat, damnabitur.

II. Diligens etiam sit Confessarius in admonendis Pœnitentibus, ut quo magis fieri potest, se ad Sacramenta recipienda disponant, illos instruendo ea magis sanctificandos, & actualia auxilia recepturos, quo major erit ipsorum dispositio.

CAPUT VII.

De Charactere.

1 Characteris, seu signi spiritualis indelebilis, animæ suscipientis impressi, frequens est mentio apud antiquos Patres, de quo Apostolus 2. Cor. 1. *Qui unxit nos Deus, qui & signavit, & dedit pignus Spiritus in cordibus nostris.* Imprimitur vero character, ut Christo, tanquam Duci, aut Pastori suo, anima deputetur, & consecretur.

Tria

2 Tria sunt Sacramenta, quibus indelebilis character animæ imprimitur, Baptismus, Confirmatio, & Ordo, ideoque repeti non possunt. Nam per Baptismum signatur homo, ut ab infidelibus separetur, atque ad ovile Christi pertineat. Per Confirmationem signatur homo, tanquam miles Christi ad pugnam deputatus. Per Ordinem signatur homo, tanquam deputatus Minister Christi, & dispensator mysteriorum Dei.

3 Character est qualitas spiritualis, homini in quibusdam Sacramentis divinitus indita, partim ut ejus anima ornetur, ac bene disponatur secundum se, partim ut ea homo deputetur ad alia Sacramenta quædam suscipienda, seu tradenda. Secundum priorem considerationem, quatenus character est permanens qualitas inhærens, ac bene afficiens subjectum, pertinet ad primam speciem qualitatis, quæ est habitus, & dispositio: Secundum posteriorem considerationem, quatenus hominem idoneum reddit character ad alia Sacramenta suscipienda, aliisque tradenda, reducitur ad secundam speciem qualitatis, quæ est potentia, & impotentia. Nam inprimis character Baptismi hominem reddit idoneum ad alia Sacramenta valida suscipienda, atque ut matrimonii Sacramentum ministrare possit; character Confirmationis ad constantiam Fidei; character Ordinis ad conficiendum, & fidelibus dispensandum Corpus Christi.

4 Effectus gratiæ in Sacramentis non iterabilibus, si propter suscipientis indispositionem impeditus fuit, remoto obice statim confertur. Ratio est: Cum Sacramenta characterem imprimentia constituant hominem in statu immutabili, sed, dum obex gratiæ durat, imperfecto, & diminuto; quia character est quasi potentia passiva, quæ perfici debet adventu gratiæ sanctificantis, per quam demum jus acquiritur ad gratias actuales homini necessarias; ideo credendum est, Deum misericorditer ita instituisse, ut recedente obice, seu fictione, mox effectus gratiæ Sacramentalis ex opere operato conferatur.

5 Credibile est, etiam post acceptum Sacramentum extremæ Unctionis, Matrimonii, aut Eucharistiæ nondum absumptis speciebus remoto obice gratiam conferri: Quia, licet characterem hæc Sacramenta non imprimant, tamen constituunt hominem aliquamdiu in statu tali, in quo nova Sacramenti susceptione gratiam Sacramentalem consequi non possit. Quare videtur, ita misericorditer a Deo institutum esse, ut moraliter, veluti habitu quodam, perdurent ad eandem gratiam Sacramenti remoto obice conferendam.

CAPUT VIII.

De numero Sacramentorum.

1 SEptem sunt novæ Legis proprie dicta Sacramenta a Christo instituta juxta Tridentinum. Et in hanc doctrinam non solum Latini omnes, sed etiam Græci, & Armeni consentiunt. Unde, cum in hanc doctrinam totus orbis Christianus, Occidens, & Oriens hactenus consenserit, contra eam disputare insolentissimæ insaniæ est, præsertim cum nullum vestigium in antiquitate appareat, quonam tempore unum ex his Sacramentis noviter in Ecclesiam introductum, & institutum fuerit; ideoque eorum origo ad prima tempora, videlicet Christi institutionem, referri debet.

2 Neque refert, quod nusquam in Patribus antiquis expresse legamus, esse septem Sacramenta: Quia non erat ipsis propositum, Sacramentorum numerum colligere, cum neque in dubium revocaretur, sed recensebant Sacramentorum modo plura, modo pauciora, prout eorum instituto serviebat. Deinde frequentissima apud Patres antiquos mentio est eorum præcipue Sacramentorum, quibus homo simpliciter perficiatur, Deoque initiatur, aut consecratur: Qualia sunt Baptismus, Confirmatio, S. Eucharistia, Ordo.

3 Septem Sacramenta congruenter a Christo pro humani generis auxilio instituta sunt. Nam homines considerantur vel ut singuli, vel in ordine ad societatem. Prima consideratione homo, per se loquendo, tribus indiget secundum corpus, ut nascatur, crescat, & nutriatur: Quibus spiritualiter tria Sacramenta respondent, Baptismus, Confirmatio, & Sacra Eucharistia. Ita secundum spiritum homo interdum incurrit infirmitatem, videlicet peccatum: Cujus rei causa duo Sacramenta habemus, videlicet Pœnitentiam, & extremam Unctionem; Pœnitentiam, quæ homini sanitatem refert; Unctionem, quæ etiam reliquias peccati, ipsumque animi languorem aufert. Altera consideratione, videlicet in ordine ad Communitatem, conficitur homo duobus modis. Primo: Si accipiat præeminentiam super alios, & potestatem exercendi actus publicos; quod fit per Sacram Ordinationem. Secundo: Si propagationi humani generis, & piæ liberorum educationi inserviat; quod fit per Matrimonium.

P. Layman P. II.

TRACTATUS II.

DE

Sacramento Baptismi.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, ac definitione Baptismi.

1 BApitsmus (quasi immersio, affusio; unde *tauchen, oder tauffen*) est *Sacramentum regenerationis per aquam in verbo*, juxta illud Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest intrare in regnum Dei. Per aquam*, id est, *per ablutionem aquæ*.

NB. Aqua, & verborum prolatio sunt veluti partes materiales totius Sacramenti; forma autem est sacra significatio.

2 Ad valorem Sacramenti necessario requiritur, ut Minister intentionem habeat saltem implicitam conferendi Sacramentum.

CAPUT II.

Quo tempore Sacramentum Baptismi a Christo institutum sit?

1 BAptismi Sacramentum Christus ante Passionem suam instituit. Probatur, Baptismum Christi discipuli ejus administrabant ante Passionem. Joan. 3. Ergo tunc Christi Baptismus institutus fuerat: Quia usus, & administratio supponit institutionem. Unde legimus, quod plerique, Joannis testimonio, & monitione permoti, derelicto Baptismate Joannis accesserint ad Baptisma Christi.

2 Apostoli ante Passionem Domini Baptismum a Christo acceperunt: Quia verisimile non est, Christum Apostolis dedisse Eucharistiam non baptizatis, cum Baptismus sit introitus ad reliqua Sacramenta. Et Nazianzenus testatur, ipsum Joannem Baptistam a Christo baptizatum fuisse; & similiter B. Virginem a Christo baptizatam, ait Euthymius. Proinde Baptismus Joannis erat solum præparatio ad Sacramentum Baptismi, excitans fidem in Christum, ac pœnitentiam peccatorum.

3 Inter Baptismum Christi, & Joannis discrimen est, quod Joannis Baptismus non erat Sacramentum, sed veluti catechismus, seu dispositio ad Baptismum Christi. Deinde Joannes non baptizavit in nomine SS. Trinitatis. Nec Baptismus Joannis, sicut Christi, conferebat gratiam internam ex opere operato. Baptismus etiam Joannis fuit insufficiens: Unde baptizati a Joanne baptizari postea debebant Christi Baptismate. Actor. 19.

CAPUT III.

De Materia Baptismi.

1 MAteria remota Sacramenti Baptismi est aqua simplex, sive elementaris, juxta Joan. 3. idque tum propter convenientiam symboli internæ spiritualis ablutionis; tum etiam, quia passim, & ubique necessarii elementi copia vix unquam deesse potest ad Sacramentum Baptismatis tam parvulis, quam adultis ad salutem necessarii conferendum. Unde notandum, quod aqua rosacea, saliva, lachrymæ, urina, cervisia, jusculum non sint materia Baptismi; quia aqua simpliciter elementaris, & usualis a Christo instituta est. Lixivium est materia Baptismi, eo quod transiens per cineres nihilominus naturam aquæ retineat. Accidentalis mutatio materiæ Baptismi censeri debet, si nihilominus eundem communem usum, & conceptionem retineat, V. G. aqua calida, pluvia, ex glacie, nive,

nive, vel si allenum liquorem in modica quantitate admixtum habeat; secus, si immodica admixtio fit, ut potius alia substantia censeatur. Materia propinqua hujus Sacramenti est ablutio per aquam, juxta Apost. Ephes. 5. c. *Mundans lavacro aquæ*. Ratio: Materia Sacramenti proxima, & moraliter constitutiva est, quæ per verborum formam, ac significationem determinatur; forma autem verborum, *Ego te baptizo*, significat, & determinat non ipsam aquam secundum se, sed quatenus est in usu, seu ablutione per aquam: Ergo. Glacies non resoluta non est materia valida Baptismi, cum apta non sit ad corpus continuo fluxu abluendum. Nec sufficit, si vestes attingantur, & aspergantur, sed corpus ipsum debet ablui. Nec sufficit gutta, sed tanta quantitas requiritur, ut ejus infusione corpus hominis, vel ejus principalis pars ablui dicatur.

2 Infans in utero baptizari potest, si ejus corpus, aut caput aqua perfundatur adjecta verborum forma.

NB. Si obstetrix tam perita sit, ut manu in uterum inserta prolis corpus aqua perfundere possit adjecta verborum forma, valebit Baptismus. Non autem est licitum, viventem matrem aperire, ut infans baptizetur, nisi mater sit morte digna. Verum tunc etiam majus periculum imminebit infanti. Sed casus hic vix est practicus.

3 Certum est, Baptismum valere, si caput, pectus, vel scapulæ aqua abluantur; cum hæ sint præcipuæ partes corporis. Verum, si alia pars, manus, pes abluatur, dubitatur, utrum Baptismus valeat. Extra necessitatem non est taliter conferendus. In necessitate si conferatur, remoto periculo postea debet sub conditione repeti. Idem sentiendum de infante pelle adhuc secundina circumdato. Neque valet Baptismus, si soli capilli abluantur: Quia non sunt proprie pars corporis.

4 Non pertinet ad substantiam Baptismi, utrum conferatur per aspersionem, seu affusionem aquæ: Quia ablutio instituta a Christo non solum fieri potest immergendo corpus, sed etiam aspergendo, affundendo. Neque immersio una, vel trina ad substantiam Baptismi requiritur, sed cujusque Ecclesiæ consuetudo servanda est, excepto casu necessitatis.

5 Si Minister prolem in puteum conjiciat cum adjecta verborum forma, animo baptizandi pariter, & occidendi, quamvis graviter peccet, tamen Baptismus est validus. Nam sicut infans in aquam immersus, si post prolatam formam e Ministri manibus elabitur, vere baptizatus est; ita etiam, si ex malitia immergatur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quia non sine irreverentia Sacramenti administraretur Baptismus aqua immunda, & non benedicta, ideo animadvertat Parochus quæ habet S. Carolus Act. p. 4. de Bapt. adm. „ Aquam, „ ait, Baptismalem (quoniam puram illam quidem, mundam, „ nitidamque esse ob tanti Sacramenti dignitatem convenit) in „ ipso fonte per totum annum, quoad ejus fieri potest, cum de„ core conservabit. Quam ob causam tum fontem pro Sacramen„ ti majestate ex eo præscripto decenter extructum, ornatum„ que habebit: tum etiam totum ipsius fontis opus, undique ita „ contectum tenebit, ut nec pulvis, nec ullo aliæ sordes intro „ penetrent, quibus aqua corrumpi, aut impura fieri possit. „ Quod si intra annum præ temporis diuturnitate, aliave causa, „ illam corrumpi contigerit, in Sacrarium prope fontem Parochus „ projiciat, statimque & fontem purgabit. Et vero, si in urbe est „ ad Metropolitanam, si in Diœcesi ad plebanam Ecclesiam veniet, „ unde proprio vasculo aquam baptismalem accipiat, in Paro„ chialemque Ecclesiam secreto ferat; ubi quam primum in fon„ tem effundat, baptismalique aquæ allatæ tantum etiam aquæ „ puræ, nitidæ, & recentis addet, quantum satis erit. Hoc „ ipsum quoque præstabit, si etiam aquæ baptismalis per annum „ aliquo modo defecerit.

II. Si in summa Hyeme aqua vi frigoris conglaciet, vel ita sit gelida, ut nocere possit infanti, idem S. Præsul dicit a Parocho miscendum esse aquæ benedictæ quid minus aquæ calidæ, nitidæ, naturalis, ut aqua benedicta liquefiat, & nocere non possit. Cæterum si ministretur Baptismus vasculo argenteo, vel ex alio metallo confecto, posset tale vasculum aqua vel congelata, vel gelida repletum prope ignem admoveri, ut ita sine nocumento baptizetur.

C A P U T IV.

De Forma Baptismi.

1 FOrma Baptismi in Ecclesiis occidentalibus hæc est: *Ego te baptizo in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti, Amen*. Sumitur ex Matth. 28. *Baptizantes eos in nomine Patris, &c.* Ratio institutionis est: Cum Baptismus sit primum Sacramentum, & introitus in Ecclesiam Christi, oportet in ejus susceptione expressam Fidei Christianæ professionem facere per invocationem Dei Unius, & Trini; quippe cum hoc sit primarium objectum Fidei Evangelicæ, nec non causa principaliter efficiens regenerationem spiritualem.

2 Ad substantiam formæ pertinet, ut tum actus baptizandi, tum persona baptizanda, tum unitas trium Personarum in divinis significetur. Primum probatur ex institutione, & praxi Ecclesiæ. Et forma verborum in Sacramento determinare debet materiam, ejusque significationem formare: Quare, cum materia propinqua hujus Sacramenti sit actio Ministri, videlicet ablutio, necesse est, hanc actionem determinari his verbis: *Ego te baptizo*; quod videlicet non fiat corporis refrigerandi gratia, sed ordinetur ad internam animæ ablutionem virtute SS. Trinitatis ministerialiter operandam. In forma illa Græcorum: *Baptizetur servus Christi in nomine Patris &c.* implicite significatur, effectum Sacramenti a SS. Trinitate conferri per eam, quam ipsemet simul exercet, actionem ministerialem, videlicet ablutionem: Sicut si legatus aliquis, aut dispensator ex voluntate domini sui tradendo alteri equum dicat: *Hic equus tibi datur authoritate domini mei*; talibus verbis junctis cum exteriore traditione implicite, seu ipso facto significat traditionem fieri per hoc suum ministerium. Unde valet hæc forma: *Baptizat te Christus in nomine Patri, & Filii, & Spiritus Sancti*. Quia hic est sensus formæ græcanicæ, & ad essentiam formæ non requiritur, ut in ea seu explicite, seu implicite significetur actio, prout a persona Ministri procedit, modo non etiam excludatur; quod fiet, si dicas: *Christus te baptizat, a peccatis absolvit, non ego*. Tali enim forma vitiatur Sacramentum. Nam cum forma Sacramenti sit practica, significare debet, effectum procedere tum a Deo ut causa principali, tum a Ministro ut instrumentali. Secunda pars Assertionis probatur, quod nimirum ad substantiam formæ pertineat, ut persona baptizanda significetur. Quia forma verborum debet determinate significare actum baptizandi, qui est ablutio; consequenter debet significare, & exprimere patiens, seu subjectum, quippe ex quo ipse actus baptizandi, seu ablutio determinationem suam accipit. Deinde ideo debet altera persona baptizandi exprimi, ut appareat distinctio personarum *baptizantis*, & *baptizandi*. & nemo a se ipso baptizari possit, c. debitum de Baptismo. Unde discrimen apparet, quod non ita necessarium sit, ut in forma directe significetur, seu exprimatur persona baptizans, sicut necessarium est, exprimi personam, quæ baptizatur. Ratio est: Quia forma Baptismi exprimere debet materiam propinquam, quæ est ablutio: Ea autem magis determinatur a subjecto, in quo recipitur, quam ab agente, a quo procedit. Unde, si plures simul unam personam baptizant, unus est Baptismus: Si unus plures baptizat, dicens: *Ego vos baptizo*; plura sunt Baptismata.

NB. Non valet Baptismus: *Ego te baptizo in nominibus Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*: Quia debet significari Unitas trium Personarum in divinis.

3 Ad valorem Sacramenti Baptismi non sufficit SS. Trinitatis implicita nominatio, sed requiritur expressa. Prob. ex institutione Christi. Matth. 28. Ratio institutionis est: Quia, cum Baptismus sit Sacramentum Fidei, & introitus in Ecclesiam Christi, debet ejus externa professio correspondere Fidei internæ; atqui ingressurum in Ecclesiam Christi oportet habere explicitam Fidem trium Personarum in divinis: Ergo etiam ejusdem Fidei in Baptismo explicita professio fieri debet.

NB. Illud axioma, *Expliciti, & impliciti eadem virtus est*, nullum locum habet in Sacramentis; quippe quæ ex propria institutione signa exprimentia esse debent.

4 Dubium est, an valeat Baptismus collatus *in nomine Genitoris, Geniti, & Procedentis ab utroque?* Pro affirmativa Sententia est ratio, quod formæ essentia consistat in significatione: Verba autem illa, *Genitor, Genitus &c.* non mutant significationem verborum. Pro negante ratio est, quod credibile sit, Christum pro forma Sacramenti adeo necessarii, in quo & Fidei Christianæ professio fieri debet, instituisse, ac determinasse talia verba, quæ in quavis lingua ad SS. Trinitatis mysterium significandum communiter ab Ecclesia usurpari solent: Talia autem in Romana lingua sunt Pater, Filius, & Spiritus Sanctus. Sed, cum de priori Baptismo non satis constet, Baptismus collatus in tali casu sub conditione est repetendus.

5 Ad essentiam formæ spectat, ut vocabulum, *In nomine*, exprimatur: Quia per illud significatur non tan-

tum

tum virtus; sed etiam invocatio; & professio unius Dei. Quod si illud, *In nomine*, ad quamvis Personam usurpetur, videtur in praxi sub conditione Baptismus iterandus, eo quod non satis videatur exprimi unius Divinitatis essentia. V. C. *Ego te baptizo in nomine Patris, & in nomine Filii, & in nomine Spiritus Sancti.*

6 Accidentales mutationes formæ Baptismi (V. C. Si omittas *Ego*; aut transpositio fiat: *Te ego baptizo*; item, si Persona transponatur; si modica verborum interruptio fiat propter tussim, exspuitionem; aut si superflua addantur: V. C. *Ego Joannes te baptizo in nomine Patris omnipotentis*) administrationem illicitam reddunt, excepto casu necessitatis. Quod si nomen *B. Virginis* addatur tanquam Advocatricis, illicitum id est contra Ecclesiæ consuetudinem, sed valet Baptismus: Irritus tamen est Baptismus, si invocetur nomen *B. Virginis Mariæ*, tanquam allatricis gratiæ.

Regula in praxi observanda.

Diligens sit Parochus in instruendis Obstetricibus de modo administrandi Baptismum; non raro etenim accidit infantes ab eis esse baptizandos propter mortis periculum. Doceat igitur ter esse aquam infundendam, si tempus suppetat; eodem tempore ac aqua infunditur, proferendam esse formam: ab eadem persona, quæ profert formam, infundendam esse aquam. Doceat exactissime, qualis debeat esse forma proferenda, & consultius erit, si illas instruat, ut vulgari idiomate baptizent, nam justa causa suadet, ut ita baptizent, ne errent scilicet in proferenda forma, ac propterea usus invaluit, ut istæ ita baptizent. Videat ne dicant: *Io ti battezzo col nome del Padre &c.* sed *nel nome del Padre*; & si adinveniat baptizasse dicendo *col nome*, ut quandoque accidit, iterandus est Baptismus sub conditione. Doceat quod si infundere debens aquam super aliam partem, quam in capite, Baptismus conferendus est sub conditione. Instruat quomodo sub conditione conferendus est Baptismus infanti existenti in utero Matris, vel filiis abortivis. Si deficiat Parochus in his instructionibus, graviter certe deficiet, ut ex se constat.

CAPUT V.

De Unitate Baptismi.

1 DUplex est unitas Baptismi, specifica, & numerica. De specifica ait Apostolus Ephes. 4. *Unus Dominus, una Fides, unum Baptisma.*

2 Triplex distingui solet Baptismus; fluminis, sanguinis, & flaminis. Sed duo posteriora non sunt Sacramenta; appellantur vero Baptismata propter convenientiam, quam gerunt cum Baptismo aquæ, non in ratione signi Sacramentalis, sed quoad effectum illius, quatenus supplere possunt Sacramentum Baptismatis quoad culpæ remissionem, & spiritualem renovationem. De numerica vero unitate Baptismi, quod nimirum non sit iterabilis, constat ex ratione Apost. Hebr. 6. *Rursum crucifigentes sibi Filium Dei*. Etenim Baptismus repræsentationem continet mortis, sepulturæ, ac Resurrectionis Christi. Quare, sicut Christus semel tantum mortuus est, & resurrexit; ita & nobis semel tantum per Baptismi Sacramentum peccatis mori, & spiritualiter resurgere concessum est; sicut etiam significatur ad Rom. 6.

3 Si dubium rationabile sit de valore collati Baptismi, repeti debet sub conditione; idque locum habet tam in dubio Juris, V. C. si Doctores discrepent, an valeat Baptismus tali modo collatus, quam facti, si absolute incertum sit, utrum fuerit collatus Baptismus, V. C. Exposititiis? Item, si obstetrices suspectæ de veneficiis baptizaverint, consuetudo obtinuit, ut jam ordinarie rebaptizentur baptizati ab obstetricibus: Quia in talibus casibus *non intelligitur iteratum, quod ambigitur esse factum*. Et: *In dubio inclinandum est in favorem animæ, seu tutior pars præferenda (a).*

„ (a) De Baptismo collato expositítiis hæc docet Benedictus XIV. de Synod. Diœces. lib. 7. cap. 6. Testimonium obstetricis, cum sit de facto proprio, admittitur, siquidem illa interrogata materiam, & formam hujus Sacramenti probe noverit. Testimonium incerti, & etiam schedula testans de Baptismo non sufficit, quominus infans iterum Baptismate cum conditione tingendus sit; estque ea in re decretum Sacr. Congregat. Conc. an. 1724. pro hospitali Sancti Spiritus de Urbe datum.

Sufficit unius oculati testis, & minime suspecti affirmatio de collato alicui Baptismo.

4 Facilius sub conditione repetitur Baptismus in infante, quam adulto, eo quod adultus per Fidem, & actum contritionis salvari possit, etiamsi Sacramentum Baptismi non acceperit. Quod si tamen adultus V. C. sit a parentibus veneficis natus, aut a venefico Parocho baptizatus, clausis foribus templi potest baptizari sub conditione, secluso scandalo.

CAPUT VI.

De suscipientibus Baptismum.

1 OMnis homo viator est capax Baptismi subjectum. Est hæc Assertio de fide ex Matth ult. *Euntes docete omnes gentes, baptizantes eos &c.* Probatur: Quia omnes homines ita a Deo creantur, ut capaces esse possint spiritualis salutis, ac vitæ æternæ: Salus autem, & vita hominibus post Evangelii promulgationem ordinarie non contingit sine Baptismo, juxta illud Christi Joan. 3. *Nisi quis renatus fuerit ex aqua, & Spiritu Sancto, non potest introire in regnum Dei.*

2 Ut Baptismus valide suscipiatur, sufficit, & requiritur aliquis consensus in adulto. Ratio: Quia ad suavem Dei providentiam pertinet, Sacramenta Christiana ita instituta fuisse, ut iis non initiarentur utentes ratione, nisi aliquo modo consenserint. Et sufficit virtualis consensus ante conceptus, & non retractatus, ut proinde etiam adultus ebrius, & in somno valide baptizari possit. Etiam sufficit consensus metu extortus quocunque. Ratio: Quia, quod metu fit, simpliciter voluntarium est. Et multum interest, Baptismum in ejusmodi hominibus validum esse, ne facile aliquis excusationem metus prætendere possit.

3 Ad valorem Baptismi non requiritur Fides, aut alia bona dispositio suscipientis, sed sufficit libera ejus voluntas, quamvis habita ob perversum finem, V. C. lucrum temporale. Est certa Assertio: Quia omnino conveniens fuit, Sacramenta ita a Christo institui, ut eorum usus universalis, atque exploratus esset, videlicet quatenus moraliter possibile sciretur, utrum homo Sacramentum suscepisset, nec ne: Hoc autem fit, si neque ob ministrantis, neque ob suscipientis malitiam Sacramenti valor impediatur, dummodo utriusque voluntas concurrat.

NB. Ad Sacramenti cujuscunque ultimatum effectum, qui est gratia sanctificans, omnino requiritur bona suscipientis adulti dispositio, conveniens sanctitati Sacramenti, quod suscipitur. Est certa Assertio: Quia sancta sancte tractari debent. Et quidem ad Baptismum Fides supernaturalis, tanquam fundamentum justitiæ Christianæ: Deinde pœnitentia; ut colligitur Act. 2. *Pœnitentiam agite, & baptizetur unusquisque vestrum*. Et Marci ult. *Qui crediderit, & baptizatus fuerit, salvus erit.*

4 Ut Baptismus recte, & fructuose suscipiatur, requiritur in peccatore aliqua pœnitentia saltem attritionis ex motivo supernaturali susceptæ; sicut explicatur Tract. 6. Cap. 1. n. 9. & C. 2. n. 2. Unde nec Confessio requiritur: Quia Baptismus, & Pœnitentia sunt quasi medicinæ purgativæ, quæ dantur ad tollendam febrim peccatorum. Sunt enim hæc Sacramenta per se instituta, ut hominem justificent, ac proinde non requirunt, ante justificatum esse. Eucharistia vero, cum sit medicina confortans, dari non debet, nisi liberatis a peccato.

Quod Confessio non requiratur ad Baptismum, patet: Quia potestas clavium non extendit se, nisi ad subjectos jurisdictioni Ecclesiasticæ, & respectu eorum actuum, quos fideles tempore subjectionis commiserint. Unde, si quis ficte, id est, sine Fide, & Pœnitentia Baptismum suscepit, postea hanc ipsam fictionem, & ea solum peccata, quæ post Baptismum commisit, sacramentaliter confiteri debet.

5 Baptismatis gratia, remoto obice indispositionis, ex opere operato homini baptizato provenit; idque ideo, ne fateri cogamur, ejusmodi homini, qui mala dispositione sua suscipiendæ gratiæ Baptismatis obicem posuit, nullum amplius salutis remedium suppetere, dicere debemus, antea collatum Baptismum morali habitudine id operari, ut postea remoto obice consequamur effectum.

6 Extra casum martyrii Baptismus re ipsa susceptus est simpliciter necessarius parvulis ad salutem. Joan. 3. Adultis vero sufficit si in voto saltem implicito susceptus sit. Nam per actum contritionis, & dilectionis Dei super omnia, in qua continetur etiam propositum, seu votum saltem implicitum servandi mandata Dei, & consequenter in nova lege recipiendi Sacramentum Baptismatis (si ejus suscipiendi copia sit)

hominem adultum vere a peccatis justificari, constat ex Act. 10. *Nunquid aquam quis prohibere poterit, ut non baptizentur hi, qui Spiritum Sanctum acceperunt, sicut & nos?*

7 Baptismus adultis ad salutem necessarius est ex divini præcepti obligatione, juxta Joan. 3.

8 Baptismatis Sacramentum non diu differendum est, sed, quamprimum commode potest, suscipi debet. Ratio: Quia Baptismus est Sacramentum Fidei, & introitus in Ecclesiam Christi; siquidem in Baptismo Fidei Christi solemniter profitemur, & corpori ejus mystico, id est, Ecclesiæ inserimur, aliorumque Sacramentorum capaces efficimur. Hæc autem talia sunt, ut ex propria institutione ad totum vitæ tempus pertinent; propositum enim erat Christo, fideles suos ad unam visibilem Rempublicam in hac vita congregare in una Fide, sub uno capite, eorundem Sacramentorum usu, ad quam Ecclesiam, seu Rempublicam ingressus pateat per Baptismum: Ergo is repugnat institutioni, ac voluntati Christi, qui sine necessitatis causa Baptismum per totum vitæ cursum ad mortem usque differt.

9 Extra necessitatis casum non debet Baptismus sine solemnitatibus conferri, tametsi per unum, aut alterum mensem exspectandum sit, V. C. dum patrini adveniant, & interea, si ob adventum patrini dilatio aliqua facienda est, advigilare oportebit infanti, ne ex ingruenti aliqua infirmitate sine Baptismo decedat.

10 Liberi infidelium invitis parentibus, in quorum potestate sunt, valide baptizantur; eo quod, sicut non requiritur fides proxime offerentium (cum infantes non baptizentur in Fide ipsorum, sed totius Ecclesiæ) ita nec requiratur voluntas proxime offerentium ad Baptismum (cum non baptizentur secundum voluntatem eorum, sed Christi, & Ecclesiæ) sed non licite; nisi eorum parentes, vel ipsi sint mancipia Christianorum facta. Ratio: Vel enim filii abstrahuntur a parentibus in fide Christiana postea educandi; & tunc peccatur contra justitiam: Vel abstrahuntur, & post Baptismum restituuntur; sed hoc non potest fieri sine Religionis Christianæ ignominia, cum Deo per Baptismum consecrati infantes, si infidelibus parentibus restituantur, manifesto periculo apostasiæ exponantur. Excipe primo: Si infans sit in periculo mortis, baptizari tunc potest etiam invitis parentibus, si scandalum absit: Nam hoc casu, etiamsi adimatur filius parentibus, modicum tamen adimitur, quando alioquin statim decessurus esset. Quis autem neget, ut extremæ alterius spirituali necessitati succurratur, fas esse, modicum quid domino invito auferre? Secundo: Si alter parens filium baptizari velit, altero reluctante, præferenda est voluntas justa injustæ in favorem prolis innocentis; sed caveri debet periculum apostasiæ. (a) Tertio: Puer ad usum rationis perventus potest etiam invitis parentibus baptizari. Ratio: Quia homo ratione præditus in iis, quæ ad salutem animæ pertinent, sui arbitrii esse debet; in dubio autem de usu rationis quid faciendum sit, dixi Lib. 1. Tract. 1. C. 5. n. 41. Quarto: Filii perpetuo amentes possunt baptizari invitis parentibus; quia alioquin omni spirituali remedio spoliati essent.

„ (a) In casu Romano, quo infantulus Hebræus „ oblatus fuit ad baptismum ab avia paterna Chri- „ stiana, reclamante licet matre Hebræa, & tutori- „ bus defuncto patre, censuit Bened. XIV. scripta „ hac de re epistola privata, quam habes in ejus „ Bull. tom. 3. n. 54. tingendum esse baptismo, cum „ avia veniat nomine parentum, & in favorem reli- „ gionis prævalere debeat matri, & cæteris tutoribus; „ sicut postulatio matris pro baptismo filii prævalet „ patri infideli reluctanti.

Quæ hactenus dixi de infidelibus, intelliguntur etiam de Judæis, quippe qui alia jura, ita etiam jus patriæ potestatis in liberos retinentibus, quo sine injuria spoliari non possunt. Capti vero jure belli præter alia etiam jus patriæ potestatis amittunt; baptizati tamen infantes captivorum possunt interdum vel parentibus restitui infidelibus, permittendo malum perversionis eorum ob justam causam, vel quia dominis nimis difficile accidit, parvulos captivos alere, & educare, vel quia captivorum redemptio Jure gentium introducta interdum necessaria est ad pacem, & fœdera servanda, & majora mala captivorum etiam Christianorum cavenda.

NB. Quandocunque infideles, aut eorum filii valide baptizantur, quamvis cum injuria, efficiuntur subditi Ecclesiæ, ut proinde necesse sit, eos postea ab infidelium consortio separare, ne Fides Domini blasphemetur. Nam sicut injustus dolus non vitiat matrimonium, quo minus ex eo obligatio oriatur; ita neque vitiat obligationem Baptismi: Quandoquidem utriusque Sacramenti indissolubilis natura est, & institutio, quæ nobis per traditionem innotuit.

11 Invitis etiam parentibus hæreticis licitum est, eorum liberos Catholico ritu baptizare. Ratio: Quia hæretici sunt subjecti jurisdictioni Ecclesiæ, a qua proinde sine injuria compelluntur, ut parvulos suos ad Baptismum Catholicorum deferant: Sin vero id facere recusant, infantes ab eorum cura abstrahi, & baptizari jure possunt, etiam retineri, si parentes deserta Fide Catholica ad hæreticos confugiant: Sed in Germania non est tutum; quandoquidem hæretici simili oblata occasione idem & ipsi de infantibus in sua ditione existentibus facturi essent.

12 Si parentes hæretici ad Catholicum Ministrum filios baptizandos deferunt, baptizari interdum possunt, tametsi ipsis restituendi sint, eo quod periculum perversionis non adeo propinquum sit, aut certum, cum fieri possit, ut pueri ante usum rationis moriantur, & per Baptismum salventur: Observatum enim est, tertiam partem hominum, qui in hanc lucem educuntur, ante completi septennii ætatem decedere. Deinde hæreticorum filii (non item infidelium) etsi a parentibus hæreticis falsa dogmata edoceantur, interdum ignorantia difficulter vincibili laborare possunt, ut pertinaces hæretici non sint, ut proinde tales donum Fidei Baptismatis retineant, & salvari possint, si de peccatis post Baptismum commissis vere doleant.

13 Monstra, si principalia eorum membra, V. C. caput, pectus, sint humana, possunt baptizari; secus, si bestialem formam præseferant. Quod si totum corpus sit humanum, etiamsi caput sit ferinum, baptizandum est, eo quod princeps animalis membrorum sit cor, ideoque, si id humanum appareat, censeri debeat anima rationali informatum; sed quia dubium est, an cor sit membrorum princeps animalis, ideo tale monstrum sub conditione est baptizandum: V. C. *Si homo es, ego te baptizo.* Præterea, si constet ex operationum diversitate, monstrum esse duos homines, qui altero V. C. monstri capite dormiente alterum vigilat, baptizari debet distinctis verborum formis, & ablutionibus. Quod si vero dubium sit, an duo sint homines, qui duo quidem capita extant, sed unum pectus, in periculo unum caput absolute est baptizandum, alterum sub conditione: *Si non es baptizatus, ego te baptizo.* Extra necessitatem tamen differendus est Baptismus, donec certius aliquid cognoscatur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Non permittat Parochus differri Baptismum infantium ad expectandos Patrinos, vel ad aliam parandam solemnitatem; quis enim negabit, dum in tali expectatione, vel vana pompa paranda tempus teritur, accidere posse animam Christi Sanguine redemptam maximo amittendæ æternæ salutis periculo exponi? Neque dicatur sufficienter hoc periculum præcaveri, dum puer domi baptizatur, postea deferendus ad Ecclesiam, ut solemnitates suppleantur. In hoc etenim adsunt duo inconvenientia, dum nempe sine necessitate Baptismus extra Ecclesiam administratur; & dum administratur sine aqua ad hoc Sacramentum conferendum benedicta.

II. Cum Parochus ex vi sui Officii edocere debeat Obstetrices modum baptizandi pueros instante necessitate, sicut etiam monet Catechismus *p. 2. c. 2. §. 34.*, videat quantum deficiat in suo munere, si illas non instruat de obligatione baptizandi sub conditione pueros, quamvis in utero matris existentes, si aliquo modo ablui possint; de modo illos absolute, vel sub conditione baptizandi, si nondum perfecte sint nati; de obligatione baptizandi sub conditione fœtus abortivos, vel absolute, si transierint quadraginta dies a conceptione. Quot fœtus abortivos ex ignorantia Obstetricum, & Matrum excipit latrina, quorum anima, si Baptismate non fraudaretur, Deum in æternum videret, & corpus, licet informe, esset decentius tumulandum? Si quibus potissimum sub gravi culpa competit hanc expellere ignorantiam? nonne Parochis? Meminisse quoque debet Parochus Obstetrices edocendas de Baptismo Monstris conferendo, juxta ea, quæ diximus; ne si forte accidat aliquod Monstrum nasci, & instet mors, ignorent omnino quid agere debeant.

III. S. Carolus in *Instruct. Bapt.* vult Parochum admonere debere Parentes, & ipsorum Domesticos de Deo assidue deprecando, ut fœtus incolumes ad Baptismi gratiam possint pervenire; atque id multo magis faciendum esse ab eadem muliere prægnante, dum instat tempus pariendi. Subdit Parochum curare debere, ut si morte mulier moriatur, omni cautione aperiatur illius uterus, ut extrahi possit infans, & baptizari, si mortuus non fuerit. Et quidem si in nulla re, in hac maxime diligentissimi esse deberent Parochi, cum agatur de succurrendo proximo extrema spirituali necessitate laboranti, adeoque nullis etiam parcere debent impensis, maxime si parentes inopia laborent.

C. A.

CAPUT VII.

De Ministro Baptismi.

1 QUivis homo ratione præditus Baptismum valide minilirare potest; idque ob necessitatem Sacramenti. Nititur hæc Assertio institutione Christi, quam Ecclesiæ usus, & traditio ostendit. Peccat tamen, qui extra necessitatem baptizet, cui id jure, & ex officio non competit; idque ob Canonum prohibitionem, & ob honorem Sacramenti, ut nemo, nisi Sacerdos, solemniter baptizet in Ecclesia. Peccat etiam mortaliter Sacerdos alienus, si sine licentia proprii Sacerdotis expressa, vel rationabiliter præsumpta solemniter baptizet: Ergo multo magis laicus.

2 Episcopis, & Presbyteris ex vi Ordinationis competere potest ordinarium baptizandi officium, eo quod ex vi consecrationis suæ accipiant potestatem in corpus Christi verum, quia illud conficere possunt; consequenter etiam idonei fiunt, quibus ordinaria potestas conferatur in Christi corpus mysticum, fideles colligendi per Baptismum, spirtualiter pascendi per verbi Dei prædicationem, a peccatis absolutionem, adeoque ipsos disponeodi ad suscipiendum Eucharistiæ Sacramentum. Verum eum pascendi officium, seu cura animarum proxime non proveniat ex Ordinatione, sed sit potestas jurisdictionis ab Ecclesia, sive Prælato collata, hinc est, quod officium prædicandi, baptizandi, per se primo conveniat Episcopis, inferioribus vero Sacerdotibus per commissionem Episcopi.

NB. Parentes graviter peccant offerentes prolem alieno Parocho sine licentia proprii ad baptizandum: Quia Ecclesiæ ordinationi cum violatione juris alieni adversantur.

3 Diaconi ex commissione Sacerdotis solemniter baptizare possunt; eo quod Diacooi ad hoc ordinentur, ut sint ministri Sacerdotum: Ergo valde convenienter committuntur illis ex rationabili causa ministeria Sacerdotalia, quorum ipsi capaces esse possunt; ut sunt, prædicare, baptizare, Eucharistiam populo conferre; idque extraordinarie tantum ob incidentem causam, V. C. infirmitatem Sacerdotis. Alii Clerici inferiores, quam Diaconi, minus habent de potestate baptizandi, eo quod extra necessitatem ob justam causam possit committi Baptismi administratio Diacono; non item inferioribus Clericis. In casu necessitatis extremæ vero hic ordo servandus est, ut præsente Sacerdote, Episcopo, non baptizet Diaconus, præsente Diacono non baptizet Clericus inferior, aut laicus, præsente Clerico non laicus, præsente viro non fœmina, deoique præsente fideli non hæreticus, aut infidelis.

4 Et si hic ordo pervertatur, est mortale sacrilegium inter Clericos, inter laicos vero veniale.

5 Minister Baptismi debet esse unus: Quare, si alius materiam, alius formam proferat, nihil efficitur. Quod si duo, pluresve Ministri materiam, & formam super uno homine baptizando absoluta intentione simul absolvant, singuli verum conficiunt Sacramentum, tanqnam causæ totales. Ratio: Quia omnes, & singuli applicant omnia necessaria ad Sacramentum, videlicet materiam, & formam, & intentionem, atque unios actio alterius actionem non impedit, eum nullo modo inter se pugnent. Quod si autem ex pluribus eandem personam baptizare volentibus contentiose unus præveniat, & prius finiat, tunc ille solus baptizabit, & alii nihil efficient. Confirmatur ex consuetudine Ecclesiæ, ut Sacerdotes noviter ordinati cum Episcopo in Missarum solemniis consecrent. Ubi vides, plures Sacerdotes tanquam causas totales concurrere ad idem Sacramentum Eucharistiæ conficiendum, inter quos est principalis Episcopus, veluti dux aliorum: Quare curandum est illi, ut non post alios verba Consecrationis finiat.

6 Non est improbabile, quod novi Sacerdotes cum Episcopo verba Consecrationis materialiter tantum proferant, ac recitative in signum potestatis sibi concessæ, eo quod moraliter impossibile sit, ut cum Episcopo celebrantes simul verba finiant in eodem instanti. Unde consultum est ipsis, ut proferre velint secundum Ecclesiæ intentionem, seu voluntatem.

7 Unus Minister plures homines valide baptizat; ideo non plures Ministri eundem hominem baptizare possunt, si concurrant ut causæ partiales, seu ita ut unus ab altero dependeat. Probatur ex institutione Christi, & praxi Ecclesiæ: Cum enim in Ecclesia inauditum sit, ut plures Ministri concurrant ad baptizandum, credibile est, formam verborum eum sensum habere, quem omnes etiam communiter accipiunt: *Ego te baptizo*. Id est: Ego, tanquam Dei, & Christi instrumentum, per hanc sensibilem actionem meam absolute tibi confero Sacramentum Baptismi. Hoc autem ita simpliciter verum non esset, si plures Ministri ut causæ partiales, sive cum mutua inter se essentiali dependentia baptizarent; quia singuli non efficerent Sacramentum, nisi secundum quid, ideoque absolute non baptizarent, sed combaptizarent. Qui discursus etiam ad alia Sacramenta applicari potest.

8 Ad valorem Sacramenti satis est, si moraliter; videlicet secundum humanum agendi, & loquendi morem, concurrant actio Ministri, & proxima materia, videlicet ablutio, unctio, sicuti in simili vere dicere censetur, *Ego bibo*, qui poculum in manum capit, statim illud ori applicaturus bibendi causa: Neque enim credibile est, quod Christus Sacramenta, ad moralem hominum usum accommodata, metaphysico rigore adstringere voluerit.

Regula in praxi observandæ.

I. Cum extra casum necessitatis pertineat ad solos Sacerdotes Baptismum administrare, videat Parochus, ne nimis faciles sint sui Parochiani in conferendo domi Baptismum opera Obstetricis, vel alterius laici: adeoque si non videatur mors tam imminens, vocent Parochum, vel ipso absente, aut impedito, alium Sacerdotem. Insimul tamen monere debet, ut in hoc non sint nimis scrupulosi, ne eveniat infantem interim sine Baptismo perire.

II. Non facilis sit Parochus in administrando sine necessitate domi Baptismum, quæ necessitas certa non adest, si Parentes exposcant infantem baptizari, ne forte decedat, & interim differri volunt solemnitates Baptismi, quia expectantur Patrini, & aliæ pompæ comparantur. Memor sit Parochus velle Ecclesiam, ut dum administratur Baptismus, simul administretur cum solemnitatibus, cum cæremoniis nempe, ac ritibus ab eadem præscriptis, & id totum præcipere fieri in Ecclesia, adeoque, nonnisi urgente necessitate, aliter fieri non potest, ut ea communis notat *Laym. l. 5. tract. 2. cap. 6. num. 9.* Quin immo edoceat Parentes, convenientius esse deferre infantes ad Baptismum sine pompa, & vano ornatu, ne dum voce Patrini Sathanæ pompis abrenunciant, re ipsa videantur negare, quod dicunt. Ita etiam præcipiunt diversæ Synodales Constitutiones videndæ apud *Gens tract. 5. de 4. Decal. præc. c. 2. q. 8.*

CAPUT VIII.

De Cæremoniis Sacris, & in specie de Ritibus circa Baptismum.

1 CÆremonia est actus externus hominis ad Deum colendum accommodatus; ut genuflexio, Crucis formatio. Cæremoniæ Sacræ, apud Christianum populum usitatæ, partim a Christo institutæ sunt, videlicet eæ, quæ ad substantiam Sacramentorum pertinent, partim ab Ecclesia, Deoque gratæ, etsi præceptum divinum non accepemus; ut videre est in exemplo S. Mariæ Magdalenæ quoad abstersionem capillorum, alabastrum fractum, & effusionem super caput Christi.

2 Cæremoniæ Sacræ maximam utilitatem in Ecclesia habent, conferunt augmentum devotionis, conservationem Fidei doctrinæ; videlicet ex Festorum annua celebratione mysteriorum Christi intelligentiam percipimus, ex Crucis, aquæ benedictæ, & similium rerum usu Crucifixi virtutem adversus dæmonis machinationes agnoscimus.

3 Hæreticorum proprium est, Sacras cæremonias contemnere, & abolere; unde sacrilegi censendi sunt. Impie quippe contemnitur, sine quo non potest perfici pietas, ait S. Augustinus; sed sine Sacris cæremoniis pietas perfici non potest: Siquidem experientia constat, hominum mentes visis externis actibus Religionis cœlestium æstimationem concipere, ac plurimum commoveri ad pietatem.

4 Cæremonias, & ritus ab Ecclesia institutos omittere, aut mutare est peccatum ex genere suo mortale contra virtutem Religionis, ob levitatem materiæ veniale.

NB. Cavere debent Parochi, ne insolitis cæremoniis, & ineptis gesticulationibus, indecoroque cantu rem divinam cum scandalo populi dehonestent.

5 Cæremoniæ, quæ legitimam originem, & authoritatem ab Ecclesia non habent, tollendæ sunt. Cæremoniæ Sacræ appellantur *Sacramentalia*: Quia pleræque ab Ecclesia institutæ sunt ad majorem ornatum,

nstum, & decentem venerationem Sacramentorum, aut Sacrificii.

6 Cæremoniæ aliæ antecedunt Baptismum, aliæ comitantur, aliæ sequuntur.

7 Catecbumeni olim alii *competentes*, & *electi* dicebantur, utpote desiderantes Baptismum, alii *audientes*, necdum petentes, sed solum admittebantur ad explicationem Evangelii. Inter antecedentes cæremonias numerantur nominis datio, consecratio Baptismi, trina dæmonis exsufflatio.

8 Exorcismi adhibentur ante Baptismum, ut hominem diabolus infestare desinat; est enim homo ob originale ante Baptismum magis obnoxius infestationi diaboli. Alia cæremonia est salis gustatio, ad significandam expurgationem a putredine peccatorum. Alia, quod Sacerdos saliva aures, & nares baptizandi tingat; aores quidem, ut eas homo apetiat ad sermones Christi; nares autem, ut bonum odorem capiat pietatis æternæ. Alia cæremunia est abrenuntiatio Sathanæ. Alia, oleum benedictum, Fidei professio. Inter cæremonias, quæ ipsum Baptismum comitantur I. Numerantur, quod Ssaramentum istud ordinarie ministrari non debeat extra necessitatem, nisi in loco sacro, seu baptisterio: Excipiuntur Priocipum liberi. II. Affusio aquæ esse debet trina, vel una. III. Patrinutum adhibitio tespondentium pro baptizando. Cæremoniæ sequentes Baptismum sunt unctio Chrismatis in vertice baptizati.

9 Chrismatio in fronte a solis Episcopis fieri potest. Alia cæremonia est vestis candida, cereus accensus, lactis, & mellis degustatio. Sed abolita hæc sunt.

10 Si propter casum necessitatis cæremoniæ in privato Baptismo omissæ fuerint, postea in Ecclesia suppleri debent; idque etiam intelligi debet de Exorcismis.

NB. In homine apud hæreticos baptizato possent suppleri cæremoniæ, sed non est moris, ne fortasse rudis populus existimare possit, nos hæreticorum Baptisma, debita forma collatum, tanquam minus validum improbare (*a*).

„ (*a*) Baptisma tamen ab hæreticis collatom non „ est statim admittendum, sed exquirendum a quibus „ hæreticis fuerit collatum; nam apud hæreticos „ Hollandiæ morem invaluisse, ut aqoam unus mi„ nister affunderet, alter formam pronuotiaret, no„ tat Benedict. XIV. de Synod. Diœces. l. 7. cap. „ 6., ubi & simile dubium de hæreticis Angliæ oc„ currere docet.

Regula in praxi observanda.

I. Tam Catechismus *p. 1. in explic. Symb. n.* 18., quam S. Carolus *p.* 4 optant Parochos diligentes esse in rememorando populis promissa, quæ in Baptismo fecerunt, & solemnem abrenuncistionem factam in facie Ecclesiæ, qua Sathanæ, ejusque pompis omnibus renunciarunt. Sumere ex hoc debent argumentum contra peccatores, quia nempe si ex vi solius Baptismi, quo se Deo devoverunt, deberent tanquam illius mancipia ipsi in omnibus deservire, multo magis criminosum erit mundi, & Diaboli præceptis vivere, postquam Dei leges, ejusque voluntatem cognoverunt, ac Sacramentntum gratiam perceperunt. Iniquum omnino esse nmoia, quæ Dei sunt, & quæ adimplere in Baptismo promiserunt, laboriosa reputare, quæ vero mundi, carnis, & Sathanæ, quibus omnino renunciarunt, facilia. Pessimum demum esse ita se gerere, quasi in Baptismo mundo, & diabolo, non Christo Domino, ac Redemptori nostro nomen dedissemus.

II. Deberet unusquisque Confessarius monere pœnitentem, ut specialibus devotionis operibus dies suscepti Baptismi quot annis recoleret, ac peculiariter promissa Deo in ipso suscipiendo facta renovaret. Et quidem quæ dies pro nobis magis fausta ea, qua ingressi fumus in Ecclesiam, ac in numero ovium ipsius, ac Supremi Cælestis Pastoris fuimus recensiti? Solemnis est apud Principes dies, qua regnum adepti sunt: nobis fortasse etiam ignorata est dies, qua per Gratiam Baptismi regenerati, jus ad Regnum æternum adepti sumus; nec tanti, ineffabilisque beneficii ullas supremo Largitori grates rependimus.

CAPUT IX.

De Patrinis.

1 PAttinus, seu spiritualis pater baptizati hodie plerumque obligatioue instruendi liberatus est, cum pueri a parentibus, & Ludimagistris in Fide instrui soleant.

2 Ad muous patrini tria requiruntur. Primo: Usus ratioois (oon certa ætas). Secundo: Ut patrinus sit baptizatus, vel confirmatus; alioquin invalide suscipiet munus patrini, & non contrabet cognationem spiritualem. Tertio: Intentio formalis gerendi munus spiritualis patris secundum Ecclesiæ consuetudinem; nec sufficit infantem materialiter tantum tenere. Hæretici, Apostatæ, & infames possunt quidem esse patrini valide, sed non licite.

3 Religiosi patrini esse nuo debent, ne ob spiritualem cognationem nimia familiaritas cum sæcularibus, præsertim fœminis, contrahatur. Excipe tamen, si Religiosus Episcopus sit.

NB. Parens non debet propriam prolem suscipere, ne contracta cogoatione spirituali cum conjuge debitum petere non possit. Nec decens est, ut duo conjuges simul alienam prolem suscipiant, quamvis id consuetudine cnbonestari possit. Unde Coninck monet, duos conjuges simul suscipientes non contrahere cognationem spiritualem: Nam alioquin talis susceptio ipsis graviter probibita esset.

4 Patrinus unus esse debet, isqoe mas, si puer, vel fœmina, si puella, vel ad summum duo, mas, & fœmina. Si plures ob ignorantiam, vel negligentiam Parochi, cui id severe prohibitum est, admittantur, modo tangant infantem credibile est, omnes spiritualem cognationem contrahere: Alioquin, si solum plures accesserint, dummodo a Parocho non electi sint, nec tetigerint, non erunt veri patrini. Nam constitutio correctotia Juris antiqui extendi non debet ultra casos Jure expressos: Concilium autem Tridentinum prohibens Parochis pluralitatem pattinorum solum expressit casum, quo ultra designatos alii accesserint, & nihil dixit de casu, quo vel nullus designatus, vel plures, quam duo, designati & admissi sunt.

5 In privato Baptismo in necessitate collato opus non est patrino, eo quod in tali necessitate parentes non possint tam statim habere idoneos; nec credibile est, Ecclesiam eis in tali necessitate voluisse imponere obligationem. Si tameo aliquis ex proposito boc munus obeat, contrahit spiritualem cognationem, eo quod patrinus noo adhibeatur tantum ad majorem solemnitatem, sed etiam propter obligationem instruendi puerum.

6 Improbari oon potest consuetudo, secundum quam in quibusdam locis Germaniæ Catholici patrini existunt filiorum hæreticorum, baptizante eos Ministro hæretico in forma SS. Trinitatis. Ratio: Quia patrini officium est, ut externa susceptione profiteatur, quod hominem modo spiritualiter genitum suscipiat in curam suam, tanquam spiritualis ejus nutritius, & pædagogus; id autem præstare potest Catholicus, etiamsi infans ab hæretico baptizetur: Nam talis infans vere effectus est membrum Ecclesiæ, ideo indiget instructione in Fide. Deinde patrinus non concurrit ad indebitam administrationem Baptismatis, sed causa est, ut minus male administretur, cum alias hæreticus patrinus esset admissus, qui promisisset, illum in hæresi instructurum. Et licet communicet cum hæreticis in sacris, tamen id concessum est post extravagantem Concilii Constantiensis, *Ad evitanda*; ubi communicatio tam in sacris, quam politicis cum hæreticis prohibita non est, nisi sint denuntiati. Cognatio etiam contrahitur cum Prædicante; eaque secuodum consuetudinem Ecclesiæ ex Baptismo sequitur, non qoatenus male, sed quatenus valide a Prædicante administratur.

7 Hæreticus ordinarie, & sine gravi causa, ac necessitate non potest admitti ut patrinus; eo quod, licet in Canonibus expresse non prohibitum id sit, tamen ex Doctorum communi consensu non est idoneus ad sponsionem faciendam pro infante. In necessitate, & gravi causa tamen permittendus est hæreticus patrinus, V. C. in Parochia reformanda. Ratio: Quia hæreticus legitime baptizatus absolute est capax muneris patrini, ita ut ex eo spiritualem cognationem contrahat. Cur autem illicite adhibeatur, tres causæ adferri possunt. Primo: Quia non censetur sponsionem facere pro infante, tanquam Fidem Catholicam suscepturo. Sed contra est; quod, cum infans a Catholico Ministro baptizetur, satis appareat, sponsionem ejus non aliter admitti, quam secundum hanc Fidem. Secundo: Quia hæretici non sunt idonei ad instruendum infantem in Fide Catholica. Verum hodie pueri vix unquam a patrinis suis instruuntur, sed a Parochis, Ludimagistris, & parentibus. Tertio: Quia ex ea re imminet infantibus periculum defectionis a Fide. Sed, hoc periculum admodum probabile, & propinquum non esse, dictum est supra hoc Tractatu Cap. 5. num. 12.

TRACTATUS III.

DE

Sacramento Confirmationis.

CAPUT PRIMUM.

De natura, & institutione hujus Sacramenti.

1 Confirmatio est *novæ Legis Sacramentum, quo homo baptizatus ex Christi institutione spiritualis gratiæ augmentum, & robur accipit per Chrismatis in fronte unctionem sub certa verborum forma ab Episcopo datam*. Sumitur ex Joan. 14. & 16. Luc. 24. Actor. 1. quibus locis Dominus post ascensum suum in coelos virtutem, ac robur Spiritus Sancti se missurum promisit in die Pentecostes, quando Apostoli a Spiritu Sancto visibili specie descendente confirmati fuerint ad Fidem Christi libere profitendam. Actor. 2. Fuit vero modus iste Confirmationis extraordinarius, & specialis per signa, & prodigia divinitus data. Deinde vero Apostolorum ministerio aliis fidelibus post Baptismum acceptum eadem plenitudo gratiæ per manuum impositionem conferri solebat. Actor. 8. Unde sic argumentari possumus: Apostoli hanc cæremoniam impositionis manuum super baptizatos nunquam adhibuissent, tanquam certum symbolum accipiendi Spiritus Sancti, nisi hujus rei promissionem a Christo habuissent; atqui Apostolos illam manuum impositionem, tanquam certum symbolum accipiendi Spiritus Sancti erga baptizatos usurpasse, constat ex Actis cap. 8. Ergo sequitur, habuisse Apostolos a Christo promissionem hujus spiritualis doni per talem cæremoniam certo conferendi, adeoque fuisse hoc unum ex Sacramentis novæ Legis.

2 Sacramentum Confirmationis tanquam stabilis cæremonia semper in Ecclesia usurpatum fuit. Constat ex promissione Christi omnibus fidelibus universim facta Joan. 14. *Ego rogabo Patrem, & alium Paracletum dabit vobis, ut maneat vobiscum in æternum*. Quam promissionem in omnes factam esse, testatur S. Petrus ibidem Act. 8. v. 38. 39. Colligitur id etiam ex constante Patrum traditione, ex Dionysio Areopagita, Cyrillo, Tertulliano, Ambrosio, Theodoreto, Hieronymo, Augustino.

NB. Institutum esse hoc Sacramentum a Christo ante Ascensionem, non est dubium; sicuti constat ex iis, quæ dixi hoc Libro Tr. 1. c. 2. Sed usus, & administratio hujus Sacramenti non erat ante Ascensionem Christi: Quia in hoc Sacramento, ait S. Thomas, *datur plenitudo Spiritus Sancti, quæ non erat danda ante Resurrectionem, & Ascensionem*. Tempus, quo Christus instituit hoc Sacramentum, existimatur fuisse post Resurrectionem Christi, Joan. 20. cum Apostolis plenam potestatem Ordinis sacerdotalis, & potestatis Episcopalis in corpus mysticum Ecclesiæ suæ contulit: *Sicuti misit me vivens Pater, & ego mitto vos*.

CAPUT II.

De Materia hujus Sacramenti.

1 Materia remota Sacramenti Confirmationis est Chrisma ex oleo, & balsamo confectum, atque ab Episcopo benedictum; quæ omnia ad Sacramenti essentiam spectant. De benedictione Chrismatis, quod de essentia sit, sumitur ex traditione perpetua, quæ testatur, Chrismatis confectionem, & consecrationem semper Episcopo reservatam, & nunquam Presbytero concessam fuisse: Quod signum est, talem potestatem secundum Christi institutionem ad solos Episcopos pertinere.

2 Congruentia, cur materia Confirmationis, & extremæ Unctionis necessario debeat esse benedicta, est: Nam congruum est, ut corporea, & sensibilis materia, antequam ad animæ sanctificationem adhibeatur, a vulgari, & profano usu per benedictionem aliquam secernatur. Discrimen autem est, quod quibusdam materiis ipse Christus est usus, ideoque eas sanctificavit, sive aptes reddidit ad perfectionem Sacramenti. Sic Christus in Jordane contactu suo sanctificavit aquas, & Luc. 22. panem, & calicem benedixit. Quare ad necessitatem hujus Sacramenti non spectatur benedictio materiæ, sed sufficit benedictio Christi. Si quæ vero benedictio Ecclesiastica adhibeatur, ea ad solemnitatem accidentalem pertinet. Unctionibus autem in Confirmatione, & Unctione extrema Christus ipse non est usus, neque eorum materiam benedixisse legitur: Quamobrem tum Chrisma tum oleum infirmorum prius necessario benedici debent, quam ad usum Sacramenti adhibeantur. Episcopi autem debent benedicere, tanquam præcipue repræsentantes personam Christi.

3 Probabile est, quod Papa Sacerdoti simplici potestatem Chrisma consecrandi dare non possit.

Axioma illud: *Qui potest majus, potest etiam facere minus*, habet tantum locum in subordinatis, in quibus id, quod minus est, continetur in majori, tanquam pars in toto: V. C. Qui potest facere testamentum, potest etiam facere Codicillum, & qui matrimonium contrahere potest, is etiam sponsalia: Non vero id locum habet in rebus distinctis, V. C. Consecratione Eucharistiæ, & Chrismatis.

NB. Certa forma consecrationis Chrismatis a Christo non est præscripta, sed solum, ut per invocationem Spiritus Sancti consecraretur verbis ab Ecclesia ordinatis.

4 Materia proxima hujus Sacramenti est unctio Chrismatis in fronte, facta manu Episcopi in Crucis formam; quæ omnia ad essentiam spectant. Colligitur tum ex traditione, tum ex forma, qua Ecclesia utitur in Sacramenti hujus administratione.

5 Credibilius est, Apostolos semper confirmasse baptizatos per Chrismatis unctionem, & hanc ipsam vocari manuum impositionem.

CAPUT III.

De forma hujus Sacramenti.

1 Forma hujus Sacramenti hæc est: *Signo te signo Crucis, & confirmo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Constat ex traditione Ecclesiæ. Tria enim, ait S. Thomas, sunt necessaria in hoc Sacramento, quæ per formam signari debent. I. Causa principalis efficiens plenitudinem roboris spiritualis, quæ est Sancta Trinitas, quæ exprimi debet, sicut in Baptismate ad credendam Fidem, ita in Confirmatione ad profitendam. II. Finis, seu effectus gratiæ, quæ his verbis exprimitur: *Confirmo te Chrismate salutis*. III. Signum spirituale, sive character, qui Christiano militi imprimitur; sicuti etiam in corporali pugna milites Ducis sui insignibus ornari solent, atque iis verbis indicatur: *Signo te signo Crucis*.

2 Probabile est, valiturum Sacramentum, si ita conferatur: *Signo te Chrismate salutis, in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Vel ita: *Confirmo te in nomine Patris, & Filii, & Spiritus Sancti*. Nam in priori forma verbum *Signo* per adjunctam Ministri actionem satis determinari videtur ad significandum signaculum Crucis: Et in posteriori forma verbum *Confirmo* adjuncta actione Ministri frontem signantis determinari videtur ad significandam Confirmationem, quæ fit per unctionem formata figura Crucis.

3 Antiqui nolebant nostræ Religionis mysteria infidelibus prodere; unde mirum non est, quod apud Patres tum hujus, tum aliorum Sacramentorum formas expresse non legamus.

CAPUT IV.

De effectu hujus Sacramenti.

1 Effectus hujus Sacramenti est augmentum gratiæ sanctificantis, insuper actualis gratiæ auxilium, ac robur, tempore opportuno conferendum, ad fidem Christi constanter profitendam.

2 Convenit, ut adulti ante Confirmationis susceptionem sacramentaliter confiteantur. Licet enim nullum præceptum extet, ideoque contritio sufficiat, tamen tutius est confiteri: Nam, cum hoc Sacramentum gratiæ augmentum conferat, necessarium est, ut suscipiens jam ante in gratia Dei constitutus sit, seu spiritualiter vivat; siquidem augmentum supponit vitam. Unde consultius est, se in gratiam Dei constituere per Sacramentum Confessionis.

3 Manus impositio *confirmatoria, & ordinatoria* repeti non possunt: Aliæ vero manuum impositiones, vide-

videlicet *consecratoria*; *curatoria*; & *reconciliatoria* repeti possunt.

CAPUT V.

De subjecto, sive suscipiente hujus Sacramenti.

1 Subjectum capax hujus Sacramenti est omnis, & solus homo baptizatus. Colligitur ex Act. 2. Et ratio congruentiæ est: Quia sicuti natura, quos generavit, ad perfectum statum adducere conatur; ita etiam Deus, & ministerialiter Ecclesia, quos spiritualiter generavit per Baptismum, ad statum perfectiorem gratiæ adducit per Confirmationis Sacramentum.

2 Licet quidem olim in more positum fuerit, ut infantibus quoque statim post Baptismum Confirmationis Sacramentum conferretur, nunc tamen in plerisque Ecclesiis infantes ante usum rationis, V. C. septennium, confirmari non solent, idque ob reverentiam, & utilitatem majorem suscipiendi hoc Sacramentum, utpote concurrente actuali fide, & reliqua dispositione suscipientis (*a*).

„ (*a*) Benedict. XIV. in sua Bulla pro Cophtis, „ monet ex regula ordinaria conferendum esse hoc „ Sacramentum pueris post septennium: sed aliquan„ do justa urgente causa etiam ante eam ætatem con„ ferri posset; ut si non facilis ad pueros illos im„ posterum futuros sit Episcopi accessus.

Qui perpetuo amentes sunt, & infantes in mortis articulo, utiliter, ac recte confirmari possunt. Ratio est: Quia ejusmodi cum fructu spirituali, & sine irreverentia Sacramentum Confirmationis suscipiunt, sicuti & Baptismum, estque per accidens, quod nunquam spiritualiter militaturi sint.

4 Hodie non extat præceptum obligans sub peccato ad suscipiendum Confirmationis Sacramentum seclusa contemptu, eo quod non sit necessarium ad salutem. Tamen veniale est, sine causa aliquem ordinare, qui confirmatus non est; cum Ecclesiarum consuetudo repugnet.

CAPUT VI.

De Ministris hujus Sacramenti.

1. Minister hujus Sacramenti solus Episcopus est. Colligitur ex Act. 8. & 19. & traditur in Concilio Florentino. Potest tamen Papa ex plenitudine potestatis suæ simplici Sacerdoti committere, ut ministret hoc Sacramentum Confirmationis; est enim actus jurisdictionis, non Ordini Episcopali competens (*b*).

„ (*b*) Etiam concessa a Pontifice Presbytero sim„ plici facultate confirmandi, debet ille uti Chrisma„ te ab Episcopo benedicto.

2 Ad legitimam hujus Sacramenti ministrationem jurisdictio etiam requiritur, ideoque Episcopus alios confirmare non debet, quam qui ipsi spiritualiter subjecti sunt. Excipe: Nisi quis habeat dimissoriales ad suscipiendos Ordines; tunc etiam potest confirmari prius, si non sit confirmatus: Nam concesso uno censentur etiam concessa reliqua, sine quibus ad illud convenienter perveniri non potest.

3 Episcopus mortaliter peccat, si longo tempore Confirmationis Sacramentum ministrare intermittat: Quia magno spirituali fructu privat subditos suos, quorum tamen pascendorum cura ipsi ex officio incumbit.

CAPUT VII.

De Caeremoniis hujus Sacramenti.

1 Ad cæremonias pertinet, Primo, benedictio Chrismatis. Secundo: Adesse debet patrinus sub mortali, alius a patrino Baptismi; nisi necessitas aliud postulet. Tertio: Recitantur Orationes cum impositione manus super caput. Quarto: Frons Chrismate uncta vitta ligatur, quæ circumferri debet, donec unctio fuerit siccata; quamvis in ea re cujusque loci consuetudinem servare oportet: Nam alicubi mos est, ut mox post collatum Sacramentum frons abluatur a Ministris in fonte Baptismatis; si autem per triduum, ut moris est in nostra patria, circumferatur, a laicis etiam ablui potest, sed vitta debet comburi, & non ad profanum usum adhiberi. Quinto: Episcopus confirmato levem alapam infligit, ut significetur, Christianum militem paratum esse oportere ad injurias pro Christi nomine perferendas.

Regula in praxi observanda.

S. Carolus *Act. p. 2. tit. quæ pertinent ad Sacram. Confirm.* monet Parochos, ut quoad fieri potest, inducant populos ad condignam hujus Sacramenti æstimationem, ipsisque observare faciant ipsius Ordinarium Ministrum esse solum Episcopum. Incitent subinde negligentes ut ad illud suscipiendum accedant, & confessione peccatorum digni reddantur uberiori gratia hujus Sacramenti. Optet insuper *Act. p. 4. de præpar. ante ministr. Sacr. Confirm.* Parochos hortari confirmandos, ut ad hoc Sacramentum jejuniis, eleemosynis, aliisque pietatis operibus se parent; & præcipue orationis studio, exemplo Apostolorum, qui erant perseverantes in oratione, dum Spiritum S. expectabant: & sicut loco supra citato suadet, ut a jejunis recipiatur, si conferendum est in mane, ita hic desiderat, ut saltem pridie jejunent, qui die sequenti confirmandi sunt. Monet denique *in Instruct. ad hoc Sacram. recip.* ut tam confirmandi sive mares sint, sive fœminæ, quam Patrini, & Matrinæ adhibeant vestitum simplicem, & modestiæ Christianæ omnino consonum, omni vano corporis, & capitis ornatu deposito. Et revera incongruum esset, ut qui in Baptismo omnibus Sathanæ pompis solemniter renunciarunt, iisdem pompis ad Sacramentum accederent, quod est veluti baptismi complementum. E contra vero redarguit, qui ad Confirmationem accedit capillis incompositis, quibus pene frons tegatur. Ex his tanti Præsulis monitis dignoscet Parochus quomodo disponere debeat suos Parochianos ad Confirmationem recipiendam; at præcipue nullo parcat labori, ut bene instructi sint de effectibus hujus Sacramenti, de dispositionibus ad illud suscipiendum necessariis, explicando pariter quid significant cæremoniæ, quibus administratur, ut majori religione, & pietate illud suscipiant. Memores etiam sint expedire, ut habentes nomen profanum illud deponant, & assument nomen alicujus Sancti, ut vel ipso nomine agnoscant se esse Christianos, & Sanctorum vestigiis esse inhærendum.

TRACTATUS IV.

DE

Venerabili Sacramento Eucharistiæ.

CAPUT PRIMUM.

De natura hujus Sacramenti.

1 Eucharistia est *Sacramentum corporis, & sanguinis Christi sub speciebus panis, & vini ad spiritualem animarum refectionem divinitus institutum.* Constat ex perpetua Ecclesiæ traditione, & definitur in Concilio Lateranensi. Nam Sacramentum est sensibile signum rei sacræ ad hominem sanctificandum divinitus institutum: Hujusmodi autem est S. Eucharistia; siquidem species panis, & vini significant corpus, & sanguinem Christi, quæ sub ipsis continentur, tanquam spirituale animæ nutrimentum, juxta illud Joan. *6. Caro mea vere est cibus, & sanguis meus vere est potus.*

2 Transmutationis, seu conversionis panis, & vini in verum corpus, & sanguinem Christi frequens est mentio apud SS. Patres, Ambrosium, Cyrillum, Chrysostomum, Gregorium.

NB. Ad totale, sive integrum Sacramentum necessario pertinet, ut sit signum sensibile, non tamen ad quamvis partem Sacramenti constituentem; uti patet in contritione, quæ est pars Sacramenti Pœnitentiæ, attamen non per se, sed per peccatorum Confessionem sensibilis fit. Sic etiam corpus, & sanguis Christi per se non sunt sensibilia, sed per alteram partem Sacramenti, videlicet ratione specierum.

3 Eucharistiæ Sacramentum omnium excellentissimum est: Quia continet in se Christum vivum, Deum, ac hominem verum, fontem, & authorem omnis gratiæ. Quæ causa est, cur inter omnia Sacramenta hoc unicum cultu latriæ adoretur.

4 Materia, & forma aliter se habent in hoc Sacramento, ac in aliis, quæ successivum esse habent. Nam in aliis Sacramentis materia, & forma sunt partes componentes Sacramenti; sed hoc Sacramentum ex speciebus panis, & vini, & ipso corpore Christi, ac sanguine quodammodo componitur. Nec panis, & vinum, & forma sunt causæ effectrices gratiæ sanctificantis, sed ipsum Sacramentum.

5 Eucharistia sub speciebus panis, ac vini est unicum, integrum, ac perfectum Sacramentum, idque unitati morali, ad eum modum, quo dicitur una domus, unus exercitus, tametsi pluribus partibus constet, ideoque moraliter plura sint; ita & ad hoc

Sa-

Sacramentum licet res variæ concurrant, videlicet duæ materiæ, duæ Consecrationis formæ &c. tamen, quia ad unum finem ex Christi institutione ordinantur, unum Sacramentum sunt: Quia unum Sacrificium cruentum significant, unum Deum continent, unum effectum gratiæ sanctificantis indicant.

6 Eucharistiæ Sacramentum variis nominibus appellatur, *sacrificium*, *hostia*, *panis vitæ*, *Eucharistia*, videlicet bona gratia, *viaticum*, viam nobis præbens ad vitam cœlestem, *synaxis*, seu *communio*; quia *participantes carne*, *& sanguine*, *ipsaque Deitate Christi unimur in ipso*, *& inter nos divina charitate*, ait S. Damascenus.

Regula in praxi observanda.

Cum Eucharistiæ Sacramentum sit omnium excellentissimum, utpote quod ipsum Christum Gratiæ Authorem continet, videat primo Parochus, qua decentia ornare debeat Tabernaculum, ubi SS. Christi Corpus asservatur, & quam vigilare debeat, ne unquam lampas extinguatur, quæ debet coram illo semper ardere. Nec desunt asserentes peccare graviter Parochum, dum ex ipsius negligentia per integrum diem, aut noctem lumen ante Venerabile Sacramentum non ardeat. Item quia frequentia causare solet minorem reverentiam, attendant quam maxima Parochus, aliique Ecclesiastici, ne ita se gerant in Ecclesia, ut vel nimis loquendo, vel etiam ad risum verba incitantia proferendo, videantur non considerasse esse in loco, ubi Christus vere, & realiter præsens est in Eucharistia: & si semper ab his debent abstinere, multo magis coram Laicis, ne pravo suo exemplo ipsis scandalum præbeant. Videant etiam, ne omittant religiosam genuflexionem, dum ante Tabernaculum, in quo Eucharistia asservatur, pertranseunt; nec contenti sint aliquantisper genuflectere, sed usque ad terram, ut ita etiam externe demonstrent eam, quam in corde retinent, erga tantum Sacramentum reverentiam.

CAPUT II.

De Materia Eucharistiæ.

1 MAteria ex qua Sacramenti Eucharistiæ est panis, & vinum. Prob. ex institutione Christi, Matth. 26. & Marc. 14. Congruentia hujus institutionis est: Quia panis, & vinum ob munditiem, aliasque qualitates, ac virtutes convenientissime ad convivium adhibentur: Nam panis confirmat, vinum exhilarat, ideoque aptissima materia sunt ad significandam virtutem, finem, & effectum hujus Sacramenti, quod ad spiritualem animæ alimoniam peculiariter institutum est.

2 Panis triticeus esse debet non tantum ex necessitate præcepti, sed etiam ex necessitate Sacramenti. Late comprehendit etiam far, siliginem: Nam & hæc materia eo fine seminatur, & crescit, ut exinde panis pro hominis victu conficiatur; peccat tamen graviter Sacerdos, si possit habere triticum, & tamen adhibeat siliginem. Ratio Assertionis petitur ex verbis Evangelistarum, & traditione Ecclesiæ, Christum in ultima Cœna talem panem, qualis communiter in conviviis usitatus est, consecrasse.

3 Oryza, avena, milium, hordeum, non sunt materia hujus Sacramenti, cum ex iis non soleat panis confici pro hominis victu, nisi ob defectum tritici: Quare nec simpliciter panis vocabulum merentur, sed cum addito, *panis hordaceus*, *panis avenaceus*.

NB. Panis ex triticea farina, & aqua elementari (non rosacea, nec lacte) mixtus, atque ignis calore tostus esse debet: Nam materia hujus Sacramenti ex Christi institutione est panis hominibus usitatus; talis autem est ille, quem descripsi. Deinde modica admixtio alieni frumenti ad magnam quantitatem tritici non vitiat materiam: Quia, quod modicum est, quodammodo absumitur a materia copiosiore.

4 Ut panis azymus sit, non est de necessitate Sacramenti, quamvis id juxta consuetudinem Ecclesiæ Latinæ convenientius sit, cum etiam Christus in azymo consecrarit: Et non solum Latinus peccat, si in fermentato consecret, sed etiam Græcus, si in azymo, quamdiu intra terminos Ecclesiæ suæ commorantur; etiam ne quidem in casu necessitatis, V. C. si infirmus communicandus sit, & Latinus non habeat, nisi panem fermentatum. Ratio: Quia ad Ecclesiæ utilitatem, majestatem, tantique mysterii reverentiam valde interest, universales in eo ritus uniformiter observari. Quare, cum Sacramentum hoc non sit absolutæ necessitatis, merito ratio publica privato commodo spirituali præfertur.

5 Vinum, quod est materia Calicis, de vite esse debet; nec uvæ sunt materia. Ratio: Quia institutio, & significatio Calicis requirit, ut materia ejus sit potus; uvæ autem cibi potius, quam potus rationem habent, cum in eis vinum non contineatur, tanquam in vase, sed tanquam pars in toto, ad eum modum, quo sanguis V. C. in corpore animalis continetur. Nec acetum est materia; cum sit vinum corruptum, & putrefactum. Potest tamen confici Sacramentum ex vino acido, sicut ex pane mucido, nondum corrupto, sed ad corruptionem disposito.

6 Mustum, seu vinum recens expressum valide consecratur, sed non licite; similiter vinum congelatum. De musto propter fæces obstat irreverentia. Vinum congelatum non est materia conveniens; est tamen valida: Quia vinum congelatum retinet substantiam vini. Quod vero aqua congelata non sit materia Baptismi, ratio est: Quia Baptismus essentialiter consistit in ablutione, quæ per glaciem fieri non potest: At S. Eucharistia essentialiter non consistit in potatione; perficitur enim, & perfecta manet ante usum. Unde vinum congelatum potest esse materia valida, sed non licita.

7 Admixtio aquæ ad vinum non est de essentia Sacramenti, sed præceptum tantum Ecclesiæ propter effluxionem aquæ, & sanguinis ex latere Christi. Joan. 19. Peccat tamen mortaliter, si non misceat aquam Sacerdos, juxta Concilium Tridentinum. Et secundum Henriquez, & Valentiam, non est improbabile, ex Christi præcepto, ab Apostolis nobis tradito, aquam vino miscendam esse.

8 Quid cum aqua fiat in calicem infusa, utrum in sanguinem Christi convertatur? magna olim fuit dubitatio.

9 Aqua, nisi valde copiose affusa fuerit, ut quantitatem vini superet, una cum vino in sanguinem Christi commutatur, juxta responsionem Innocentii Papæ, dicentis, *aquam cum vino in sanguinem transmutari*, ut expressius eluceat proprietas Sacramenti. Nam cum aquæ multæ sint, populi multi, &c. ideo vino aqua unitur, ut Christo populus aduniatur.

NB. Species aquæ non retinent Consecrationem; nisi sint cum speciebus vini consecrati conjunctæ, eo quod aqua vino mista non nisi accessorie sit materia Consecrationis.

10 Materia consecranda Sacerdoti moraliter præsens esse debet. Probatur ex consuetudine Ecclesiæ, & Pronomine *Hic*, *Hoc*, denotante rem sensibus expositam, tum ex ratione sacrificii, postulantis, hostiam, seu rem oblatam præsentem esse. Unde materia non consecratur, si sit a tergo Sacerdotis, aut sub Corporali latens. Nec tamen ex necessitate Sacramenti requiritur, ut materia manu teneatur, aut actu videatur, si V. C. Sacerdos cœcus sit.

11 Neque magnitudo, nec parvitas materiæ obstat, per se loquendo, quo minus valide consecretur, V. C. vinum in dolio, aut multitudo panum. Ratio: Quia & maximus panis, & minimus, vinum copiosum, & minimum, vere panis, ac vinum sunt. Dixi autem: *Per se loquendo*. Quia, si ponamus tam multam, vel magnam materiam, ut tota, seu secundum omnes partes suas sacrificanti moraliter præsens non sit, tunc non tota, seu non secundum omnes partes consecrabitur.

12 Ad valorem Consecrationis requiritur, ut Sacerdos materiam consecrandam determinate cognoscat, & intendat. Cum enim omnis actio transiens versetur circa singularia determinata, seu definita, sequitur, etiam intentionem Ministri, quæ est causa practica hujus actionis, sive Consecrationis, ferri debere in materiam determinatam, ac definitam; sicut etiam demonstrativum *Hic*, *Hoc*, significat. Quamobrem irrita est Consecratio, si Sacerdos habeat intentionem consecrandi aliquam partem materiæ indeterminate, ac disjunctim, V. C. si ex octo Hostiis præsentibus quinque indeterminate consecrare velit, vel unam aliquam partem Hostiæ indeterminate, puta, dimidiam, vel partem tertiam: Sin vero ex octo Hostiis quinque determinet, vel certam partem Hostiæ animo designet, valida est Consecratio, quamvis illicita.

13 Et si existimet, quinque tantum Hostias adesse, cum sint sex, omnes consecrat: Quia speculativus ille error, quo existimantur esse pauciores, nihil obstat practicæ intentioni consecrandi omnes præsentes. Cujusmodi intentionem, tanquam Ecclesiasticæ consuetudini conformem, quilque Sacerdos implicite, ac virtualiter habere censetur, nisi eam actu contrario excludat.

14 Si quis inscio, seu non advertente Sacerdote formulas in Altari ponat, non consecrabuntur, cum nec actualis, nec virtualis intentio adsit.

15 Totum, quod in calice per modum continui est, consecratur: Nam hæc videtur esse communis, & optima intentio Ecclesiæ consecrandi omnem liquorem consecrabilem, qui per modum unius continui in cali-

ealica continetur; Unde verisimile est, eas guttas vini non consecrari, quæ intra calicem, sive io interiore calicis superficie a reliquo vino separatæ hærent.

16 Quod si Sacerdos aliam propriam intentionem habeat, V.C. consecrandi omne vinum, adeoque guttas etiam separatas, quæ intra calicem continentur, aut si ita secum statuat: Si contingat, me tempore oblationis non recordari formarum appositarum pro Communione populi, vel si contingat, tempore Consecrationis me non recordari oblatorum, tunc nolo ea consecrare; fiet quidem, sicuti intendit, sed videtur peccare, eo quod intentio talis conformis non sit communi intentioni, ac praxi Ecclesiæ.

Regula in praxi observanda.

I. Advertant Parochi hostias consecrandas convenienter esse fieri ex tritico perfectissimo a seminibus alterius speciei omnino segregato; candidissimas item esse debere, ut ita etiam in ipsarum præparatione erga tantum Sacramentum reverentia ostendatur. Apud aliquos etiam fuit in usu, ut a personis non laicis fierent; adeoque Concilium Mediolanense IV. noluit hostias consecrandas confici ab homine laico, aut fœmina. Item omnino observandum ne vinum consecrandum aliquas fæces admixtas habeat, nec incipiat acescere, vel corrumpi, quia in ea posset leviter, vel graviter Sacerdos peccare, juxta dicta capite superiori.

II. Dantur aliqui scrupulosiores Sacerdotes, qui si aliquid parum ultra duas, aut tres guttas aquæ in calicem fortuito infundant, statim novum vinum infundunt, quasi quod prius infuderant, non amplius aptum sit pro consecratione. Ita se gerunt ex ignorantia; si etenim tantum aqua non admisceatur, ut vinum non amplius absolute dici possit vinum, sicut certe dici potest, quamvis non solum tres, sed etiam sex, seu octo guttæ eidem misceantur, utique est aptum pro consecratione. Improbanda ergo est illa solicitudo duas, vel tres tantum guttulae infundendi, quamvis etiam aliquæ de plus infundantur, non ideo non verificatur modicam aquam infundi, ut præscribit Ecclesia. Immo ex illa solicitudine unas, aut duas tantum guttulas infundendi, ita perturbari potest phantasia, ut aliquando nihil infundantur.

III. Cum certum sit validam esse consecrationem etsi per aliquos passus Sacerdos distet a materia consecranda, hinc dignoscendum quam impropria se gerant illi Sacerdotes, qui dum consecrant, ita ore hostiæ approximantur, quasi in aure alicujus vellent secretissime loqui. Idem faciunt in consecratione Calicis, quasi pertimescant aliquod verbum ex illo egredi. In hoc agendi modo ego aliquam etiam indecentiam agnosco, nam halitu hostia ipsa & calix quodammodo madefiunt.

IV. Ne Sacerdos scrupulis agitetur, habeat semper intentionem consecrandi quidquid super Corporale est licite consecrabile. Si nihilominus inveniat post consecrationem aliquam hostiam, vel partem ipsius in altari, de qua dubitet, an fuerit consacrata, illam consummet post receptionem Sanguinis. Idem faciat Sacerdos, si dum pergit ad altare ut Missam celebret, adinveniat super eo hostiam, quam scire non possit, an fuerit consacrata, necne.

CAPUT III.

De Forma S. Eucharistiæ.

1 FOrma substantialis verborum, quibus Christi corpus conficitur, hæc est: *Hoc est corpus meum.* Et quibus calix consecratur: *Hic est sanguis meus.* Prob. ex facto Christi, apud Evangelistas, & S. Paulum 1. Cor. 12. v. 24. addito præcepto: *Hoc facite in meam commemorationem.* Tum etiam ex perpetua Ecclesiæ traditione, ac praxi.

2 Virtute illorum verborum: *Hoc est corpus meum; Hic est sanguis meus;* per omnipotentiam Dei substantialis fit conversio panis in corpus Christi, & vini in sanguinem.

NB. 1. Sensus horum verborum, *Hoc est corpus meum*, est: Contentum sub his accidentibus, sive speciebus est corpus meum; quod verificatur, quamprimum verba finita sunt. Et hæc quatuor vocabula sone de essentia transsubstantiationis: reliqua tamen recitative ex necessitate præcepti adjunguntur.

NB. 2. Sensus horum verborum, *Hic est calix sanguinis mei, &c.* est: Hic est sanguis meus contentus in calice.

NB. 3. Reliqua verba: *Novi, & æterni Testamenti, &c.* licet ad essentiam formæ non pertineant, tamen sine gravi peccato omitti non possunt; cum a Christo ipso dicta esse partim ex Scriptura, partim ex traditione habeatur.

3 Omnia verba Canonis, incipiendo a *Qui pridie* usque ad *Unde & memores*, dicuntur a Sacerdote recitative, & historice; sola autem verba, *Hoc est corpus meum, Hic est calix sanguinis mei*, dicuntur non tantum recitative, sed etiam formaliter, significative, & assertive; induendo enim Sacerdos personam Christi ipsemet facit, & dicit, quod ille in commemorationem suam, ac repræsentationem Sacerdotes facere præcepit: Nam, nisi Sacerdos in commemorationem Christi verba Consecrationis formaliter, & significative proferret, affirmando, & asserendo, hoc, quod in manibus tenet, esse corpus Christi, verborum virtute non fieret Consecratio, sive conversio; quia verba Sacramentorum non efficiunt, nisi quod significant. Confirmatur. In forma Sacramenti necessario significari debet actio Ministri; id autem non fieret, nisi Sacerdos, tanquam Christi personam repræsentans, significaret, per hanc suam ministerialem verborum consecratoriam formam converti panem in corpus Christi, & vinum in sanguinem.

Regula in praxi observanda.

I. Non bene se gerunt illi Sacerdotes, qui subtiliter timentes non rite consecrare, tali vi proferunt verba, ut etiam capitis motu quodcumque verbum velint associare: quod certe non reverentiam in adstantibus, sed admirationem, & quandoque etiam risum potest excitare. Alii tanta expressione proferunt verba, ut pro ly *hoc*, clare dicant *hoche*, pro ly *meum* dicunt *meumme*, pro ly *calix*, dicunt *calixe &c.* Alii incepto aliquo verbo, iterum ab initio resumunt, dicendo a. g. *me meum*. Isti excusari quidem possunt ratione scrupulorum, quibus agitantur: cæterum non ut convenit, tali modo utique increpando proferunt verba consecrationis. Cogitent isti, quæso, an credendum sit Christum Dominum proferentem in ultima Cœna verba consecrationis, tam caput agitasse, & an verba præter naturalem loquendi modum pronuntiaverit. Ad exemplum Christi Domini considerent etiam, qui nullam animi pietatem, ac reverentiam in sacrosanctis verbis pronunciandis exprimunt; & dum nomine Christi loquuntur, non majorem ostendunt reverentiam, ac si de prophano aliquo negocio loquarentur. Ex alio etiam capite non pauci Sacerdotes deficiunt, dum consecrationis verba elata fere voce exprimunt contra ritum Ecclesiæ.

II. Si forte accidat Sacerdotem non meminisse, se pronuntiasse verba consecrationis, ordinarie loquendo crederem non repetenda; nam difficillime aderit dubium prudens omissa fuisse, cum bene possit accidere nos non recordari eorum, quæ diximus, dum super ea non reflectimus. Dixi, ordinarie loquendo, nam si detur Sacerdos, qui sciat aliquando ita distrahi aliis cogitationibus, ut vel in Officio recitando, vel in Missa celebranda facile erret, & aliqua omittat, iste si non recordetur prolatæ consacrationis, non impudenter timebit illam omisisse. Ego scio aliquem fuisse Sacerdotem, vitæ alias satis probatæ, qui a precibus Primæ non difficiliter transibat ad preces Completorii, & in Missa a Memento Vivorum ad Memento Mortuorum. Dum ergo detur dubium prudens vel omissam fuisse formam consecrationis, vel aliquod verborum formæ essentialium, vel de quibus dubium est, an sint essentialia, Consecratio est repetenda, ac deinde prosequenda reliqua, ne immutetur Ordo Sacrificii: t S. *Thom. 3. p. qu. 83. art. 6. ad 5.* Quid vero dicendum de iis, qui sine dubio rationabili repetunt formam, vide in Tractatu de Sacramentis in genere *cap. 4. qu. 6. resp. 3.*

CAPUT IV.

De Subjecto, seu Personis suscipientibus hujus Sacramenti.

1 TRes sunt manducationes, seu modi sumendi S. Eucharistiam. Primus est manducatio Sacramentalis tantum, tamen sine effectu; qui sumendi modus locum habet in peccatoribus, juxta Apost. 1. Cor. 11. *Judicium sibi manducat &c.* Secundus modus est manducatio mere spiritualis, solum per desiderium communicandi. Tertius est manducatio spiritualis, & Sacramentalis simul.

NB. Quod si quis ex invincibili ignorantia alicujus peccati mortalis communicet, aptum est hoc Sacramentum etiam hominem justificare (*a*), alias per se solum ad augmentum gratiæ conferendum institutum pro justis.

„ (*a*) Adde tamen si adsit dolor generalis de omni- „ bus peccatis.

2 Olim etiam infantibus Eucharistia dabatur; nunc tamen dari non solet ante sufficientem rationis discretionem. Nam licet S. Eucharistiæ Sacramentum parvulis collatum gratiam augeat, tamen ipsis non est necessarium, nec proprie pro iis institutum: Habet enim rationem spiritualis alimoniæ, restaurantis vires animæ, quæ tum per internum concupiscentiæ fomitem, tum per externas spiritualium hostium insidias debilitantur. Hæc autem ratio necessitatis locum non habet in infantibus, quippe qui in gratia constituti sunt, quam in tali ætate amittere non possunt. Igitur ob majorem dignissimi hujus Sacramenti reverentiam non immerito parvulis denegatur.

3 Pueri, ac puellæ prius ad S. Confessionem, quam ad Sacram Communionem adducendi sunt: Quia ex una parte Sacramentum Pœnitentiæ ipsis magis necessarium est, si forte in mortale lapsi sint. Deinde nulla irreverentia in Confessione puerorum committitur; si enim doli capaces non sint, non debent absolvi.

In extremis tamen possunt pueri confitentes etiam communicari: Quia, *cui Sacramentum Pœnitentiæ conceditur, neque Eucharistiæ Sacramentum negari debet, si desideret.* Et c. penult. 26. q. 6.

Consuetudo in quibusdam locis prohibens, ne pueri an-

ri ante annum decimum quartum, fœmellæ autem ante duodecimum annum, ad Communionem admittantur, non est damnanda, idque tum propter reverentiam Sacramenti, tum propter majorem fructum recipientium, si melius dispositi accedant. Nec, ut Chapeaville ait, ante dictam ætatem pueri in mortis articulo ad Communionem obligantur (*a*).

„ (*a*) Benedict. XIV. in Tract. de Syn. Diœces. „ monet non eandem ætatem desiderari in pueris in „ mortis articulo versantibus, ac in iis qui recte va„ lent. In morituris Parrochus discutiat num tanta „ valeant perspicacia, ut Christum sub speciebus „ Sacramentalibus firmiter eredant, & adorent.

NB. Pueri propter animi levitatem non tam frequenter admitti debent ad Communionem, quam adulti; quod tamen Confessarii prudenti relinquitur.

4 Perpetuo amentibus non est danda S. Eucharistia, ut infantibus. Qui vero post rationis usum in amentiam inciderunt, his in mortis articulo tantum S. Eucharistia danda est, si capaces esse videantur. Ratio: Quia tanti Sacramenti dignitas, ac reverentia postulat, ut sine gravi necessitate non detur, nisi iis, qui cum actuali dispositione, ac devotione accipere possunt: Talis autem necessitas non nisi in mortis articulo cernitur, ne amentes absque Viatico decedant, quod ante amentiam ipsos seu explicite, seu implicite desiderasse eo ipso præsumitur, quod Catholice, atque obligationis, & salutis suæ non immemores vixerint; id vero propositum, ac desiderium, cum ipsi in tali statu per se exequi non possunt, Ecclesia merito supplet. Accedit, fieri potuisse, ut in peccato mortali, quod vel ignorabant, vel de quo imperfecte contriti erant cum proposito confitendi, in amentiam inciderint: Quo casu per susceptionem S. Eucharistiæ justificari poterunt, juxta Suarez. Excipe primo: Nisi præsumi debeat, aliquem in statu peccati mortalis, atque impœnitentem in amentiam incidisse. Secundo: Si amens sine periculo irreverentiæ communicari non possit: Cujus rei experientia capi potest præbendo illi unam, vel alteram Hostiam non consecratam. Tertio: Si spes sit, amentem recepturum usum rationis, tunc tale tempus exspectandum est, ut cum majori fructu, & reverentia Sacramentum suscipiatur.

NB. Semiamentes, & qui imperfecte usum rationis obtinent, ad Communionem admittendi sunt; modo eum rationis usum obtineant, ut peccare, & Sacramentalem absolutionem accipere, atque inter cibum spiritualem, & profanum discernere possint: Alioquin inter infantes numerandi erunt.

5 Surdis, & mutis a nativitate S. Eucharistia, & alia Sacramenta ministrari possunt. Ratio: Quia, licet talis homo distincte edoceri, atque intelligere omnia non possit, quæ ad substantiam Sacramentorum concurrunt, sufficit tamen, si ad Eucharistiam accedat, tanquam ad cibum non profanum, sed spiritualem, in animæ salutem divinitus institutum; si Sacramentum Absolutionis petat, tanquam remedium peccatorum suorum, dummodo de iis doleat, &, quatenus potest, ea confiteatur. Plerumque autem talia muti, ac surdi colligere solent, attenta consideratione eorum, quæ ab aliis fieri vident, videlicet quod cum reverentia Sacram Hostiam adorent, cum devotione sumant; item, quod cum dolore, ac gemitu ad Confessionem accedant, accusantes se de peccatis suis: Hoc ipsum, inquam, si neque oculis privati, neque mente hebetes sint, deprehendere possunt, ac solent partim propria consideratione eorum, quæ ab aliis fieri vident, partim etiam nutibus, ac signis, quæ ab aliquo instructore ipsis adhibentur. Talem autem instructionem facilius adhibebunt ii, quibus cum surdus, ac mutus continuo habitat, vel saltem Confessarius a talibus edoceri poterit, quomodo cum surdo, ac muto nutibus agere debeat, ut vim spiritualem Sacramenti aliquo modo percipiat, & quædam peccata, quatenus potest, signis declaret ad Absolutionem accipiendam. Non debet tamen Confessarius (excepto mortis periculo) mutum, & surdum absolvere, quamvis de peccatis suis dolere se significet, pectus tundendo &c. nisi unum saltem peccatum in specie aperiat per consuetum sibi aliquem nutum.

6 Energumenis, seu obsessis S. Eucharistia danda est, si eam absque irreverentia sumere possint, & non propter scelera sua in potestatem diaboli venerint.

CAPUT V.

De necessitate, & obligatione hujus Sacramenti suscipiendi.

1 SUmptio S. Eucharistiæ, proprie loquendo, non est necessaria hominibus necessitate medii ad salutem: Quia tantum hæc duo, Baptismus, & Pœnitentia, instituta sunt, tanquam media per se justificationis; Baptismus ad remissionem peccati originalis; Pœnitentia autem pro lapsis. At Eucharistia neque est instituta ad remissionem culpæ originalis: Nam alioquin etiam parvulis foret danda; quod reprobat Concilium Tridentinum. Neque ad remissionem mortalis peccati: Nam alioquin, qui mortaliter peccasset post sumptum Viaticum, deberet denuo Eucharistiam sumere, si posset; quod tamen Doctores communiter negant. Imo nec licitum est eodem die iterum sumere, etsi infirmus, qui post sumptum Viaticum mortaliter peccavit, mox se moriturum existimet, sed sufficiens ei est, atque necessarium Sacramentum Pœnitentiæ, re, vel voto sumptum. Qua de re Suarez disp. 40. s. 2.

2 Sumptio S. Eucharistiæ fidelibus adultis necessaria est necessitate præcepti divini non tantum in mortis articulo, sed sæpius in vita. Hæc Assertio habet tres partes. Prior probatur ex verbis Christi Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis, non habebitis vitam in vobis*. Secunda pars probatur ex perpetua praxi Ecclesiæ, magna diligentia caventis, ne infirmi sine Viatico decedant. Unde Parochis curandum est, & mos in Ecclesia semper viguit, pro morituris in Sacrario S. Eucharistiam asservari debere. Tertia pars Assertionis, quod fideles in vita sæpe ex Christi præcepto Joan. 6. obligentur communicare, probatur: Quia hoc Sacramentum institutum est per modum spiritualis cibi, & potus, nutrientis animam; qua analogia significari videtur, sine cœlesti hoc cibo vitam hominis spiritualem diu consistere non posse, juxta Joan. 6. *Nisi manducaveritis carnem Filii hominis &c.*

3 Frequentius accidit, ut S. Eucharistia ad infirmos deferenda sit, quam extrema Unctio: Quia non tantum mortis periculum exspectandum est ad communicandum infirmum, quantum ad ungendum.

4 NB. Solum in probabili periculo mortis. Eucharistia non jejunis porrigenda est.

Si homo paucis, V.C. octo diebus ante, quam in mortis periculum incidit communicaret, non tenetur iterum communicare; secus, si longiore tempore: Nam præceptum de Eucharistia ante mortem sumenda secundum substantiam implevit. Imo Sa, Cajetanus, Armilla negant, eum mortaliter peccare, qui, cum in Paschate communicarit, superveniente mortis periculo S. Communionem intermittit per negligentiam, tamen sine contemptu.

5 Ecclesia non permittit, ut aliquis intra eundem diem bis communicetur.

6 Parochi advigilare debent, an aliqui in mortis periculo constituti sint, ut mature, & de die S. Viaticum illis adferant; si tamen necesse sit, etiam nocte.

7 Frequens S. Eucharistiæ sumptio commendabilis est, & juxta morem Ecclesiæ primitivæ quotidie potest initiari. Actor. 2. Laicis tamen propter distractiones, & impedimenta hujus vitæ octavo quoque die permittitur, idque judicio Confessarii.

8 Ecclesiæ præcepto fideles obligantur ad Eucharistiam in Paschate sumendam, videlicet a Dominica Palmarum usque ad Dominicam in Albis, idque communi jure; alioquin per consuetudinem extensum est hoc tempus, ut totam Quadragesimam complectatur, uti Mediolani; Monachii autem quatuordecim dies ante & quatuordecim dies post Pascha observantur. Quod si quis Paschali tempore non communicet, debet postea, quamprimum commode potest communicare: Cum enim unum principaliter præcipitur, alterum secundario, etsi, quod secundarium est, negligatur, aut servari non possit, debet tamen impleri, quod principale est; ut si quis obligatur, tributum solvere in die S. Georgii, si tunc non solvat, postea, quamprimum potest, solvere cogitur. Sic autem Ecclesiæ principalis intentio est, obligandi fideles ad S. Eucharistiam singulis annis saltem sumendam; secundario autem determinat tempus Paschale, veluti maxime conveniens, ob memoriam tum Passionis Dominicæ, tum institutionis hujus Sacramenti.

9 Qui prævidet, se in Paschate a S. Communione impeditum iri, non tenetur tempus præscriptum prævenire;

nire ; modo intra eum annum semel communicarit. Ratio : Quia nemo obligatur ad anticipandum opus præceptum, nisi tali anticipatione satisfiat præcepto Ecclesiæ de Communione Paschali : Quod eo signo colligitur, quia, si ponamus, postea impedimentum præter opinionem tolli, adhuc obligatus erit ad Paschalem Communionem.

50 Pœnæ Canonicæ iis decretæ, qui annuam Confessionem, seu Communionem Paschalem intermittunt, non sunt sententiæ latæ, sed ferendæ ab Ordinario loci. Unde Parochi propter defectum jurisdictionis in foro externo non facile eam pœnam inferre debent, nisi ex commissione Ordinarii.

51 Nullum Christi præceptum extat de Sacra Communione ab aliis, qui non sacrificant, sub utraque specie sumenda. Ratio : Quia, quæ ad accidentales modos, seu ritus Sacramentorum pertinent, ea Christus non præcepit, sed Ecclesiæ disponenda reliquit ; Atvero communio sub una, aut utraque specie ad accidentalem modum sumptionis S. Eucharistiæ pertinet, quippe realiter toto Christo sub qualibet specie contento : Ergo de ea Christus nihil præcepit, sed Ecclesiæ reliquit secundum temporum, & locorum circumstantias determinandum. Unde illud Joan. 6. de una specie : *Caro mea vere est cibus*. Et 1. Cor. 10. *Unus panis, & unum corpus multi sumus, qui de uno pane participamus*. Et Joan. 6. *Qui manducat me, vivet propter me*. Manducando enim S. Eucharistiam, sub speciem panis Filius Dei in nobis manet, & nos in ipso. Idque explicat Concilium Tridentinum Sess. 13. c. 3. ubi ait ; Licet ex vi verborum Consecrationis solum Christi corpus adsit, tamen per concomitantiam, seu connexionem adesse sanguinem, animam, & vitam ; quandoquidem Christus, postquam ex mortuis surrexit, iterum moriturus non est. Rom. 5. Adesse etiam Divinitatem propter admirabilem, & indissolubilem Verbi Divini cum corpore, & anima ejus hypostaticam unionem. Objectionum solutiones vide in Authore.

NB. Sacerdos de oblatis suis, adeoque de utraque specie participare debet, juxta præceptum Christi ; quo tendunt verba Apost. 1. Cor. 11. *Hoc facite, quotiescumque bibetis, in meam commemorationem : Quotiescunque enim manducabitis panem hunc, & calicem bibetis, mortem Domini annuntiabitis, donec veniat*. Idque ob perfectionem Sacrificii.

12 Essentia, & spiritualis fructus Eucharistiæ, quatenus Sacramentum est, in unica specie consistere potest.

53 Sacra Communio sub una panis specie in veteri etiam Ecclesia usitata fuit. Patet ex Clemente Alexandrino, Tertulliano, Basilio, Hieronymo,

14 In veteri Ecclesia consuetudo erat S. Eucharistiam, in Ecclesia a Sacerdote acceptam, domum ferendi in mundo linteo, & sumendi ; qui tamen mos postea sublatus est.

15 Clericorum Communio olim appellata erat, quæ intra Altaris cancellos fiebat ; Laicorum vero, quæ extra cancellos. Clerici sub utraque, Laici sub una communicabant.

16 In veteri Ecclesia indubitatum erat, S. Eucharistiam Consecratione effici, extra usum permanere, adorandam, & asservandam esse ; ut attestantur Patres, Dionysius Areopagita, Clemens, Origenes, Basilius, Nazianzenus, Chrysostomus, & alii.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Nunquam satis redargui possent, si aliqui essent Parochi, qui ob timorem perterrefaciendi infirmos vel ob quamdam non laudabilem erga Personas Nobiles reverentiam, tamdiu differrent illis administrare SS. Viaticum, ut ex gravitate morbi vix cognoscere possent quid faciant. Sciant non solum eos privare illo majori fructu, quem ex virtute Sacramenti obtinerent, si possent melius se ad illud disponere, sed ulterius fortasse eos hoc illos in æternum damnandos. Quis etenim scire potest an ratione Confessionis in Gratiam redierint ? ratione etenim morbi carere potuerant necessaria dispositione. Si ergo nondum morbo nimis oppressis Eucharistiam administrarent, admonendo illos, ut præmitterent dolorem suorum peccatorum, justificari potuissent mediante Eucharistia, adeoque & æternam consequi salutem.

II. Nunquam pariter satis redarguendi, si qui sunt ita segnes Parochi, ut dum Viaticum rudibus Personis debent administrare, non prius cum Infirmo aliquo tempore agant de pietate, devotione, ac dolore suorum peccatorum, quo tantum Sacramentum debet recipere ; & post acceptum Viaticum, si possibile sit, non redeant ad eundem infirmum, ut illum adjuvent, & instruant de gratiis agendis Divino Hospiti, aliisque virtutum actibus exercendis. Non raro videmus rudes infirmos ita SS. Viaticum accipere, ut nec antea, nec postea aliquod pietatis signum demonstrent.

III. Non abstineant Parochi ab administranda Eucharistia pueris post usum rationis in periculo mortis constitutis. Universaliter autem ipsis suadeo, ut dum adest opinio vere probabilis pro iterum administranda Eucharistia infirmo, non servant, si possint, eam in praxi amplecti ; nam cum Christus Dominus in favorem animarum Sacramenta instituerit, videtur dicendum præcipue in periculo mortis nobis opitulari voluisse. Dixi, si possint, nam bene scio non facile esse Parochis Eucharistiam frequenter a propria Ecclesia ad eumdem infirmum deferre ; hoc tamen facillimum redditur, si in domo Infirmi Oratorium sit, in quo possit Missa celebrari.

IV. Diligentissimus debet esse Parochus in investigando, an sui Parochiani satisfecerint præceptis de annua Confessione, & Communione ; si etenim negari non possit munus proprium spiritualis Pastoris esse æternæ saluti ovium sibi commissarum invigilare, certe valde deficiet in suo munere, si de observantia istium præceptorum non certioretur. Sed quia in omnibus præcedere debet prudentia, advertat viros, ac mulieres probatæ vitæ non sine injuria de Schedula Confessionis peractæ exhibenda posse interrogari. Si vero tales sint aliquorum mores, ut merito de Confessione peracta dubitat, videat ita Schedulam Confessionis expostulare, ut sibi injuriam fieri non putent, sed dicat id facere, ne proprio Officio deficiat ; itaque non coram aliis de hoc interroget, nam statim occasio daretur de mala ipsarum vita saltem suspicandi.

Commodius exposcet Parochus Schedulam Communionis ab omnibus indifferenter, cum id respectu omnium sit in usu. Nihilominus & in hoc agnovi quosdam Parochos nimis diligentes ; quosdam scilicet, qui jura sibi exhiberi volebant Schedulam Communionis ab iis, qui rure, sed intra Diœcesim, per aliquod tempus commorati fuerant, unde satisfecerant præcepto Communionis Paschalis ubi morabantur. Credidi non posse eam jure exigere, nam ipsorum Parochus quoad Communionem Paschalem erat Parochus loci, ubi morabantur, unde si huic præcepto non satisfecissent, ad ipsum pertinebat Episcopum monere ; adeoque si non monuit, signum erat propriæ satisfecisse obligationi. Accedebat, eos, a quibus exigebant Schedulam Communionis, quam frequenter etiam intra annum solitos fuisse Eucharistiam percipere ; & per consequens oriri non poterat in Parocho Civitatis dubium rationabile eam in Paschate omisisse, adeoque non conveniens fuisse sollicitum esse de Schedula sibi exhibenda. Aliter discurrendum de Parochianis, qui tempore Paschatis extra Diœcesim morabantur, nam si hi in Paschate non communicaverint, innotescere haud potest proprio Parocho ; quapropter conveniens est erit Schedulam Communionis exigere, maxime si non sint vitæ probatæ.

V. Non bene se gerunt illi Parochi, qui indiscriminatim non admittunt ad Communionem pueros, nisi postquam ad certam ætatem pervenerint, puta nisi attigerint annum duodecimum. Cum teneantur Eucharistiam suscipere statim ac tale lumen rationis illucescit, ut possint ad eam debita cum devotione accedare, & si illud in aliquibus etiam ante talem ætatem appareat, isti arceri non possunt ab Eucharistia, & muous est Parochi illos diligentissime instruere, ut possint tantum Sacramentum recipere.

CAPUT VI.

De requisita animi, ac corporis dispositione ad susceptionem S. Eucharistiæ.

1 PEccata actualia commissa inter communicandum (venialia) licet effectum S. Eucharistiæ, quæ est gratia sanctificans, non impediant, eo quod non ponant obicem gratiæ sanctificanti, quandoquidem cum ea consistere possunt ; faciunt tamen, ut Sacramentum minus reverenter suscipiatur.

2 Ad augmentum gratiæ in suscipiente justo alias actualis dispositio non requiritur necessario, nisi ut Sacramentum voluntarie suscipiatur, tanquam spiritualis cibus animæ. Nam alioquin sequeretur, quod homo justus suscipiendo Eucharistiam sine actuali devotione mortaliter peccaret, & justitiam amitteret ; quia poneret obicem gratiæ Sacramenti : Consequens autem videtur absurdum, & contra communem fidelium persuasionem.

3 Cum peccato veniali actuali S. Eucharistiam suscipere venialis irreverentia est : Eo quod venialia repugnent fini secundario hujus Sacramenti, & effectui, qui est, ut per modum cibi spiritualis animæ jumentis consolationem afferat ; venialia autem impediant hunc effectum consolationis hoc ipso, quod actualem devotionem, & charitatis fervorem directe impediant.

4 Qui cum conscientia peccati mortalis S. Eucharistiam sumit, grave sacrilegium committit. Ratio : Quia, præterquam quod hoc Sacramentum ex iis ipsis sit, quæ non mortuorum, sed vivorum sunt, peculiariter etiam institutum fuit, ut homines cum Christo uniat, cui unioni quam maxime repugnat peccatum mortale ; quippe quod hominem a Deo avertit, & inimicum reddit. Confirmatur ex Apost. 1. Corinth. 11. *Probet autem se ipsum homo, & sic de pane illo edat, & de calice bibat. Qui enim manducat, & bibit indigne, judicium sibi manducat, & bibit.*

5 Communicaturus, si mortalis peccati conscius sit, sacramentaliter confiteri debet, si id fieri possit, juxta Concilium Tridentinum. Ab hoc tamen præcepto excipitur casus, quo urgente sacrificandi, aut communicandi necessitate Confessarii copia non est. Talis necessitas censeri debet. I. Ut morituro Viaticum præbeatur, si alia Hostia consecrata desit. II. Si Sacrificium, vel Communio sine gravi infamia, vel populi scan-

scandalo omitti oon possit. III. Si Sacerdos ex officio eelebrare teneatur, aut fideles jure suo Sacrificia exigant, neque per alium id perfici possit. IV. Si Sacerdos post Consecrationem recordetur peccati mortalis, debet elicita contritione Sacrificium prosequi: Si autem ante Consecrationem mortale peceatum committat, vel ante commissi memoria incidat, obligatus videtur ad confitendum, si commode, & sine nota infamiæ possit, præsertim Canone nondum cœpto. Sed contrarium docet Sotus, etiam Sacerdotem recordantem, se esse io mortali, ne quidem post Introitum teneri discedere. Quæ Sententia in praxi sequenda est: Quia vix unquam Sacerdos sine confusione Missam interrumpere, & confiteri potest.

6 Satius est, die festo Missam intermittere, quam non præmissa Confessione Sacramentali, sed sola contritione elicita de peccato mortali sacrificare: Quia præceptum, quod minus est de Missa festo die audienda, vel facienda, cedit majori præcepto de non sacrificando cum conscientia peccati mortalis, nisi præmissa Sacramentali Confessione. Excipe tempus Paschale, quo Sacerdos melius faciet, si non habens copiam Confessarii præmissa contritione sacrificet, quam si Paschalem Communionem omnino intermittat.

NB. Tunc autem copia Confessarii non habetur, si vel nullus adsit Sacerdos approbatus, ad absentem autem sine magna difficultate, spectatis circumstantiis personæ, itineris, accessus esse nequeat, vel si adsit quidem Sacerdos Confessarius jurisdictione præditus, cui tamen pœnitens sine periculo gravis jacturæ confiteri non possit.

7 Sacerdos, qui ob necessitatem ad vitandum grave scandalum sine prævia Confessione celebravit, quamprimum postea confiteri debet, si mortale habuerat. Laici autem non possunt communicari sine prævia Confessione, si non habeant Confessarium.

8 Peccatori publico seu publice, seu privatim petenti neganda est Eucharistia. Ratio: Nam ex ona parte publicus peccator neque re ipsa, neque externa specie jus habet S. Eucharistiam petendi. Ex altera vero parte ad Sacerdotis officium spectat, ut sit fidelis dispensator, & sanctum non det canibus. Matth. 7.

NB. Tribus autem modis crimen notorium fit. Primo: Per confessionem Rei in judicio. Secundo: Per sententiam condemnatoriam, in eundem latam; quæ duo sunt notoria Juris. Tertio: Notitia facti, si crimen palam commissum nulla tergiversatione celari possit. Quod si jam crimen per publicam sententiam, aut notitiam facti notorium fit, criminoso, quem Sacerdos scit, in crimine persistere, negare potest Eucharistiam. Imo, etsi Sacerdos privata notitia sciat, peccatorem emendatum esse, si tamen emendatio publice ignota sit, & criminis infamia perseveret, neganda ei est Eucharistia ob scandalum vitandum: Quod tamen scandalum tollitur, si pœnitens post Sacramentalem Confessionem in privata Capella communicec.

Adde: Propter publica quoque, & vehementia criminis indicia, quæ violentam præsumptionem inducunt, S. Eucharistia neganda est, V. C. incarceratis propter magiam, & nondum confessis, donec infamia laborantes se purgaverint.

9 Ad Sacram Eucharistiam sumendam in criminis purgationem Reus suspectus cogi non debet ob periculum gravissimi sacrilegii; quod maxime verum est, si is, a quo tale juramentum exigitur, delictum suum manifestare non teneatur. Quare graviter peccat maritus V. C. si uxorem cogat, ut hoc modo se a suspicione adulterii liberet.

10 Peccatori occulto S. Eucharistia negari potest, si privatim petat. Ratio: Quia, cum peccator nullo jure S. Eucharistiam petat, quippe quæ ex propria institutione, & peculiari sanctitate justis tantum, & sanctis convenit, ideo peccatori negari debet, si sine ejus infamia, populi scandalo, vel simili gravi incommodo negari potest.

NB. Tamen Sacerdos debet aliunde, & non ex Confessione notitiam peccati habere, ne fiat Confessio Sacramentalis odiosa.

Præterea peccatori occulto publice S. Eucharistiam petenti negari non potest; *quia nec Christus Judam a Communione removit*. Ratio: Quia decet, actus publicæ potestatis, & dispensationis exerceri secundum publicam notitiam, & opinionem, & non secundum privatam scientiam; cum alioqoin multæ perturbationes, scandala, iojuriæ, oriri possent. Idem dicendum de aliorum Sacramentorum publica petitione, V.C. Clerico Ordines conferri debere, etiamsi Episcopus sciat, illum propter occultum crimen depositionem mereri: Item ægroto S. Eoebaristiam urgenter petenti Parochus porrigere debet, etiamsi sciat, audita ejus Confessione indispositum esse, multisque adhibitis monitionibus disponere non possit ad accipiendam Absolutionem.

11 Parochus, qui occultum matrimonii impedimentum extra S. Confessionem cognovit, non debet ei assistere: Quia assistentia matrimonii non est dispensatio Sacramenti, sed officium testis; nemo autem testimonium præstare potest de acto, quem irritum esse novit.

12 Si solus Episcopus Ordinis accipiendi impedimentum novit, idque probare non potest, ordinationem homini denegare non potest.

13 Ad mortem damnatis Christianis S. Eucharistia per modum Viatici negari non debet: Nam, *cui Pœnitentia conceditur, neque Viaticum negari debet*. (a) Pridie tamen supplicii, vel eodem die, sed horis aliquot ante sententiam mortis latam præberi debet.

„ (a) Benedict. XIV. in opere Sacrif. Missæ l. 3.
„ c. 20. docet consuetudinem alicubi vigentem de ne-
„ ganda Eucharistia reis ad mortem damnatis nec pro-
„ bandam, nec rescindendam; sed cum datur aliquid
„ temporis interponendum esse inter communionem, &
„ mortem, quo species Eucharistiæ consummentur.

14 Corporalis macula per se non impedit a digna susceptione Eucharistiæ. Ratio: Quia sola malitia peccati, quæ animi deformitas est, impedit a digna sumptione hujus Sacramenti; corporalis autem immunditia per se non continet materiam peccati. Per accidens tamen potest esse venialis irreverentia, si immundiries facile mox tolli possit, ita immundum corpore accedere. Si autem duret, V. C. in menstruata, consultum est, ob reverentiam Sacramenti differre Communionem: Sed non peccat mulier, etsi menstruata accedat.

15 Pollutionem passus, quamvis culpa sua, post pœnitentiam communicare non prohibetur; Quia pollutionis peccatum, sicut & quodvis aliud, post legitimam Pœnitentiam perinde se habet, ac si non fuisset. Si tamen post pollutionem etiam involuntariam malignus effectus commotæ carnis, aut animi perturbati manet, consultum est, eo die abstinere, sed non tenetur; etiam ne quidem conjuges reddentes debitum spe prolis concipiendæ, aut necessitate coacti.

16 Mulier non obstante, quod communicare velit, marito debitum conjugii exigenti reddere debet: Quia implet bonum opus, & ex justitia debitum. Monenda tamen est uxor, non ita frequenter communicans, ut roget maritum, ut abstineat ob honorem Festivitatis. Quod si vero timeatur rixa, & offensa, debitum reddere debet.

17 Sacram Eucharistiam a jejunis sumendam esse, Apostolica traditio est, utpote a tempore Apostolorum observata. Christus autem post Cœnam porrexit S. Eucharistiam; quia secundum ritus veteris Legis debebat tunc Pascha celebrari: Voluit autem legem, & figuram præmittere, priusquam veritatem hujus Sacramenti institueret. Verba autem Christi, *Hoc facite &c.* non continent præceptum faciendi omnia, quæ Christus tunc fecit, sed solum, quæ spectant ad substantiam, & veritatem Sacramenti. Porro accidentales ritus, & modum ministrandi Ecclesiæ ordinandum relinquit.

18 Jejunium, quod communicaturo præcipitur perfectum, & naturale esse debet, adeo ut etiam deglutitione chartæ, nummi aurei &c. violetur. Ratio: Quia jejunium istud non ob temperantiæ virtutem, sed ob Sacramenti reverentiam institutum est, ut Sacra Hostia ante alia omnia in stomachum deveniat. Quod si quis inter eluendum os guttulas cum saliva mixtas deglutiat, vel si jusculum degustavit, & illico rejecit, etsi guttas cum saliva forte deglutiverit, non censetur violatum jejunium; item, si reliquiæ inter dentes hærentes casu deglutiantur, & non ex proposito.

19 Si modicum quid liquoris cum saliva per guttur casu trajiciatur, non impedit S. Communionem; eo quod ita trajectum in parva quantitate non habeat rationem cibi, aut potus, aut medicinæ *Casu* dico, non per se. Nam, si ablutio, quæ tamen modica est, a Sacerdote in nocte Nativitatis in prima Missa per se sumatur, ab altero Sacrificio celebrando impeditur. Potest tamen celebrare, etiamsi paulo ante duodecimam noctis comederit in nocte Nativitatis, etiamsi non dormiverit, nec cibus concoctus fuerit.

20 Certi casus sunt, quibus licitum est, S. Eucharistiam sumi a non jejunis. Primo: In articulo mortis; etiam, si mors immineat ex Judicis sententia, si is diutius exspectare nolit.

21 NB. Major affirmat, quod Sacerdos, si non ha-

beat Hostiam ad communicandum infirmum moriturum, post meridiem privatim consecrare possit, etiam panem fermentatum, dicendo sola verba Consecrationis sine vestibus sacerdotalibus. Sed alii Doctores communiter hæc negant: Quia Ecclesiæ consuetudo talia non permittit ob maximam hujus Sacramenti excellentiam, quod uno modo, ac ritu semper confici, & administrari plurimum interest. In raro tamen casu necessitatis, si infirmus moriturus aliud Sacramentum, videlicet Pœnitentiæ, aut extremæ Unctionis, suscipere non possit, & scandalum cesset, probabile est juxta Zambranum, non male acturum Sacerdotem, si ob ejusmodi hominis Communionem non jejunus sacrificet. Secundus casus: Si Sacerdoti non jejuno necessitas incumbat Sacrificii perficiendi; quod accidit I. Si loco vini consecrati aquam hausit. II. Si alteri post cœptum Canonem in Missa deficienti ad perficiendum Sacerdos non jejunus substitui debeat, quia jejunus non adest. Tertius est: Si Sacerdos post Consecrationem recordetur, se jejunum non esse, debet progredi in Sacrificio, imo etiam ante Consecrationem; quia ferme Sacerdos abstinere non potest sine nota. Ratio: Quia, *ubi difficultas occurrit, semper eligendum est id, quod minus periculi habet.*

22 Etiam post sumptam ablutionem licitum est Sacerdoti reliquias Hostiarum a se consecratarum in Altari absumere. Ratio: Quia ejusmodi reliquiarum absumptio refertur ad unum, idemque Sacrificium, quod plene absolutum non censetur, dum Sacerdos in Altari persistit.

NB. Quod si S. Eucharistia, nisi statim sumatur, incendio absumenda sit, vel in manus sacrilegas infidelium deventura, potest sumi a non jejuno.

23 Post sumptam S. Eucharistiam decens est, aliquamdiu a cibo, & potu abstinere, sed id in præcepto non est. Etiam non est licitum, statim exspuere.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Non sit nimis facilis Confessarius in admittendis quibusdam rationibus, quibus Sacerdotes, habentes conscientiam peccati mortalis, putant cum sola contritione potuisse Sacrificium celebrare. Dum e. g. adducant absentiam confessarii, si bene interrogentur, constabit etiam longius ituros, quando aliquid lucri percipere potuissent pro aliqua Ecclesiastica functione peragenda. Cur ergo & id præstare non debebant pro divino præcepto adimplendo? Si dicant celebrasse, ne populo scandalum præberent, cum sciat alias solere quotidie celebrare, Confessarius interrogando fortasse cognoscet hunc scandali timorem non habuisse, dum omnisit Missam pro venatione vel altero sæculari negocio, quod illi valde cordi erat. Præterea omne scandalum removeretur, si alio migrarent ad sua peccata expianda, quis etenim tunc sciret an Missam ommiserint, nec ne? Addendum tunc intervenire tale scandalum, ut celebrari possit Missa, sola præmissa contritione, quando prævideretur grave peccatum sequuturum, e. g. gravis detractionis. Hoc autem solummodo intervenire posset, si Parochus die festo non celebraret, vel ad summum valde frequenter alius diebus. Si proinde in alius casibus habens conscientiam peccati mortalis celebret cum sola contritione, ordinaria loquendo, vera ratio Missam non omittendi[illegible] erit velle non deperdere consuetam eleemosynam.

II. Quamvis per se, & ferio non impediatur a celebrando, seu a Communione percipienda, qui pridie, vel eodem die graviter peccavit, si Confessione peccatum deleverit, nihilominus consulendum illi est a celebrando, vel a Communione abstinere, maxime si peccatum carnis commiserit; tum propter corporalem immunditiam; tum propter mentis evagationem, quæ post talia peccata solet remanere: *S. Th. in 4. d. 9. q. 1. art. 1. 2. ad 2.* Imo bene est ita peccantibus Confessarium aliquando præcipere, ne tam cito ad Communionem accedant, ut ita majorem sui peccati horrorem concipiant. Bene etiam est iis suadere, ut antequam accedant ad Communionem curent operibus satisfactoriis delere reatum etiam pœnæ debitæ commissis peccatis; ut id non est necessarium, quapropter Alexander VIII. sub num. 22. sequentem damnavit propositionem: *Sacrilegi sunt judicandi, qui jus ad Communionem percipiendam prætendunt, antequam condignam de delictis suis pœnitentiam egerint.*

III. Quoad eum, qui passus est involuntariam pollutionem, sequentes regulas dat S. Thomas *3. p. q. 80. a. 7.* Videtur igitur debere ex quadam congruitate a Communione abstinere propter corporis immunditiam; maxime si evenerit ex turpi cogitatione, unde mentis evagatio perseveret. Id tamen non attendendum, si ratione alicujus diei festivi conveniens sit Communionem accipere; vel si non sit alius Sacerdos, qui Missam celebret. Vult etiam S. Doctor discretum Confessarium animadvertere quandoque involuntarias pollutiones ex Dæmonis nequitia causari, ut impediat hominem a sumptione hujus Sacramenti: & in hoc casu neque ex quadam congruentia abstinendum esse a Communione.

IV. Quoad exercentes actum conjugalem dicit ibidem S. Tho. in responsione ad primum, quod si illum exerceant causa voluptatis, videntur a Communione arcendi; sed quia non peccarunt nisi venialiter, certe non tenentur abstinere sub gravi culpa. Si vero exercuerunt actum conjugalem ex solo fine habendi sobolem, vel reddendi debitum, quamvis videatur ipsi ex quadam congruentia, propter fœditatem scilicet corporis, maxime si mentis avagatio perseveret, abstinendum esse a communione, nihilominus concludit relinquendos esse suo judicio: *Quia a cibis prohiberi non debet accipere, qui in igne positus, nescit ardere*, ait S. Gregorius *can. Vir cum propria 33. q. 4.* Audiatur etiam S. Franciscus Salesius in Introduct. ad Vit. Devot. p. 2. c. 20. „ Per render questo debito non deve alcuno affer privare dalla „ Comunione, se per altro la sua divozione lo spinge a desiderarla. Certo nella primitiva Chiesa i Christiani si comunicavano ogni giorno, ancorchè fossero maritati, e avessero la „ benedizione della generazione de' figli. Per questo ho detto, „ che la frequente comunione non reca scomodità alcuna nè „ a Padri, nè a Mogli, nè a Mariti, purchè l' anima, che si „ comunica sia prudente, e discreta ". Cæterum semper consulendum est iis, qui volunt recipere Eucharistiam, ut per aliquod tempus, vel saltem pridie abstineant ab actu conjugali, ut habetur *can. Omnis homo, dist. 2. de consecr.* & monet Catechismus *p. 2. c. 57.*

V. Abstineant omnino Ministri Ecclesiæ a reprehendenda frequenti Communione; & meminisse debent, quæ respondit S. Catherina Senensis illi, qui ipsam ob frequentem Communionem objurgabat, ea ratione quod S. Augustinus non reprehendit quidem frequentem Communionem, sed nec laudat. *Quæso ergo*, ait illa Sancta Virgo, *nec tu vituperes si non vis laudare.* Sciant igitur isti non laudabiles Criminatores frequentiæ Communionis communiter SS. PP. frequentiam Communionis commendare, propter magnam, quam affert hoc Sacramentum utilitatem, *& idea utile est quotidie illud sumere, ut homo quotidie ejus fructum percipiat*, ait S. Th. 3. p. q. 80. a. 10. Et Sacrosancta Tridentina Synodus *sess. 22. c. 6.* hæc habet: *Optaret quidem Sacrosancta Synodus, ut in singulis missis fideles adstantes non solum spirituali affectu, sed sacramentali etiam Eucharistiæ perceptione communicarent, quo ad eos hujus Sacramenti fructus uberior proveniret.*

Satagant potius Confessarii, ut frequenter communicantes ad Eucharistiam ea, qua par est, devotione, & fructu accedant, ut monet S. Congregatio in suo decreto edito circa frequentem Communionem an. 1679. 15. Febr. Debitæ autem dispositiones ad frequenter communicandum ad sequentes reducuntur. Prima est, ut frequenter ad Eucharistiam accedens immunis sit ab affectu etiam peccatorum venialium; quamvis enim non sit, qui ab ista peccatis omnino immunis esse possit, bene tamen carere potest affectu erga eadem peccata. Videatur S. Franciscus Salesius loco supra citato. Secunda est, ut frequenter communicans habeat vehemens desiderium recipiendi Eucharistiam, quod tamen oriri non debet ex quadam vitiosa habitudine, ut notat S. Franciscus Salesius, sed ex ardore Charitatis: illius autem originem dignoscet Confessarius ex fructu, qui ex frequenti Communione percipitur. Nihilominus perpendere debet prudens Confessarius, quandoque Dæmonem ad arcendas pias animas a Communione reddere illis valde molestum Eucharistiam recipere; unde si videat has ex communione fructum recipere, non debet permittere ab ea abstinere. Tertia est, ut ex frequenti Communione reverentia erga tantum Sacramentum non minuatur; unde *si aliquis experimentaliter cognosceret ex quotidiana sumptione fervorem magis augeri, & reverentiam non minui, talis deberet quotidie communicare*, ait S. *Th. in 4. d. 12. q. 2. a. 1. q. 1.* Quarta est, ut ex frequenti Communione dignoscatur Communicantem crescere de virtute in virtutem; qua de re legendus Jo: Avila *p. p. ep. 65.* Optat pariter S. Franciscus Salesius, ut quotidie volens Eucharistiam recipere, pravas inclinationes fere omnes superavare. Ultima dispositio, quam omnes, & præcipue Salesius vult in iis, qui frequenter ad Eucharistiam accedunt, ea est, ut omnino pendeant a judicio Confessarii; adeoque Decretum S. Congregationis supra citatum hæc habet: *Frequens Communio Confessariorum secreta cordis explorantium judicio est relinquenda &c.*

VI. Videat demum Confessarius, ut accedentes ad Eucharistiam etiam vestium decentia, & humilitate internam animi pietatem ostendant. En quomodo S. Carolus *Act. p. 4.* vult ad Eucharistiam accedendum: „ Pallio, *ait*, quantum fieri potest, „ adhibito, non biretis, pileisve pluma inaniter ornatis; armis „ depositis; tum denique corporis habitu decenti, humili, *mo*„ *desto*, non sordido. Mulieres non sumptuosis, non caudatis „ vestibus, non crinibus inaniter intortis; non fuco, aut pig„ mentis vultu illito, non pectore nudo, aut tenui velo obre„ cto; sed ita vestitæ, ut ne præter faciem quidquam nudum „ cernatur: velo denso bene super faciem demisso ".

CAPUT VII.

De Ministro S. Eucharistiæ.

1 Ordinaria potestas ministrandi S. Eucharistiam ex Christi institutione Sacerdotibus solis competit: Nam soli Sacerdotes ratione ordinationis suæ, adeoque ex officio potestatem habent super corpus Christi conficiendum, consequenter etiam dispensandum aliis, juxta exemplum Christi, prius Sacram Hostiam consecrantis, postea discipulis dispensantis, & adjicientis: *Hoc facite in meam commemorationem.*

2 Diaconi ex commissione Sacerdotis olim S. Calicem dispensarunt, & nunc quoque potestas dispensandi Sacrum Christi corpus in casu necessitatis eis dari potest, V. C. in absentia Sacerdotis, in mortis articulo.

3 Dispensatio S. Eucharistiæ requirit in Ministro jurisdictionem ordinariam, vel delegatam. Ratio: Quia dispensatio Sacramentorum, præsertim hujus, quo fideles spiritualiter pascuntur, est proprium munus Pastoris; quod proinde nemo alius sine illius commissione usurpare debet: Excepto casu necessitatis extremæ, quo omnibus Sacerdotibus etiam præcisis, & alioquin non toleratis communi jure licentia data est.

NB Regulares omnes incurrunt Excommunicationem Papæ reservatam, si sine licentia Parochorum Sacramentum extremæ Unctionis, vel Eucharistiæ Ipsorum subditis ministrent.

4 Regulares Mendicantes in suis templis, etiam Paschali tempore, S. Eucharistiam ministrare possunt, iis nimirum, qui in Parochia sua præcepto Ecclesiæ de Paschali Communione alias satisfacere parati sunt.

NB. Si Religiosi intelligant, Parochos nullo modo esse contentos, ut tempore Paschali in templis suis communicent, debent in Confessionibus Parochianis seve-

severe præcipere, ut in Parochia communicent. Quod si vero Religiosi habeant tacitum, vel præsumptum consensum Parochorum, possunt etiam tempore Paschali Parochianos communicare. Hoc notandum est, quantum fieri potest, ut Religiosi ipso die Resurrectionis a Parochianis communicandis abstineant, cum ipsis eo die ministratio Eucharistiæ interdicta sit, si Parochi non consentiant.

5 Nemo sibi ipsi Sacram Eucharistiam ministrare debet extra necessitatis casum. V. C. Si aliquis Clericus, seu laicus in mortis articulo constitutus Ministrum idoneum non habeat, a quo S. Eucharistiam sumat, nihil obstare videtur, quo minus se ipsum communicare possit scandalo cessante.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quamvis ex Theologorum opinione possint sine gravi culpa ommitti quidam ritus pro Eucharistia administranda præscripti, nihilominus diligentissimus sit Sacerdos in iis observandis, difficillime etenim quemcumque ritum sine scandalo ommittet. Hic etiam advertere debeo, non sine scandalo administrari Eucharistiam ab illis Sacerdotibus, qui tam festinanter, & oculis huc illucque vagantibus administrant, ut possent interrogari, an vere credant in Hostiis, quas dispensant, esse Christum Dominum. Tanta etenim est illorum irreligio, ut hoc non credere videantur.

II. Si necessitas cogat, ut Parochus valde festinanter procedat ad infirmum communicandum, puto id posse facere, quia cessabit omne scandalum; unusquisque etenim opinabitur id fieri, quia ita exposcit periculum, in quo est infirmus. Quoad Parochos Rurales, qui debent deferre Eucharistiam in loca longinqua, & per vias difficiles, observat *Barbos. de Off. Paroch. c. 20. n. 33.* ommittere posse umbellam, si de facili non possit deferri, & portare debere pyxidem unam tantum Hostiam continentem, eamque reponere in bursa serica decenter ornata, & collo appensam gestare, ne si contingat cadere in via, oriri possit irreverentia, & scandalum. Ita etiam præscripsit S. Carolus in *Act. Eccles. Mediol. p. 4. f. 684.* Concedit etiam sub numero 51. ut eat equo mansueto, si locus valde distans sit, & ita ferat consuetudo. Semper tamen habere debet habitum decentem, scilicet superpelliceum, & stolam, & curare debet habere Socios aliqua lumina deferentes.

TRACTATUS V.

De Sacrificio Missæ.

CAPUT PRIMUM.

De natura, proprietate, & effectu Sacrificii novæ Legis.

1 CUm sacrificium proprie dictum aliud non sit, quam *oblatio Deo facta per immutationem alicujus rei sensibilis in signum supremi super res omnes dominii ex publica, & legitima institutione*, consequens est, quod, sicut in aliis sacrificiis, ita & in hoc debeat adesse offerens, seu Sacerdos, qui est principaliter Christus Dominus, idem Sacerdos, & hostia, offerens, & res oblata, juxta Trident. S. Aug. Cyprian. Sacerdos autem offerens ministerialis est, qui Christi personam assumens, ac repræsentans profert verba Consecrationis, quibus novæ Legis Sacrificium essentialiter perficitur, & per oblationem Corporis, & Sanguinis Christi incruentam fructus ejus Sacrificii cruenti, tanquam generalis causæ, & originis nostræ salutis, nobis proxime, & particulatim applicatur; estque fructus finitus, qui ex Sacrificio incruento, tanquam ex causa proxima, hominibus re ipsa applicatur. Unde hoc Sacrificium repeti oportet; quandoquidem quotidie peccamus, & quotidie nobis nova indulgentia, & gratia Dei opus est.

2 Sacerdos in Missa totius etiam Ecclesiæ Vicarius est, & Legatus ad Deum; orat enim Sacerdos pro Papa, pro Antistite, pro Rege, deinde pro omnibus Christifidelibus, vivis, atque defunctis.

3 Ex Sacrificio duplex fructus, seu effectus provenit. Unus est *ex opere operato*; quia infallibiliter consequitur ipso opere externo posito, dummodo in suscipiente nullus obex sit, propterea quod Christus merita Passionis suæ tali sensibili operi rite exhibito speciali voluntate sua annexuerit ex pacto cum Deo Patre inito, ut proinde talis effectus ex justitia debeatur, ac certo, & infallibiliter conferatur independenter a dispositione, aut dignitate Ministri. Alter effectus est per modum impetrationis, partim ex dignitate, & apud Deum Patrem gratia ipsius Christi, in cujus nomine offertur, partim ex dignitate, dispositione, ac meritis de congruo, tum proxime offerentis, seu Ministri, tum etiam totius Ecclesiæ Sanctæ, cujus ille Legatum agit.

4 Sacrificium Missæ vere propitiatorium est, ex opere operato conferens remissionem peccatorum. Prius patet ex verbis Christi Luc. 23. Posterius probatur primo: Quia Christus peculiari ratione instituit hoc Sacrificium in peccatorum remissionem; Christi autem institutio efficax est, & voluntas ejus operatoria: Ergo certus fructus propitiationis ex sensibili Sacrificii opere secundum subjecti capacitatem consequitur. Secundo: Quia est communis fidelium persuasio, fructum propitiationis hujus Sacrificii, seu pro vivis, seu pro defunctis offeratur, non pendere ex bonitate, aut dignitate Ministri, seu proxime offerentis.

5 Sacrificium Missæ non habet vim, gratiam justificantem immediate conferendi his, pro quibus offertur (quia hæc virtus propria Sacramentorum est, ut actuali applicatione hominem suscipientem sanctificent), sed solum mediate per gratiam prævenientem, & excitantem homines pio aliquo motu ad pœnitentiam: Præcipuus fructus autem hujus Sacrificii est satisfactionis pro peccatis eorum, quibus applicatur, quamvis id nesciant, dummodo capaces sint.

6 Sacrificium Missæ utile est ad delenda peccata venialia illis, qui pro se offerunt, aut offerri postulant, idque per modum impetrationis, modo dispositi sint: Tunc enim habent voluntatem repugnantem venialibus culpis, & oratio per Christum Deo Patri oblata efficax est ad impetrandum, eumque propitium nobis reddendum; siquidem Sacrificium hoc imprimis præstans, & utile est ad remissionem peccatorum, quæ quotidie committimus, videlicet venialium.

7 Probabile est, Sacrificium novæ Legis habere infallibilem effectum gratiæ prævenientis, excitantisque peccatores ad pœnitentiam, justos vero, pro quibus offertur, ad majorem perfectionem: Quia Christus Sacrificio huic incruento simpliciter, & absolute tribuit virtutem remissionis peccatorum, Matth. 26. Quod sine necessitate non ad solam remissionem pœnæ restringendum est, sed etiam culpæ, non quidem immediatam, sed interveniente pio aliquo motu pœnitentiæ per gratiam prævenientem.

8 Per Sacrificium Missæ varia dona, & beneficia Dei impetrari possunt; quandoquidem orationibus nobis quibuscunque sancte ad Deum fusis tum nobis ipsis, tum aliis hominibus varia beneficia multo certius, & & perfectius assequi possumus, si preces, & desideria (in persona Christi, & Ecclesiæ, in qua multi sunt justi, effusa) annexa, & subnixa sint hostiæ Deo Patri gratissimæ, quæ suopte valore, & dignitate quodcunque nobis impetrare potens est. Quod vero interdum non consequamur, quod volumus, adeoque effectus impetrationis ex Sacrificio infallibilis non sit, causa est: Quia non habemus de ea re promissionem Dei absolutam, sed tantum conditionatam, si nobis, quod recta petimus, secundum divinæ providentiæ rationem dari expediat. Credibile tamen est, nunquam petitionem, præsertim eam, quæ Sacrificio adjungitur, omni fructu carere; quia, etsi non impetretur, quod petitur, aliud tamen confertur, quod utilius, ac melius esse Deus judicat.

9 Sacrificium Missæ ex natura sua, sive secundum primam, & remotam potentiam spectatum, habet quidam infinitam dignitatem, & valorem impetrandi tum ratione rei oblatæ, tum ratione primarii offerentis, qui est Christus Dominus, propter unionem hypostaticam infinite dignus: Attamen spectatum hoc Sacrificium secundum proximam potentiam, quam habet ex Christi institutione, & voluntate, non habet efficaciam producendi effectum infinitum, sed semper finitum, & limitatum, tam intensive, quam extensive: Nam, quod attinet ad finitam intensionem, tametsi Christi merita, & dignitas infinita sint secundum sufficientiam, & actum primum; tamen secundum applicationem, & actum secundum semper effectus finitus promanat per Sacrificium, & Sacramenta, veluti instrumenta a Christo instituta. Quod vero attinet ad finitam extentionem, quæ in eo consistit, quod fructus Sacrificii applicatus pluribus non multiplicetur, & augeatur in infinitum, sed in singulis dividatur, ac minuatur, optime probatur ex sensu, & praxi Ecclesiæ: Nam & Sacerdotes præcipuum Sacrificii fructum, qui provenit, quatenus ex Christi persona offertur, sæpe uni soli applicare, & fideles hoc ipsum desiderare, atque oblata stipe exigere solent: Quod non recte, & sapienter facerent, si Sacrificium oblatum pro pluribus tantundem fructus conferret singulis, quam si pro uno solo offerretur.

10 Una, eademque oratio plus impetrat alicui, si pro eo solo fiat, quam si pro pluribus, propterea quod postulatio debeat habere proportionem cum re postulata, ideoque non æque impetret rem difficilem, atque facilem, majorem, & minorem: Atqui Sacerdotis oratio, quatenus fit ad Deum Patrem, offerendo in persona Christi, unica tantum est in uno Sacrificio;

Nam effectus impetrationis oblationi, seu Sacrificio infallibiliter annexus non est, neque ex institutione Christi, aut promissione determinatus: Quinimo Sa- crificium applicatur, & determinatur ad impetrandum ab intentione, & voluntate Ministri, ut proinde mi- rum non sit, effectum impetrationis finitum, ac limi- tatum esse.

11 Sacrificium quoad impetrationem beneficiorum habet aliquo modo infinitam virtutem syncategorema- tice, quatenus fructus, qui per modum impetrationis provenit, tum ratione devotionis, tum ratione multi- tudinis privatorum offerentium magis crescere potest. Prob. ex communi fidelium persuasione, si plures Missam audiendo &c. Sacrificium Deo Patri offerant, non minorem fructum exinde referre singulos, quam si soli essent, propterea quod privatæ ejusmodi obla- tiones distinctæ sint, ideoque eis distincti effectus re- spondeant. Communis item, & vera fidelium persua- sio est, etsi Sacerdos pro certa persona Missæ Sacrifi- cium offerre debeat, nihil tamen ipsi decedere, si in *Memento* in propria persona, & ex privata devotione idem Sacrificium pro se ipso, & aliis pluribus perso- nis, distinctis actionibus, sive petitionibus offerat; cum enim hæ oblationes diversæ, & repetitæ sint, quarum nulla alteram impedit, ideo singulis tantun- dem fructus impetrare possunt, si una sola pro una persona fieret.

12 Missa mali Sacerdotis æque utilis est, ac boni, quoad fructum ejus principalem, qui est ex opere ope- rato, seu per modum impetrationis, quatenus in Chri- sti persona offertur, utpote non pendens a dispositio- ne, aut bonitate Ministri. Quatenus vero Sacerdos offert, ut privata persona, fructus impetrationis &c. provenit tum sibi, tum aliis, quibus eum applicat, secundum dispositionem, ac devotionem ejusdem, ut proinde, quo magis dispositus est, eo plus gratiæ, & gloriæ apud Deum sibi mereatur, plus etiam cum si- bi, tum aliis impetret, & pro peccatis satisfaciat. At vero, si male dispositus, & indignus offerat, infru- ctuosa est ejus oblatio etiam secundum vim impetran- di, juxta Joan. 16. *Scimus, quia peccatores Deus non exaudit*; si nimirum id intelligatur de peccatore for- maliter, videlicet qui orando peccat, sive cujus oratio execrabilis est; ut dicitur Prov. 28.

13 Sacerdos, qui a pluribus sufficientem stipem ac- cepit, non satisfacit pro omnibus unam Missam di- cendo. Quamvis contrarium doceant Cajetanus, Na- var. Canus, Vasquez.

NB. 1. Quod si Sacrificium postulantes non inte- grum stipendium justum, sed partem tantum præbeant, non possunt iniquo animo ferre, si Sacerdos non pro singulis seorsim, sed pro pluribus conjunctim secun- dum proportionem stipendii accepti offerat. (*a*) Ju- stum autem stipendium censeri debet, quod vel lex, vel consuetudo loci taxavit. Si autem taxatum non est, sufficit dando mediam, vel tertiam partem fu- stentationis pro uno die, eo quod solum una hora impendatur Sacrificio, reliquum vero temporis diei aliis officiis impendi potest; quamvis etiam plus libe- raliter offerri possit.

„ (*b*) Etiamsi Sacerdos acceperit stipendium mi- „ nus justo, si tamen se obligaverit ad celebrandam „ Missam, tenetur celebrare, nec potest pluribus si- „ milibus stipendiis acceptis, & ad singula Missam „ spondens unico sacrificio omnibus satisfacere, id „ enim fieri vetuit Decretum Urbani VIII. *Cum sæpe* „ *contingat*.

NB. 2. Sacerdos Parochus, cui largius stipendium confertur pro Missa, potest obligationi per alium sa- tisfacere, dato ipsi stipendio sufficienti (consueto) reliquo sibi retento. Nam hæc censetur mens esse fi- delium, quod pluribus obligationibus suis vel per se, vel per alium satisfacere possit (*b*).

„ (*b*) Attendenda est in hac re propositio 9. in- „ ter damnatas ab Alex. VII. *Post decretum Urbani* „ *potest Sacerdos, cui Missa celebranda traditur, per* „ *alium satisfacere, collata illi minore stipendia, alia* „ *parte stipendii sibi retenta*. Non nego tamen, si sti- „ pendium sit multo pinguius consueto, & datum sit „ Sacerdoti amico, tunc merito existimari posse illud „ augmentum stipendii datum esse intuitu Sacerdotis, „ non intuitu Missæ, quod si acciderit, tunc si cele- „ bretur Missa per alium, posse illi eleemosyna con- „ sueta tradi, retento sibi augmento.

14 Si stipendium alicui Sacerdoti præter Parochum detur pro Missa, debet vel ipsemet celebrare, vel si alterum substituere velit, totum ei stipendium relin- quere; alioquin injuriam infert, si partem sibi reti- neat. Ratio est, partim quia major eleemosyna data sacrificanti censetur *major cooperatio* ad Sacrificium, ex quo major fructus danti proveniat; partim quia et- iam sacrificans beneficii magnitudine motus, majorem devotionem adhibet, ideoque plus benefactori impetrat.

NB. 1. Quod si sacrificans sponte in se suscipiat obligationem sacrificandi, parte stipendii condonata, nemini injuria fiet.

NB. 2. Sacerdos differens sine causa diu Missam, pro qua stipendium accepit, potest peccare mortaliter, cum interea magno spirituali fructu priventur ii, quo- rum debitor est.

15 Sacerdos, qui stipendium accepit, plerumque Missam celebrare debet eam, & in eo Altari, sicuti offerens petivit: Eo quod ob specialem offerentis de- votionem, nec non speciales Missæ Orationes, major fructus impetrationis ad propositum finem provenire solet.

16 In Festis, vel Dominicis ob justam causam dici potest Missa Votiva, vel pro Defunctis.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum ex pietate, & devotione Sacerdotis celebrantis, cre- scat ex opere operantis fructus Sacrificii, semper suadendum est, ut qui vult Missas pro se celebrari, non tribuat stipendium Sa- cerdoti indevoto, ludis addicto, tempus in Apothecis terenti, temperantiam in bibendo non servanti, facillime cum Mulieri- bus colloquenti &c.

II. Moneat Confessarius suum Pœnitentem fructum Missæ val- de a sua dispositione, & devotione pendere; adeoque non debe- re audire Missam vel uno tantum genu aliqualiter inclinato, nec oculis huc, illucque per Ecclesiam evagantibus, vel etiam cum Adstantibus colloquendo. Si hoc modo etiam quotidie unam, vel plures Missas audiat, potius sua irreverentia Dei iram contra se excitabit. Deberet igitur considerare quæ pro no- bis egit tempore Passionis Christus Dominus, nam Sacrificium Missæ est commemorativum Sacrificii in Cruce peracti; ac ita excitare in se devotionem, qua ad omnia divini famulatus se promptum exhibeat, hoc etenim interno Sacrificio peracto, uber- rimos fructus ex Sacrificio Missæ percipiet.

III. Quam maxime suadeat Confessarius suo Pœnitenti, ut quas vult pro se Missas celebrari, si commodum illi est, curet, ut dum adhuc vivit celebrentur. Primo ergo, si ita agat, fa- ciet opus meritorium elargiendo eleemosynam, quam si jubeat dari post mortem, facit opus valde minus Deo gratum; debet enim dare, quod cogitur dimittere. Deinde Missæ Sacrificium post mortem ipsi tantum erit satisfactorium, at in vita celebra- tum simul est impetratorium; adeoque ratione illius obtinere potest auxilia ad non peccandum, ac plura bona opera peragen- da. Demum Hæres fortasse negligens erit in ipsius voluntate adimplenda; atque ita ipse necessaria satisfactione carebit, & hæres gravi propriam animam culpa maculabit. Quam maxime proinde dum vivit Missarum Sacrificia pro se celebrari curabit; præscribat etiam, quæ convenienter reputabit celebranda post mortem, sed caveat ne nimis hæres gravetur. Audiat quæ ha- bet S. Gregorius l. 4. Dialog. c. 58. *Tutior est via, quod quisque post mortem sperat agi per alios, agat ipse dum vivit per se: beatius quippe est liberum exire, quam post vincula libertatem quærere.*

CAPUT II.

Pro quibus Sacrificium offerre liceat, & quis fructus ipsis inde proveniat?

1 SAcrificium novæ Legis *latreuticum* est, quatenus refertur ad colendum Deum; *Eucharisticum*, quia fit in gratiarum actionem pro beneficio Passionis Dominicæ: *impetratorium*, quia per Christum Deo Patri oblatum facile nos quidvis impetraturos spera- mus; *propitiatorium*, pro peccatis vivorum, & mortuorum.

2 Sacrificium novæ Legis omnia veteris Legis sacri- ficia præstantiore virtute continet; est enim *holocau- stum* pro peccato, & *propitiatorium*.

3 Sacerdos in Missa triplicem personam sustinet, Christi, Ecclesiæ, ut Legatus, & privati non solum in *Memento*, sed etiam in tota Sacrificii actione. Nam sicut alia omnia bona opera justorum triplicem virtu- tem habent, merendi, satisfaciendi, & impetrandi; ita & publicæ orationes, & Sacrificium; cum sint actus virtutis Religionis. Imprimis enim Minister, si justus sit, ex condigno sibi meretur gratiam, & glo- riam. Secundo: Satisfacit pro peccatis suis, præsertim si hunc etiam finem intendat; potestque hunc fructum satisfactionis ex opere operantis alteri quoque appli- care. Tertio: Propria intentione, & affectu impetrare potest a Deo varia beneficia tum sibi, tum aliis.

4 Pro Sanctis in cœlo offertur Sacrificium Missæ, quatenus est laudis, & gratiarum actionis: Quia, dum Deo sacrificamus, laudamus eum, & gratias ei agimus pro Sanctorum victoria, meritis, & gloria, eorumque deprecatione preces nostras exaudiri petimus.

5 Sacrificium Missæ recte, ac salubriter offertur pro defunctis animabus ad remissionem pœnæ, cum per modum impetrationis, tum ex opere operato ipsis consequendam. Patet ex Concilio Tridentino. Ratio est: Cum animæ in purgatorio sint vera, & viva mem-

membsa Ecclesiæ; atque capatia fructus Sacrificii propitiatorii. non est ratio, cur non æque ipsis, atque aliis hominibus vivis applicari possit non solum per modom impetrationis, sed etiam ex opere operato; quandoquidem utroque modo fructus provenire soles, per solam intentionem, & applicationem omnino extrinsecam. Non ita vero in Sacramentis; quippe in quibus requiritur, ut actio sensibilis circa suscipientes exerceatur. Quæ ipsa discriminis ratio est, cur fructus Sacrificii, non item Sacramentorum fidelibus defunctis applicari possit.

6 Pro omnibus viventibus Sacrificium Missæ utiliter offerri potest, quatenus Sacerdos Christi personam repræsentat. Nam Sacrificium incruentum, cum sit repræsentativum mortis Dominicæ, & fructus illius quam maxime applicativum, pro omnibus offerri potest, pro quibus Christus mortuus est; tales autem sunt omnes homines viventes in hac terra: Ergo. Quod argomentum sumptum est ex Apostolo 1. Timoth. 2. *Obsecro primum omnium fieri obsecrationes pro omnibus hominibus.*

7 Quatenus Sacerdos personam Christi gerit, etiam pro excommunicatis non toleratis valide sacrificat, applicando eis fructum impetrationis, vel etiam satisfactionis, si capaces sint. Ratio: Quia potestas consecrandi, & offerendi pro quibuscunque vivis, atque defunctis, quatenus ii capaces sunt, est annexa Ordini Sacerdotali ex Christi institutione. Quare, licet Ecclesia prohibere possit, quo minus pro excommunicatis valide, & fructuose dicantur suffragia publica Missæ &c. quippe in quibus dicendis Minister vices Ecclesiæ gerit, tamen prohibere non potest, quo minus Sacerdos consecrando in persona Christi, sive ut Minister Christi fructum principalem Sacrificii valide applicet, cuicumque velit. Graviter tamen Sacerdoti prohibitum est, in c. a nobis, 2. de Sent. Excomm. ut pro excommunicatis non toleratis Missæ Sacrificium non offerat.

8 Pro Catechumenis vivis, ac defunctis Sacrificium offerri potest, ut iis prosit, saltem per modum impetrationis: Nam Catechumeni aliquo modo sunt membra Christi per fidem, saltem voto, & desiderio.

9 Pro infidelibus Judæis, ac Paganis Sacrificium recte offertur, quatenus est impetratorium, ut ad Fidem veram convertantur. Patet ex Apostolo 1. Tim. 2. Et in veteri lege Judæi etiam pro Gentilibus sacrificare soliti sunt 1. Esdiæ 6. pro salute Darii, Lib. 2. Machab. 3. pro salute Heliodori.

10 Missa olim distinguebatur in duas partes, quarum una *Catechumenorum* dicebatur, & altera *fidelium*, quæ constabat oblatione, Consecratione, & sumptione, a qua Catechumeni repellebantur.

11 Fructus ex opere operato in Sacrificio Missæ illi provenit, cui Minister intendit, si capax sit. Ratio: Quia Sacerdos ex vi ordinationis suæ constitutus est a Christo Minister, ac dispensator Mysteriorum, ac donorum Dei; sicut indicat forma verborum, quibus Sacerdos ordinatur: *Accipe potestatem offerendi Sacrificium pro vivis, ac defunctis.* Unde colligitur: Licet Sacerdos illicite alicui applicet contra justitiæ, aut obedientiæ virtutem, quia V.C. Parochus ratione beneficii sui, vel Religiosus ob Prælati præceptum deberet pro alio offerre; nihilominus valida erit applicatio, & fructus ex opere operato proventurus ei, cui Sacerdos vult; cum hæc applicatio sit actus potestatis Ordinis, quæ ex aliena potestate non dependet.

12 Sacerdos fructum Sacrificii, qui ex opere operato est, ante, vel in ipsa Consecratione alicui applicare potest: Nam alioquin frustra eum postea applicare conabitur. Quemadmodum enim Sacramenta, puta, Baptismus, Confirmatio, ita & Sacrificia effectum suum ex opere operato dependenter a Ministri intentione producunt, dum conficiuntur, & actu existunt. Quare non est in potestate Ministri, effectum suspendere velle, & postea alicui applicare.

13 Fructus Sacrificii non potest a Sacerdote alicui valide applicari sub conditione in futurum contingente: V. C. *Offero pro illo, qui primus mihi stipem dederit, vel qui proximus ex hac Communitate moriturus fuerit*: Est enim contra praxim Ecclesiæ, & ad effectum Sacramentorum, ac Sacrificii requiritur intentio Ministri absoluta, & independens ab eventu contingente in futurum. V.C. Invalide baptizatur homo sub conditione, si a Fide suscepta defecturus non est. Secus dicendum, si conditio præterito, aut præsente tempore impleta est: Nam secundum eam Sacramentorum, & Sacrificii effectus recte, ac fructuose alicui confertur: V. C. *Baptizo te, si homo es. Offero Sacrificium pro eo, qui ex tali numero benefactorum mortuus est.*

14 Non est recta intentio applicandi Sacrificii fructum illi homini, quem Deus scit, ex hac Communitate V. C. moriturum esse: Nam secundum ordinariam Dei legem, ut Ecclesia nobis testatur; Deus non solet vel homines punire, aut præmio afficere, aut gratiam Sacramentorum eisdem conferre secundum præscientiam futurorum contingentium, ac liberorum effectuum, sed secundum præsentem dumtaxat hominum statum, ac conditionem; siquidem id magis congruere videtur divinæ providentiæ, & suavi gubernationi, quæ omnimode se creaturarum suarum naturis accommodat.

15 Mos celebrandi, uti in Lotharingia *Requiem*, non videtur commendabilis; V. C. si quis pro se, dum adhuc vivit, sinat celebrare *Requiem*: Quia est contra intentionem Ecclesiæ, quæ est, ut Officium funebre dicatur pro mortuis.

16 Sacerdos in persona Ecclesiæ præcipue offert, & supplicat pro membris Ecclesiæ, utpote cujus intentio illa est; secundario vero etiam pro aliis, V.C. Catechumenis, pro Infidelibus &c.

17 Sacerdos ut privata persona (videlicet *in Memento*) pro omnibus Sacrificium offerre potest. Ratio: Quia, cum talis oratio, & oblatio sit propria actio ipsius Sacerdotis, merito ejusdem arbitrio permittitur, neque ab Ecclesia prohibetur.

18 Fructus aliquis Sacrificii, quatenus in Christi persona offertur, proprius est ipsi offerenti, alteri non applicabilis; unde fructus *specialissimus* appellari solet: Nam hæc est conditio effectus ex opere operato, ut sit verum beneficium personale, proveniens illi tantum, cui datum est. Est autem valde credibile, & communiter receptum, Christum instituisse Sacrificium ita, ut aliquis ejus fructus certo, & ex opere operato proveniat sacrificanti, & probabiliter etiam aliis offerentibus.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si Sacerdos velit, ut par est, Sacrificium applicare, consideret quæ præstare habeat Sacrificium, & juxta ea illud applicet. Quia ergo est Latreuticum intendat illud offerre ad deferendum Deo supremum cultum, & honorem, offerendo maximas SS. Trinitati ipsius Christi Domini humiliationes, & adorationes. Quia est Eucharisticum, intendat illud offerre in gratiarum actionem pro tot beneficiis nobis collatis; & præcipue pro beneficio Incarnationis, & Passionis Christi, cujus memoria ex ipsius præcepto in hoc Sacrificio specialiter recolitur. Quia est impetratorium, offerat ad impetrandam a Deo veniam pro nobis culpis, & ut hoc Sacrificio placatus sit nobis non iratus, sed propitius, tribuatque auxilia, ut ex animo nos peccatorum pœniteat. Intendat pariter impetrare ea beneficia spiritualia, & temporalia, quorum indigemus, conformando præcipue suam intentionem Christi, & Ecclesiæ intentioni, cum sit ipsorum Minister. Quia demum est satisfactorium, intendat offerre pro delenda pœna, debita suis peccatis, vel peccatis illius, pro quo debet celebrare, cui semper debet applicare eam portionem satisfactionum Christi, cujus applicationem voluit ex ipsius voluntate pendere.

II. Alia etiam vellem observare Sacerdotem in Sacrificii applicatione. Primum, quod dum tenetur pro aliqua persona determinata Sacrificium applicare, non applicet aliis, e. g. Patri, Matri nisi sub conditione; si etenim verum sit quod pluribus applicatum minus prodest, quam si uni applicetur, jam si absolute pluribus applicetur, minorem fructus portionem habebit ille, pro quo Sacerdos tenetur celebrare; unde pro aliis solum applicare debet sub hac conditione, si id non noceat illi, pro quo tenetur celebrare. Secundum, quod si celebrandum est Sacrificium pro persona, quæ vivat, habeat intentionem applicandi satisfactionem Sacrificii sibi, vel alteri, si forte illa Persona, quia esset in peccato mortali, non esset capax obtinendæ satisfactionis. Tertium, si celebret pro Persona defuncta, applicet alteri, vel sibi Sacrificium, si forte illius ea persona non sit capax, quia nempe vel assecuta sit æternam Gloriam, vel sit in Inferno. Quod si adhuc degat in Purgatorio, cum non sit capax fructus Sacrificii nisi quoad satisfactionem, potest sibi, vel alteri applicare quoad propitiationem, & impetrationem.

III. Optimum est Sacerdotem vel actualiter, vel virtuali intentione applicare Sacrificium pro iis, pro quibus tenetur celebrare. Nihilominus, si Sacerdos semel habuit intentionem suo tempore celebrandi, e. g. quando habuit eleemosynam, puto non debere anxium esse an satisfecerit, si postea talis obligationis oblitus celebraverit, nam usquedum non retractetur, videtur omnino vigere applicatio, seu donatio jam facta fructus Sacrificii.

CAPUT III.

De obligatione sacrificandi.

1 SAcerdos, etsi curam animarum non habet; mortaliter peccare videtur, nisi aliquoties in anno sacrificet, V.C. ter, vel quater: Quia Sacrificium pertinet ad offerendum Deo, ad quod quilibet Sacerdos obligatur ratione ordinationis suæ; quippe in qua non tantum potestatem, sed etiam officium, seu munus sacrificandi suscepit. Contraria tamen Sententia est gra-

vium Aothorum, S. Bonaventuræ, Halensis, Victoriæ, asserentium, simplicem Sacerdorem cessante scandalo, & contempto non obligari sub culpa mortali ad sacrificandum, dummodo Sacram Communionem cum laicis in Paschate sumat: (a) Quia nullius præcepti divini, aut humani obligatio satis ostendi potest, & sanctos qoosdam viros, ob humilitatem a sacrificando abstinuisse legimus.

„ (a) Benedictus XIV. in opere de Missæ Sacrif. „ l. 3. cap. 1. ait, Tridentinum sess. 23. cap. 4. in- „ jungere Episcopis, ut curent Sacerdotes simplices „ Missam celebrare saltem festis solemnioribus. Addre „ committi grave peccatum ab eo Sacerdote, qui toto „ anno non celebraret.

2 Sacerdos curatus frequenter, toties scilicet, quoties subditi Sacrum audire tenentoc, obligatus est ad sacrificandum, vel alium sobstituendum: Nam ideo Parochi a fidelibus oblationes, & decimas accipiunt, quia ipsis dispensare debeot ea, quæ ad salutem necessaria sunt.

3 Parochus ex officio non videtur esse obligatus ad saccificandum pro Parochianis suis. Ratio: Quia beneficia curata proprie instituta sunt ad pascendum populum verbo, & Sacramentorum ministratione, non item ad sacrificandum pro illo; quandoquidem id per se non pertinet ad spiritualem pastum ovium commissarum. Æquitatis tamen ratio postulat, ut Parochi pro suis subditis frequenter intra, & extra Sacrificium supplicent (b).

„ (b) Ex Encyclica Bened. XIV. ad Episcopos „ Italiæ Bull. tom. 1. n. 103. jubentur Parochi etiam „ regulares, & Vicarii seu perpetui, seu temporalra „ Missam applicare pro populo singulis diebus festis „ de præcepto; etsi habeant ea die alias obligationes „ celebrandi, debent hisce satisfacere per alios Sacer- „ dotes. Cum ecclesiis pauperculis indulgere Episco- „ pus potest, ut Parochus ipse per se alus obligatio- „ nibus satisfaciat, dummodo intra hebdomadam „ omissam pro populo Missam expleat.

4 Si Parochianus offerat stipem pro Sacrificio ejus diei, quo scit, Parochum sacrificare obligatum esse alia obligatione, contentus esse censetur obligatione secundaria, ne altoquin aliam Parochiam accedere cogatur.

5 In Ecclesiis Cathedralibus, Collegiatis, & Conventualibus quotidie Sacrificium celebrari debet (c).

„ (c) Io hisce Ecclesiis non solum quotidie cele- „ branda est Missa Conventualis, sed etiam applican- „ da pro benafactoribus in genere ex nova Constitu- „ tione Bened. XIV. *Cum semper oblatas Bull.* tom. „ 1. n. 103., est autem Encyclica ad Ordinarios Italiæ.

NB. Numerum Missarum, vel Anniversariorum minuere ob casum necessitatis, ad Episcopum, vel Ordinis Prælatum pertinet, ita tamen, ut eorum omnium defunctorum, qui pro suarum animarum salure aliquid reliquerunt, commemoratio fiat, id est, Collecta aliqua interponatuc (d).

„ (d) Apud nos tamen redigendi numerum Missarum jam constitutum non ad Episcopum, sed ad „ Romanum Pontificem spectat.

6 Capellanus ex officio obligatuc ad eum Missarum numerum, quem literæ fundationis requirunt. Excipe: Nisi reditus sint distracti.

NB. 1. Refert, utrum obligatio Sacrificii quotidiani loco, an personæ a Fundatore imposita fuerit?

NB. 2. Præterea in quibusdam Ecclesiis consuetudo est, iis Capellanis, quibus quotidiani Sacrificii obligatio incumbit, unum vacationis diem in hebdomada largiri, eo quod ob humanam fragilitatem Sacerdotes, præsertim sæculares, omnibus omnioo diebus ad sacrificandom dispositi non sint.

7 Si justum impedimentum, V. C. infirmitas, brevi tempore, una vel altera septimana, duratura sit, non videtur obligatus Capellanus, ut alium sacrificantem substituat. Nam etiam herus, tametsi jure detrahere possit de mercede famuli propter ejus ægritudinem; si tamen pius, & benigous sit, non facile detrahere solet, Si autem ægritudo diutius duret, tunc Vicarius statuendus est, ne longo tempore Ecclesia, & Fundator spirituali fructu priventur. Quod limita: Nisi stipendium tenue sit, & alendo infirmo Capellano necessarium; siquidem etiam dominus famulo ægrotanti necessaria alimenta præstare debet.

8 Consuetum est Sacerdotibus, ut quotidie sacrificent juxta exemplum S. Andreæ, diciturque ideo juge Sacrificium. Quod si tamen Sacerdos oon bene dispositum se sentiat, melius est, ob Sacramenti reverentiam quandoque a sacrificando abstinere.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Curent propria conscientia consulere illi Sacerdotes, qui diebus festis, vel aliis, in quibus in Ecclesiæ plures Missæ sunt celebrandæ, nolunt celebrare, nisi prius de stipendio multo majori obtinendo pacti fuerint. Hanc agendi rationem omnes Theologi criminantur, & simoniacam aliqui dicunt. Si se excusare velint ratione consuetudinis, futilem adhibent defensionem; nam hæc consuetudo, si quæ sit in nostra Diœcesi, ortur, quia ipsi videntes Ecclesiarum necessitatem, renuunt celebrare consueto, & justo stipendio, adeoque quod de plus dant Sacristæ, dant veluti coacte. Sed quamvis adesset ista consuetudo, possunt ne excusari a gravi culpa illi Sacerdotes, qui pro celebrando die festo inquirunt ubi majus stipendium consequi possunt, & illic tunc celebrant, dimittendo illas Ecclesias, in quibus promiserant celebrare, quia alibi aliquos obulos de plus offerentem adinvenerunt? Forte hoc non est uti Sacrosancto Missæ Sacrificio ad turpem quæstum, & fordidissimam negociationem?

II. Caveant omnino, qui habuerunt eleemosynas pro Missis celebrandis, partem eleemosynæ sibi retinere, putantes Pontificias Constitutiones id prohibentes non obligare sub gravi. Hanc unius, aut alterius opinionem omnino respuendam credo; nam quamvis etiam jure naturali integra eleemosyna celebranti non esset tribuenda, uti dandam credo ex intentione dantis eleemosynam, adhuc lex Pontificia obligat sub gravi, quia facta est ad removendum ab Ecclesia omne damnabile lucrum, & sordidam negociationem; & ratione talis finis non potuit nisi sub gravi obligare.

III. Valde sibi caveant ii, qui habuerunt eleemosynas pro Missis celebrandis, dum aliis celebrare faciunt dando alias res loco pecuniæ. Hoc fieri posse, dum vere pretium rei æquivaleat pecuniæ docet *Pasqual. de Sacrif. q. 918. n. 4.* Sed & in hoc aliquam injustitiam intervenire posse credo, dum illæ res non voluntarie acceptarentur, sed ex solo timore quod Missæ illis non darentur celebrandæ. Ratio mihi est, quia Sacerdos vere jus habet ad stipendium collatum pro Missa, quam celebrat; unde si non voluntarie cedat tali juri, injuste illi non detur pecunia. Hoc dignosci potest, si pro Missa celebranda sumeret res sibi non necessarias, vel quas emere noluisset. Hinc si vendendo, quod illi traditum est, cogatur vendere minori pretio, quam fuisset stipendium Missarum, puto omnino compensandum esse damnum, quod patitur, quia illud patitur, eo quod quodammodo coactus sit res sumere loco stipendii. Ad eum modum, quo, si famulo, vel Artifici, loco pecuniæ debitæ, ipsis non plene consentientibus tribuantur merces, in quantum venditione non obtinent pecuniam, quæ erat illis debita, ipsorum damnum est compensandum. Si e contra, qui celebrat Missas, sumit res sibi necessarias, vel quas aliae erat empturus, vel dum illi offeruntur, plene voluntarie acceptet; ut sunt e. g. Libri, utensilia pro Sacristia &c., in hoc casu puto veram sententiam Pasqualigi, dum semper justum pretium servetur.

IV. Sacristæ, aliique qui habent eleemosynas pro Missis celebrandis, non facile sibi blandiantur omnino voluntarie remitti partem eleemosynæ a Sacerdotibus celebrantibus. Donatio ordinarie non præsumitur, & maxime dum dignoscitur ex circumstantia Personæ non donaturam, qualis ex. grat. esset Sacerdos pauper, Sacerdos non liberalis, & quicumque Sacerdos non habens motivum donandi, si etenim hi omnes aliquas eleemosynas, vel partem illius relaxent, præsumi debet relaxare ex timore, ne in posterum ipsis tribuantur eleemosynæ pro Missis celebrandis. Secus si adsit prudens fundamentum credendi liberam conditionem, ut si Sacerdos dives celebret aliquas Missas pro Sacristia, in qua ipse celebrat, si Sacerdos relaxet suo Benefactori, vel Consanguineo, si Sacerdos importunis precibus non coactus relaxet eleemosynam pro paupere subveniendo, vel alio opere pio præstando. Ex circumstantiis ergo personæ, & motivi istius relaxationis dignosci potest, an relaxatio sit plene voluntaria, necne.

V. Curet Sacerdos, ne nova Missarum onera recipiat, dum intra debitum tempus non potest illis satisfacere; nam alias fraudat in re gravi intentionem offerentium eleemosynas. In hoc facile peccare possunt Administratores Ecclesiarum magnæ devotionis, maxime si rura sint; nam ibi nonnisi post longum tempus celebrari possunt Missæ, ratione multiplicitatis eleemosynarum: unde meminisse debent S. Congregationem, in responsione ad decimum quartum, declarasse non posse novas eleemosynas recipere, etsi minueretur cultus Ecclesiæ, & devotio, ac concursus fidelium, nisi dantes eleemosynam consentient diu differri Missarum celebrationem.

VI. Facile peccare possunt hæredes, vel Executores Testamentarii, si alibi minori stipendio curent celebrari Missas a Testatore præscriptas; nam præsumi debet ipsius mentem non solum fuisse, ut pro se tot Missæ celebrentur, sed etiam, ut detur eleemosyna juxta consuetudinem; atque ita ex hoc quod magis Ecclesiæ Ministris tribuatur, fiat opus Deo magis acceptum. Id solum licite fieret, dum hæreditas non pateretur Missas celebrari consueto stipendio; nam tunc Testatori magis utile est, alibi minori stipendio Missæ præscriptæ celebrentur. Multo magis præfati peccabunt, si eo quod curent alibi Missas celebrari minori stipendio, sibi retinerent, quod superest.

CAPUT VI.

De tempore, quo sacrificare licet, vel non licet.

1 COmmuni jure licitum non est ante auroram sacrificare, neque post meridiem. Ratio: Quia nocturnum tempus non ita idoneum est, ut populus cum tanta reverentia interesse possit, sicut tempore diurno.

2 In die Natalis Domini omnes tres Missas ante auroram celebrare licet.

3 Episcopus ob causam dispensare potest, ut ante auroram, vel post meridiem celebrare liceat.

NB. Consuetudo in his partibus septentrionalibus tribus, vel quatuor horis ante solis ortum Missam inchoan-

incboandi non debet reprehendi; quia in bis regionibus in hyeme iol fero oritur.

4 Ob causam necessitatis licitum est, post meridiem celebrare, ne infirmus sine Viatico decedat, propter Principis funue, propter publicam Concionem festo dic usque ad meridiem perductam; imo ex quacunque justa occasione potest Missa paulo post meridiem uno, vel altero quadrante inchoari: Quia bujusmodi res morales moraliter, & non mathematice accipi debent.

5 Non est peccatum mortale, celebrare Missam ante dictas Matutinas: Sin autem caula isa celebrendi subsit, nullum peccatum est. Etsi enim oporteat Matutinum cum laudibus ante Missam recitare, tum cujusdam præparationis causa, eum quia Matutinum ad noctem pertinet, Missa ad diem; tamen id ad ritum, seu ordinem tantum accidentalem, atque Missæ valde extrinsecum spectat, ut gravem obligationem continere non possit, per se loquendo.

6 Eodem dic non est licitum bis celebrare; excepto Natali Domini, & si cesus necessitaris postulet, V.C. Ne moriturus sine Viatico decedat, quia non adest Hostia consecrata; item, ne populus die festo Missa privetur, pura, quia Parochus, Cooperatore earens, duabus Parochiis præest; item, ob adventum Principis. Quoad Missam bis celebrandam in duabus Parochiis eodem Festo consideranda est consuetudo enjusque Diœcesis, ne contra eam aliquid insolitum, & sine gravi necessitate fiat (a).

„ (a) Ob adventum Principis licitum esse Missam „ eadem die bis celebrare negat Benedictus XIV. de „ Celebrat. Miss. lib. III. cap. 5. §. 3. nec ad Viati„ cum egroto ministrandum, si jam priorem Missam „ Sacerdos absolverit ablurione percepta. Affirmat ve„ ro si accidet, ut Eucharistia quidem percepta sit, sed „ non ablutio. Denique in Bulla *Declarasti* Bullar. tom. „ II. num. 3. nemini licere bis celebrare, etiamsi Pe„ rochus fuerit, & nunquam etiam in casu necessitatis „ nisi de Episcopi licentia, quæ ad causes singulares „ datur, non tanquam privilegium.

NB. Nemo tenetur tres Missas in Nateli Domini celebrare; sed sufficit spectata obligatione Juris communie, si une ex illis tribus legatur, vel audiatur.

7 Ferie sexta Hebdomadæ Sanctæ Sacrificium Missæ non celebratur. Ratio: Quia Ecclesia colit, & exhibet realem Passionem, & eruentum Sacrificiom Christi; ideo non repræsentet mystice, seu non immolat incruente. Potest tamen eo die populus communicari.

Io Sabbatho Sancto plerique Sacerdotes abstinent a celebratione privata: Nam Ecclesia toto illo die io jejunio, luctu, & repræsentatione mortis Dominicæ perseverat.

Feria quinta Hebdomadæ Senctæ licitum est Sacerdotibus celebrare: Nam nullo id Jure prohibitum reperitur, estque consuetudo, ut Sacerdotes alii ex devotione ad repræsentationem Apostolorum in Cœna ultima communicent (b).

„ (b) Missæ privatæ fer. v. in cœna Domini, & „ dic Sabbathi Sancti prohibentur edicto Clementis „ XI. lata die 15. Maji 1712.

CAPUT V.

Quo in loco Sacrificium sit celebrandum?

1 JUre communi Misse celebrari non debet, nisi in locis ab Episcopo consecraris, vel salrem benedictis, & ad officia divina deputaris.

NB. Sotus vult, & Sa, non esse morrele, si scandalum, & contemptus absit, in quovis honesto loco super Altari sacrato celebrare. Sed ab aliis merito hæc Sententia rejicitur; cum præceptum illud ob tanti Sacrementi reverentiam versetur circa rem gravem, ideoque ejus tranigressori pœne depositionis decreta sit.

2 Oratoria, quæ neque consecrara, neque benedicta sunt, non videntur violari, aut reconciliatione eliqua indigere.

3 In casu necessitatie extra Ecclesiam super Altari portatili sacrificari potest; V. C. si Ecclesie diruta sit; in magno populi conventu, quem Ecclesia non capit; in bello pro exercitu; in longa peregrinatione per loca infidclium.

4 Episcopus facultatem dare potest in privato Oratorio ad divinum dumtaxat cultum destineto Missam celebrandi; salvo tamen jure Parochialis Ecclesiæ, quod attinet ad Sacramentorum administrationem (c).

„ (c) Apud nos tamen facultas ista a Romano „ Pontifice petenda est.

P. Layman P. II.

5 Per privilegia Sedis Apostolicæ in loco non consecrato, nec benedicto Sacrificium fieri potest, qualia habent Patres Societatis Jesu.

6 In meri, vel flumine sacrificare illicitum non est; si periculum cesset Sacri Sanguinis effundendi; quod solent Lusitani practicare.

NB. Est mortale, celebrare in Ecclesie polluta.

7 Quinque modis Ecclesia violatur, ut in ea Missam celebrare non liceat. Primo: Iojuriosa sanguinis effusione, non in turri, tecto, aut spelunce, sed in Ecclesie, licet vulnerans extre stet. Secundo: Injurioso homicidio. Tertio: Illicite bumani seminis effusione. Quarto: Per sepulturem hominie excommunicati non tolerati. Vel denique quinto; Per sepulturam hominis non baptizati.

8 Factum, per quod Ecclesiæ, vel Altaris violatio inducitur, notorium esse debet, & injuria debet esse mortalis. Deinde non sufficiunt sanguinis eliquæ guttæ ex naribus, sed tanta copia esse debet, ut possit dici effusio. Imo, licet effusio sit copiosa, tamen si percussio non sit gravis, Ecclesie non violetur.

9 Ecclesia violata strangulatione, & per sententiem mortis latam in ea Ecclesia, ab Episcopo excommunicaro, etiam hæretico, valide consecretur.

10 Sacristia, & Camcræ, quæ sunt custodis vasorum, & vestium, non videntur violari, sicut Ecclesia: Quia paries iotermedius iacit locum separatum ab eltero.

11 Violata Ecclesia etiam Cœmeterium violatum censetur; Nam, quod principale est, trahit ad se eccessorium. Contre vero violato Cœmeterio non ideo Ecclesia violata censetur, ne, quod minus dignum est, majus, aut accessorium principale ad se trahere videatur.

12 Si Ecclesia consecrata violetur, solus Episcopus eam reconciliat; benedictam etiam simplex Sacerdos. Idemque sentiendum de Cœmeterio.

13 Ecclesia polluta non reconcilietur per solum Missæ Sacrificium, quod bona fide in ea celebratur: Quia, si celebratio Missæ instar reconciliationis esse debet, idem dicendum erit, tametsi Sacerdos mala fide in Ecclesia polluta celebret; quod plene falsum est.

NB. Licet Ecclesia per capturam Rei fugientis ad eam non violetur, tamen a Sacerdote jussu Episcopi aqua exorcizata reconciliari debet. Idem dicendum est de Ecclesiis Catholicorum, in quibus hæretici sua exercitie eliquamdiu habuerunt, & corpora non denuntiatorum sepulta fuerunt.

14 Si Catholici Ecclesiam talem recipiant, in qua hæreticorum exercitia viguerunt, opus non est, eam solemniter ab Episcopo reconciliari: Ante visitationem tamen Episcopi utendum est portatili in tali Ecclesia.

15 Ecclesia consecrata execratur, si ejus parietes incendio, aut ruina simul destruantur.

16 Ecclesia successive reparata non est denuo consecrenda. Probatur: Quia moraliter censetur eadem Ecclesia. Deinde, si hodie unus paries destructus sit, & intra octo dies reparatus, novus paries accessione ad totum sacrabitur: Nam sacrum, si majus fit, trahit ad se non sacrum.

17 Polluta Ecclesia polluuntur etiam Altaria omnia, quæ in ea fixa sunt: Sed Ecclesia execrata non ideo etiam Altaria execrantur. Sicut & vice versa Altare per fractionem enormem execratur, seu consecrationem amittit sine execratione ipsius Ecclesiæ.

CAPUT VI.

De Ara, sacris Vasis, & Vestibus.

1 ALtare, in quo Sacrificium peragitur, lapideum esse debet propter durabiliorem, & firmiorem materiam. In primitiva Ecclesia in ligneis Altaribus consecrebant. Satis vero est, ut superior ea pars, super quam Celix cum Patena ponitur, lapidea, & consecrata sit.

2 Summus Pontifex Sacerdoti simplici committere potest facultatem Altaria consecrandi; uti facit Religiosis in Indiam proficiscentibus.

3 Duplex est Altare, unum mobile, seu portatile alterum fixum, seu stabile. Quare hoc consecrationem emittit per amotionem a structura; non item alterum per amotionem a ligno execratur.

4 Tam portatile, quam fixum Altare consecrationem amittit per notabilem fractionem, quæ censeri solet, si in nulla integra Altaris parte Calix cum Patena consistere possit. Idemque sentiendum est de aliis rebus benedictis, calice, sacris vestibus.

5 Dictum illud : *Non sacrum accessione ad sacrum efficitur sacrum*; potius locum habet in liqooribus.

NB. Alba V. C. benedictionem amittit, si per fra-ctionem inepta fit ad sacrum suum usum, vel si cingulum ita frangatur, ut neutra ejus pars ad cingendum sufficiat : Si tamrn ante plenam separationem reficiatur, & partes connectantur, servabitur consecratio.

6 Non amittitur consecratio Calicis per solam separationem pedis a cuppa in Calice tornatili : Quia sola cuppa in Calice tornatili per se consecratur. Alia ratio est de Calicibus, qui pedem amovibilem non habent.

7 Probabile est, Calicem non execrari nova inauratione secundum superficiem interiorem; cum enim forma Calicis permaneat, non videtur consecratio amitti: Quemadmodum neque Ecclesiæ consecratio perditur, si muri denuo dealbentur. Honestum tamrn est, ut post profanarum manuum contactum, & novæ materiæ appositionem Calix aqua benedicta prius lavetur, quam ad sacrificandum adhibeatur.

8 Valde conveniens (licet non simpliciter necessarium) est, ut in quolibet Altari Sacræ Reliquiæ sint.

9 Si Altaris sigillum, seu loculus, in quo Sacræ Reliquiæ sunt, notabiliter frangatur, Altare iterum consecrari oportet : Cum enim sigillum hoc censeatur præcipua pars mensæ, merito ob ejus fractionem, vel amotionem ipsa mensa sive lapis notabiliter confractus, seu diminutus æstimatur.

10 Altare, Calix, Patena, Corporale, polluuntur per humani seminis, aut sanguinis effusionem, ut reconciliari debeant. Quod si vero ad communem usum adhibeantur, non violantur, sed simplici benedictione reconciliare decens est.

11 Sacræ vestes, quibus Sacerdos in Missa utitur, benedictæ esse debent, & Pallæ parte interiori drbent esse lineæ, cum sint pars Corporalis; mappa etiam duplex Corporali subjecta esse debet.

12 Calix, & Patena ex materia aurea, argentea, vel stannea esse debent, non ex ligno, vitro, ferro, &c. pes etiam potest esse ex plumbo, aut cupro.

NB. Calix, & Patena debent benedici, & Chrismate inungi ab Episcopo. Religiosi Societatis in Indiam proficiscentes ex privilrgio Papali possunt talia benedicere. Calicis Purificatorium ex lino debet esse benedictum. Lumen etiam requiritur geminum, atque in cerea candela ardens. Preces ante Missam obligant sub veniali.

13 Ministrum Altaris, qui Sacerdoti respondeat, & urceolos porrigat, marem, non fœminam esse oportet : Sanctimoniales tamen ex loco remoto respondrre possunt, & consuetudo obtinet, ut Parochi in pagis sine ministro respondente celebrent.

14 Vestes sacræ, quibus sacrificans indutus esse debet, sunt, Amictus, Alba, Cingulum, Manipulus, Stola, Casola. Cingulum debet etiam esse benedictum, sicut alia.

15 Vestes, & sacra vasa oportet esse munda, &, si negligentia sit ex parte Sacerdotis non mundantis, erit mortale.

16 Sacrificans nudo capite esse debet.

17 Si aliquid ex requisitis ad Sacrificium celrbrandum desit, attendere oportet; hinc quidem, quantopere id requiratur ad Sacrificii celebritatem; hinc vero, quanta sit celebrandi necessitas : Nam sine vestibus sacris non licet celebrare; excepto casu gravissimæ necessitatis, puta, ob mortis periculum. Idem dicendum de aliis. Sine Missali tamen, si constantissima memoria polleat quis, in casu aliquo celebrare poterit, si scandalum absit, & si magna sit celebrandi necessitas. V. C. Si populus cum scandalo dimitti drberet, posset celebrare sine Stola, vel Manipulo : Sine magna autem necessitate non licet sine his celrbrare. Nam eo casu, quo Missa rite, ac decenter celrbrari non potest, cessat obligatio legis de Sacro faciendo, vel audiendo.

18 Sacerdos non debet populum benedicere, si celebret coram Romanæ Sedis Cardinale, vel coram Episcopo in loco jurisdictionis suæ, nisi is annuat, seu licentiam det.

19 Sacra vasa, in quibus continetur corpus Christi, tangere laico est mortale; si vacua sunt, veniale, si contempus absit. Etiam Corporalia, & Purificatoria prius leviter lavari debent a Diacono, antequam Sanctimonialibus, aut virginibus dentur iterum lavanda.

NB. In Minoribus Ordinibus constituti non audeant attingrre sacra vasa propter praxim Ecclesiarum, & communem Doctorum Sententiam.

20 Vestes, & Pallas benedictas, quæ nec Chrismate unctæ sunt, neque sacrum Christi corpus immediate contingunt, cum reverentia etiam laicis contingere permissum est. Lacerata tamen, & vetustate absumpta igne debent absumi, & non ad profanos usus adhiberi.

21 Sacras Reliquias cum reverentia tangere privatim, & thecis includere, laicis non est prohibitum.

22 Decens est, ut sacræ pixides, & Ciboria benrdicantur; quamvis id non in omnibus Ecclesiis usitatum sit.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Notet Confessarius non leviter increpandos illos Sacerdotes, qui sine veste decenti ad celebrandum accedunt. Ordinaria ipsorum vestis debet esse talaris, non tamen adeo attrita, & sordida, ut indecens judicetur. Rure sine veste talari solent celebrare. Sed quid dicendum, si Sacerdos brevi veste, pene lacera, luto, aliisque sordibus deformis ad Altare accederet? Certe gravis irreverentia reputaretur, talibus vestibus virum nobilem invisere, & non erit irreverentia ita accedere ad conficiendum Corpus, & Sanguinem Christi Domini? Accedit non leve scandalum aspicientibus præberi.

II. Multo magis increpandi sunt illi Sacerdotes, qui tales tobaleas super Altare habent, super quas vir honestus non sine stomaco manducaret. Quid præterea dicendum de adhibente amictus sudore, & colli sordibus valde conspurcatos? Albas, & laceras & sordidas, Corporalia, & Purificatoria multis maculis deformia? Nonne omnes isti gravis irreverentiæ erga Divinum Sacrificium rei sunt? Quod si quis hujusmodi indecentiæ propriam, vel Ecclesiæ paupertatem causaret, audiat Bellarminum *l. 2. de gemit. Colum. c. 3.* ubi hæc habet : „ Alicubi Vasa Sa-
„ cra, & vestes, quibus mysteria celebrantur, vilia, & sordida
„ inveniuntur, indigna prorsus, quæ ad tremenda mysteria adhi-
„ beantur. At forte, qui hæc adhibent, pauperes sunt? Id qui-
„ dem fieri potest, sed si pretiosa non possunt, saltem munda,
„ & nitida procurent. Fontibus lacrymarum prosequendi sunt,
„ qui exteriore turpitudine, & sordibus animi sui impietatem,
„ sordesque testantur.

III. Quis non videat grave committi sacrilegium, dum ipse calix, & patena sordescentes videntur, vel ob immunda labia, & digitos celebrantium; vel quia immunda redduntur, si interdum multa diligentia non purificentur? Calicem immundum ad bibendum nemo est, qui non respuat; & immundus Calix ad divina peragenda sine gravi culpa adhibendus est? „ Præcipimus,
„ ait Innocentius III. cap. relinqui de custod. Euch. ut Orato-
„ ria, Vasa, Corporalia, & Vestimenta, munda, & nitida con-
„ serventur. Nimis enim absurdum videtur in Sacris sordes ne-
„ gligere, quæ dedecerent etiam in profanis ".

VI. Accidere potest, ut dum Sacerdos celebrat in aliquo Oratorio rurali, longe ab Ædibus Parochi, & aliorum Incolarum, ex aliquo casu fortuito extinguantur candelæ, & non sit ulla commoditas illas accendendi. Si igitur extinguantur ante consecrationem, nullatenus est Missa prosequenda, quamvis urgeret præceptum audiendi Sacrum, vel Viaticum administrandi : neque etenim hujusmodi præcepta obligare possunt ad conficiendum Sacrificium cum indecentia. Cœpta vero consecratione esset prosequendum; nam tunc major irreverentia est cœptum Sacrificium non prosequi, quam perficere sine lumine.

CAPUT VII.

An, & quibus casibus Sacrificium Missæ interrumpere, vel imperfectum relinquere licitum sit?

1 NUnquam licitum est, directa intentione accedere ad consecrandum solum panem sine consecratione vini : Est enim contra Christi institutionem, sacrificium mutilum reddere; unde sacrilegium committitur. Quod si tamen in aliquo casu hostes hæretici ingruant ad occidendum sacrificantem in Altari, potest is Hostiam jam consecratam statim sumere, si ad consecrandum Calicem sine evidenti mortis periculo pergere non possit : Quia tunc directe, & ex proposito non mutilat Sacrificium, sed permittit ejus imperfectionem, seu omittit illud perficere; cum præceptum affirmativum in tali casu necessitatis non obligat. Sumptio etiam est de essentia Sacrificii; unde non est intermittenda.

2 Sacrificium cœptum interrumpere non est licitum, nisi in quibusdam casibus. Primo : Si Sacerdos recordetur, se jejunum non esse ante Canonem, aut irregularem, aut excommunicatum. Secundo : Si excommunicatus non toleratus Missæ interesse præsumatur, qui expelli nequeat. Tertio : Si morbus cogat Sacrificium interrumpere, vel alia gravis necessitas : Quo in casu, si Consecratio facta fuit, debet alius Sacerdos substitui, si prior redire, & Sacrificium prosequi non possit. Et si Sacerdos jejunus haberi non possit, debet perfici a non jejuno, eo quod majus sit præceptum de Sacrificio non relinquendo imperfecto, quam præceptum de Sacrificando, & communicando jejune. Quod si Sacerdos ante Canonem deficiat, non est necesse, ut alius accedat. Quarto : Ob magnam proximi necessitatem, puta, si alicui morti proximo Sacramentum sit ministrandum, maxime Pœnitentiæ, etiam post consecrationem : Sed Sacerdos debet se quam citissime expedire, & ad Sacrificium perficiendum redire. Quod etiam observandum est quoad Sacram Unctionem, si aliud Sacramentum accipere non possit.

3. Si

3 Si Sacerdos post Consecrationem advertat, aquam pro vino appositam fuisse, potest occulte aliud vinum apponare, & consecrara, sine nova panis Consecratione.

Regula in praxi observanda.

I. Bena animadvertat Confessarius, quod quamvis Theologi distinguant Ritus, seu Rubricas Missæ in præceptivas, & directivas, atque alias dicant solum obligare sub levi, alias sub gravi culpa; nihilominus semper dure increpare debet Sacerdotem suum Pœnitentem, qui negligens est in iis addiscendis, adeoque aas non servat, ut par est. Moneat, Ecclesiam a Divino Spiritu gubernatam, nullum ritum induxisse, quo vel non designetur aliquod mysterium vitæ, seu Passionis Christi Domini; vel saltem deservire non debeat ad excitandam in populo devotionem. Conveniens ne ergo est, ut ipse Sacerdos, dum ipsius Christi Personam gerit, aliqua veluti parvi faciat, omittat &c.? At præterea notet Confessarius hujusmodi Sacerdotem sibi a Confessionibus facillime peccare mortaliter. Primo, quia non unum, aut alterum, sed quamplures ritus non observando, ejus transgressio non dici potest esse in materia levi. Secundo, ratione contemptus. Pro quo observandum non solum peccare mortaliter, qui vere omitteret quemcumque sacrum ritum, quia parvi penderet, sed etiam qui ita se gerit, ut se parvipendere demonstret ipsos ritus, & cæremonias; quod certe evenit, si frequenter, & multas non observet: sicut injuriam alteri irrogaret non solum qui illum corde contemneret, sed etsi solum ita se gereret, ut ipsis operationibus demonstreret ipsum parvifacere. Tertio, peccare potest gravissime Sacerdos ratione scandali. Et quidem ex..., qui potest, a gravi scandalo illum Sacerdotem, qui antequam celebret, per aliquod tempus in Sacristia confabulatur, non solum de rebus indifferentibus colloquendo, sed etiam de iis, quæ non parum dedecent Sacerdotem. Accedit deinde ad sacras vestes induendas, & tunc vel amittit sacras preces, quarum sola omissio in opinione aliquorum est gravis culpa; vel si recitet, variis sermonibus interrampit. Procedit inde ad altare cum magna festinatione, huc, illucque oculis divagando; ac Missam ita festinanter celebrat, ut in ipsius initio jam ad finem anhelare demonstret, quæ acceleratio potest de se, ut dixi supra, esse grave peccatum. Accedit ad augendum scandalum, dari aliquando Sacerdotes, qui dum se ad populum convertunt, oculis procacibus adstantes, & fortasse fœminas intuentur. Si nimis verum est, juxta vulgatum dictum, ut Sacerdos, *qui Missam præcipitat, in infernum præcipitat*, quid dicendum de Sacerdote ex tot capitibus gravis scandali culpabili?

II. Etiam, atque etiam obtestor Confessarium, ut non permittat suo Pœnitenti illi opinioni adhærere, qua dicitur non esse greve peccatum Missam celebrare voluntarie, & notabiliter distractum. Si coram Deo semper credendus ast aliqua saltem levi culpa inquinatus ille, qui voluntarie distractus quamcumque aliam recitat orationem, quid dicendum de celebratione tam Sacrosancti, ac tremendi Sacrificii, si cum voluntaria notabili distractione celebretur? Ego in hoc ex duplici capite grave agnosco peccatum, quia nempe in hoc gravem irreverentiam considero, & grave periculum atiam in re non levi errandi.

E contra si Confessarius habeat Pœnitentem, qui in celebrando, ex timore aliqua omisisse, sæpe repetat, & maxime dum recitat, quæ secreta sunt, illum omnino ab hac angustia removeat, tum quia volunt Theologi credere non debere se aliqua omisisse; & quidem hoc difficiliter avenit in Scrupulosioribus: tum quia docent quod si de hoc dubitet, postquam jam aliqua recitaverit, non debet ordinem invertere, & retro redire.

III. Sacerdos non debet ignorare quid agere debeat, si contingat vel vinum, vel hostiam non aptam esse consecrationi, maxime quando id adverteret tempore sumptionis: quod etiam præstandum, si contingat alterum Sacerdotem non posse Missam prosequi &c. Hi casus re vera raro accidunt, at accidere possunt; & cum multi Sacerdotes ignorent quid tunc præstandum sit, facillime evenit vel Sacrificium mutilum remanere, vel non complere, sicuti conveniens est. Interim moneo, quod si Sacerdos post sumptionem animadvertat aquam loco vini fuisse appositam, vel acetum, bene agere putarem, si accedendo ad cornu Altaris, curet novum vinum aptum afferri, ibique eodem in Calice posito cum pauxillo aquæ dissimulanter offeret, & consecret; & bene, ea dictis, incipere potest ab illis verbis: *Simili modo &c.*

IV. Demus casum Parochum Ruralem celebrantem, peracta consecratione, ad moribundum quam cito advocari. Quid tunc præstandum est? Ut dixi, communiter Theologi docent interrumpere debere Sacrificium, aliquibus relictis, ut reverenter hostia, & calix consecratus custodiantur, & postquam Sacramenta Infirmo ministreverit, redire debere ad Sacrificium perficiendum. Hæc doctrina optima est, & forte facile reduci potest ad praxim, si Infirmus non longe absit. At demus multum abesse; demus Parochum esse senem, & non sine magna difficultate iterum jejunum rediturum ad perficiendum Sacrificium, quid tunc præstandum? Salvo semper meliori judicio, in casu quo difficillimum esset redire ad Sacrificium perficiendum, ego crederem debere statim hostiam, & calicem sumere, & deinde ad Infirmum procedere. Ita satisfit præcepto naturali de succurrendo proximo in extrema spirituali necessitate constituto; satisfit præcepto de non relinquendo Sacrificium imperfectum; & solummodo omittitur præceptum Ecclesiasticum de conficiendo Sacrificio etiam illis ritibus, & cæremoniis, quæ sunt inter consecrationem, & sumptionem, quod præceptum in talibus circumstantiis non videtur obligare.

TRACTATUS VI.

De Sacramento Pœnitentiæ.

CAPUT PRIMUM.

De nomine, & natura Pœnitentiæ, quatenus ea virtus est.

1 PŒnitentia (a *Pœna* dicta, eo quod sit dolor animi, se ipsum affligentis ob male commissa, vel omissa) tum præteritæ vitæ detestationem, animique doloram, tum novæ obediantiæ inchoationem continet. Cum enim par actum virtutis pœnitentiæ homo ad melioram vitam animi mutatione sa convartat, & ad justitiam accedat, necesse est, ut non solum vitæ novæ propositum concipiat, seu resipiscat, sed imprimis atiam vitam veterem, seu peccatum tanquam malum abolendum detestetur, ac de eo doleat; quandoquidem omnis mutatio duos terminos requirit, unum a quo recedatur, & alterum, ad quem accedatur. Unda colligitur, proprium, & formale objectum virtutis Pœnitentiæ assa malum peccati, quatenus est offensa Dei, ab homine cum Dei auxilio delenda, & compensanda.

2 Pœnitentiæ virtus definitur, *Detestatia, ac dolor animi de peccato, quatenus est offensa, & injuria Dei, intentione eam abolendi, ac compensandi.* Dicitur *Detestatio:* Quia est fuga, recessus animi a malo peccati, displicantia. Dicitur: *Quatenus est offensa Dei.* Nam detestari peccatum, quatenus est præcise malum moris, & rationi repugnans, pertinet generatim ad generale propositum virtutis, ac honestatis.

3 Pœnitentiæ virtus est pars quædam justitiæ commutativæ non simpliciter dictæ, sed secundum quid, qualem inter Deum, & hominem intercedare dixi Lib. 3. Tract. 1. de Just. C. 3. n. 3. Nam sicut in humanis, si quis alterius jus, authoritatem, vel honorem læsit, ad justitiam commutativam pertinet compensare, & satisfacere; sic etiam peccatum omne repugnat honori Dei, tanquam universalis Authoris, nostri Legislatoris, & Judicis: Ideo justitia exigit, ut læsus Dei honor, & authoritas, quatenus fieri potest, amendetur, ac compensatur. Et licat peccator Dei infiniti offensam ra ipsa compensare non possit, tamen cum Dei auxilio affectum axhibet, quem quasi pro facto Deus raputans peccatum ex misericordia gratis remittit.

NB. Pœnitentiæ virtus non tantum versatur circa malum peccati detastandum, & abolendum, sed etiam circa bonum justitiæ amplectendum, & reconciliationem cum Deo obtinendam. Ratio: Quia omnis detestatio, ac fuga mali fundatur in prosecutione, vel desiderio alicujus boni.

4 Duplax ast Pœnitentiæ actus. Unus perfectus, qui dicitur *Contritio:* Alter imperfectus, qui *Attritio* in scholis appallari solet.

5 Veræ contritionis actus tum a charitate, tum a Pœnitentiæ virtuta procedit; ab illa quidam, quatenus dolemus de peccato, ut est quid contrarium Deo, summo Bono; ab hac autem, quatanus idem peccatum aboleta cupimus ad satisfaciendum Deo offenso, seu injuria affecto.

6 Contritionis actus in omni lege fuit congrua dispositio per merita Christi justificationem consequendi. Sumitur Zach. ex 1. *Convertimini ad me, & convertar ad vos.*

7 Qui vera contritus est, is saltem implicite paratus essa dabet, quodvis aliud malum potius perferre, quam contra Deum peccare. Nam formalam, seu expressam comparationem instituere: *Mallem aquis mergi, igne perire, quam peccasse, aut peccare;* necessarium non ast, & interdum ob hominis fragilitatem periculo non vacat.

8 In vara contritione continetur propositum saltem implicitum sarvandi mandata Dei, & inprimis quidem in nova lage suscipiendi Sacramenta Baptismi, & Pœnitentiæ, tanquam media a Deo per se instituta ad remissionem peccatorum.

9 Attritio, seu imperfectus dolor de peccatis, ut homini utilis sit ad salutem, debet ax supernaturalā motivo proficisci, V. C. per Fidem apprehenso, puta, quia tanquam Dei offensa pœnam æternam meratur; atque insuper effectum, seu voluntatem peccandi exclu-

excludere cum spe veniæ a Deo obtinendæ: Estque attritio via ad justitiam comparandam: dolor vero de peccato ob motivum mere humanum non est utilis, seu nullam omnino proportionem habet ad justificationem.

10 Timor Dei alius filialis est, V. C. timere peccatum, quia Deo summo Bono contrarium est. Alius timor iste servilis, V. C. timere peccatum, quia reatum pœnæ a Deo infligendæ secum affert. Est quidem timor iste imperfectus, & aliquo modo servilis, tamen absolute bonus, & honestus. Alius malus, & Charitati divinæ oppositus: Talis est, si quis a peccato propter gehennæ timorem, tanquam principale motivum abstineat, ita ut, si gehenna non esset, peccare vellet.

CAPUT II.

De necessitate Pænitentiæ, quatenus est actus virtutis.

1 PŒnitentia in omni lege necessarium medium fuit ad salutem hominibus lapsis in peccatum mortale. Sumitur ex illo Christi Luc. 13. *Nisi pænitentiam egeritis, omnes similiter peribitis*. Discrimen vero est inter statum legis Evangelicæ, & statum ante gratiam Evangelii; quod ante legem gratiæ nemo adultus a mortali peccato liberari, & justificari poterat sine vera contritione, includente charitatem Dei super omnia, propterea quod Sacramenta veteris Legis inania signa erant, quæ gratiam Dei per se non conferebant, sed excitabant Fidem in Christum, quæ, si formata fuerat per actum charitatis, & contritionis, vim habuit justificandi.

2 Attritio cum Sacramento Baptismi, vel Pœnitentiæ sufficit ad hominis adulti justificationem. Ratio: Quia hæc duo Sacramenta ex Christi institutione non vivorum, sed mortuorum remedia sunt, id est, per se, ac directe instituta, ut homini spiritualem vitam, id est, remissionem peccatorum adferant; consequenter eam ante susceptionem necessario non requirunt: Imperfecta tamen saltem Pœnitentia necessaria est, tanquam dispositio ad justificationem.

3 Ad consequendam justificationem in Sacramento Baptismi sufficere videtur attritio virtualis, si homo peccatorum suorum tunc memor non sit. Nam quemadmodum, si quis peccatorum memoriam non habet, ad hujus justificationem extra Sacramentum non requiritur Pœnitentia, sive contritio formalis, sed sufficit virtualis, videlicet actus charitatis Dei super omnia dilecti; siquidem in Scriptura passim actui dilectionis promittitur remissio peccatorum. 1. Petr. 4. *Charitas operit multitudinem peccatorum*. Ita pari ratione ad justificationem peccatoris, qui peccatorum suorum memor, aut conscius non est, in Sacramento Baptismi non requiri videtur Pœnitentia, sive attritio formalis, sed sufficit virtualis, videlicet efficax actus spei supernaturalis: Nam æternam felicitatem sperans, & desiderans paratus est ad detestandum peccatum, quod a consecutione æternæ felicitatis impedire per Fidem cognovit. Alia vero ratio est de Pœnitentiæ Sacramento, ad quod necessario requiritur formalis, & explicitus actus Pœnitentiæ saltem imperfectæ; quippe cum hæc sit pars essentialis materiæ hujus Sacramenti.

4 Extat præceptum divinum lapsis impositum, ut pœnitentiam agant, Jerem. 8. Ezech. 18. adeo, ut ob ejus transgressionem novum peccatum impœnitentiæ incurrant. Verum, cum hoc præceptum affirmativum sit, non omni tempore obligat. Obligat tamen per accidens tribus casibus. Primo: Si Sacramentum aliquod ex iis, quæ vivorum propria sunt, suscipere, & administrare velit. Secundo: Si positus inter peccandi occasiones gravibus tentationibus urgeatur, quas credat, se moraliter evitare non posse, nisi ad Deum per contritionem conversus ejus gratiam, & auxilia obtineat. Tertio: Si ob alicujus (puta, Principis) peccatum Communitas incidisset in periculum, ne a Deo graviter puniretur; sicut accidit in peccato Achan Jos. 7. & Davidis 2. Reg. 24.

5 Non statim, cum mortale peccatum admissum est, præceptum Pœnitentiæ obligat. Ratio peti debet ex natura præceptorum affirmativorum, non nisi in temporis opportunitate, & necessitate obligantium. Consultum tamen est, statim pœnitere, juxta Eccles. 5. *Ne tardas converti ad Dominum, & ne differas de die in diem.*

6 Pœnitentiam nimis longo tempore, aut usque ad finem vitæ differre, est novum peccatum impœnitentiæ. Ratio peti debet tum ex parte Dei, in cujus inimicitia longo tempore persistere, & pro illata ipsi injuria non satisfacere, præsertim ipso excitante, novam injuriam continet, & contemptum interpretativum juxta Proverb. 1. *Quia vocavi, & renuistis, &c. ego quoque in interitu vestro ridebo*. Tum vero ex parte peccatoris; siquidem is in mortali peccato diu persistendo gravissimam spiritualium bonorum jacturam, periculum recidendi, ac demum indurationem in malo incurrit.

7 Si moriturus non conetur veram animi contritionem, seu dolorem de peccatis ea Dei dilectione conceptum elicere (quippe tunc obligatus, eo quod lex charitatis quemvis obliget, ut in exitu hujus vitæ, & ingressu ad alteram per actum dilectionis se Deo omnis vitæ authori conjungere studeat) suspecta est ejus Pœnitentia.

8 Postquam semel peccata homini remissa sunt, non incumbit obligatio de iis, in memoriam occurrentibus, iterum dolendi: Est tamen consultum, imo per accidens necesse, exercere actum displicentiæ præteritorum peccatorum, si periculum morosæ delectationis propinquum esse videatur.

9 Peccans cum proposito postea confitendi minuit peccatum suum. Ratio; Quia peccatum tanto minus, aut majus est, quanto magis, aut minus voluntas ei adhæret, seu in eo firmatur: Constat autem, voluntatem minus adhærere peccato committendo, si postea recedere parata sit, quam si parata non sit. Quod si tamen consideratione veniæ obtinendæ per Sacramentum Confessionis aliquis alliciatur ad liberius peccandum, videtur esse hæc circumstantia aggravans, imo novam speciem ingratitudinis continens. Unde recte agunt fideles, si de hoc ipso in Sacra Confessione se accuseot. Non tamen est unum ex peccatis in Spiritum Sanctum, nec semper mortale, sed si frequenter fiat, ita ut homo veluti consuetudinem, ac facilitatem quandam peccandi ex tali fiducia postea confitendi ingenerari sibi advertat.

Regula in praxi observanda.

I. Confessarius vero ardens animarum zelo præ oculis habeat miserrimum peccatorum statum, dum differunt pœnitere. Ultra jacturam tot spiritualium bonorum, qua ratione graviter peccare possunt contra Charitatem erga seipsos, continuo in nova peccata ruunt, & aliquando in talem cordis duritiem prolabuntur, ut si vel Dei bonitas, vel Deus peccati severissimus vindex, vel supplicia æterna ipsius proponantur, tamquam insensati auscultant, & nullum peccati horrorem, doloremque demonstrant. Ostendat ergo ipsam diuturnam pœnitendi dilationem esse novum grave peccatum contra præceptum pœnitentiæ. Ac tandem serio moneat illos, qui fidunt vere in puncto mortis posse pœnitere, quod etiamsi nullo morbi incommodo mens occuparetur, raro illa pœnitentia est vera; nam, ut ait S. Augustinus serm. 393. *Si vis agere pœnitentiam, quando jam peccare non potes, peccata te dimiserunt, non tu illa.*

II. Quamvis credam præceptum pœnitentiæ non obligare moribundum ad actum contritionis, quando potest confiteri, nihilominus notet Confessarius ex vi præcepti Charitatis teneri ad eliciendum actum amoris Dei; male proinde aget, si ea occasione etiam ex motivo amoris Dei summe dilecti non illum excitet ad dolendum de suis peccatis; ex hac etenim perfectiori pœnitentis dispositione fructuosus redditur Sacramentum.

CAPUT III.

De Pænitentia, quatenus est Sacramentum.

1 PŒnitentia est Sacramentum novæ Legis a Christo institutum, Joan. 20. *Insufflavit, & dixit eis: Accipite Spiritum Sanctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Nam verbis illis habemus tum externam cæremoniam, seu sensibile signum Absolutionis: *Quorum remiseritis peccata;* tum etiam promissionem gratiæ, seu remissionis peccatorum, legitimæ Absolutioni infallibiliter annexam, secundum verba Christi: *Remittuntur eis*; adeoque habemus proprium Sacramentum, idque non ab aliis, quam Sacerdotibus administrandum. Etenim, posteaquam Christus Dominus in Cœna ultima discipulis suis, eorumque legitimis in Sacerdotali Ordine successoribus potestatem dedisset verum suum corpus conficiendi, deinde post resurrectionem eisdem potestatem contulit, corpus suum mysticum, quod est fidelium congregatio, judiciaria potestate, si lapsi sint, sanctificandi.

2 Sacramentum Pœnitentiæ lapsis post Baptismum in peccatum mortale necessarium medium est ad salutem: Quemadmodum & in corporalibus generatio omnibus hominibus necessaria est; medicatio non item, sed iis tantum, qui in morbum inciderunt.

Pœni-

3 Pœnitentiæ Sacramentum eſt altera poſt Baptiſmum tabula, naufragis præparata.

4 Sicuti non baptizatis ad juſtificationem ſufficit votum Baptiſmi; ita etiam lapſis ſufficit votum Sacramenti Pœnitentiæ, ita tamen, ut, ſi poſtea Sacramentum re ipſa ſuſcipi poſſit, omnino neceſſe ſit. Quod autem votum Baptiſmi, & Pœnitentiæ neceſſarium ſit, ſi actu ſuſcipi non poſſint, probatur: Quia remiſſio homini ante Baptiſmum, & Pœnitentiam non confertur, niſi cum ordine, obligatione, & quaſi tacito pacto ſuſcipiendi Baptiſmi, & ſacramentaliter confitendi; ad eum fermè modum, quo contractus emptionis non perficitur, neque rei emptæ, ac traditæ dominium acquiritur ſine reſpectu, & obligatione ad ſolutionem pretii. Ratio eſt: Quia illa duo Sacramenta a Chriſto inſtituta ſunt tanquam remedia per ſe remiſſionis peccatorum.

5 Materia remota, circa quam Sacramentum Pœnitentiæ verſatur, eſt omne peccatum actuale hominis baptizati, etiam id, a quo aliquis ſemel abſolutus eſt; idque ob praxim fidelium ad uberiorem ſanctificantis gratiæ virtute Sacramenti infuſionem.

NB. 1. Si Confeſſarius nullam certam, ſed ſolum dubiam Abſolutionis materiam ex pœnitente elicere poſſit (poſito, quod nullum certum veniale extorſerit; conari tamen debet) interdum ſub conditione tacita abſolvere eum poterit, ſi peccati gravitas, perſonæ periculum, aliæve circumſtantiæ poſtulare videantur, interdum vero Abſolutione ſuperſedere, ſi nulla neceſſitas appareat Sacramentum ſub conditione miniſtrandi.

NB. 2. Si quis generalem Confeſſionem de peccatis ſeu totius vitæ, ſeu unius anni, &c. inſtituere velit, ſollicitus eſſe non debet, ut omnia etiam mortalia recenſeantur, nullo prætermiſſo: Cum enim peccata, a quibus Abſolutio legitime collata eſt, ſicuti & venialia, materia Confeſſionis libera ſint, per ſe loquendo, nihil repugnat reverentiæ Sacramenti, aliqua eorum confiteri, aliis prætermiſſis.

6 Materia propinqua, ex qua Sacramentum Pœnitentiæ intrinſece conſtituitur, ſunt actus pœnitentis, videlicet Contritio, Confeſſio, & Satisfactio. Ratio: Quia Abſolutio neceſſario confertur a Sacerdote per modum ſententiæ judicialis; talis autem ſententia eſſentialiter requirit cauſæ cognitionem, & Rei accuſationem, quæ in ſecreto hoc Pœnitentiæ foro alia eſſe non poteſt, quam ipſius Rei pœnitentis Confeſſio. Igitur humili, & contrita pœnitentis Confeſſione, Sacerdotiſque Abſolutione Sacramentum hoc, tanquam materia ſua, & forma, eſſentialiter conſtituitur, atque effectum principalem, qui eſt remiſſio culpæ, tribuit. Sed quia deleto reatu culpæ ſupereſt reatus, ſive obligatio pœnæ temporalis, ideo ad peccatum integre, ac perfecte deſtruendum requiritur etiam ſatisfactio a Sacerdote judicialiter impoſita, tanquam pars integralis, & materialiter perficiens Sacramentum.

7 Forma hujus Sacramenti eſt hæc: *Ego te abſolvo a peccatis tuis*. Non in ſcriptis, ſed in verbis debet fieri Abſolutio, ubi verba *Abſolvo te* ſunt de eſſentia: Quia reliqua tacite ſubintelliguntur.

8 Omnia Sacramenta cum ſalutari Crucis ſigno adminiſtrantur ex praxi, & conſuetudine Eccleſiæ.

NB. Licet ponamus, nullum omnino vinculum exiſtere in pœnitente afferente ſolum peccata præteritis Confeſſionibus deleta, non tamen ideo forma Abſolutionis falſa fit, quia ſenſus ejus eſt: Abſolvo te a peccatis tuis, id eſt, confero tibi gratiam ſanctificantem, ſuapte natura vim habentem remittendi peccata, quæ, & quatenus in pœnitente rite ad eorum remiſſionem diſpoſito exiſtunt.

9 Abſolutio ſacramentalis non niſi præſente eo fieri poteſt, qui abſolvitur, idque ſecundum praxim Eccleſiæ haud dubie profectam ex Chriſti inſtitutione. Quod ſi Chriſtus Dominus præſcripſiſſet, etiam in abſentem ſententiam ferri, ſicuti in externo foro judiciali, alia eſſet ratio; ſed jam ex praxi Eccleſiæ conſtat, Chriſti mentem, & voluntatem eſſe, ut Abſolutio non niſi præſentibus detur.

10 Verumtamen hæc minime obſtant, quo minus Sacerdos pœnitentem, quem reperit morti proximum, ſi ante adventum illius ſigna contritionis edidiſſe, aut Confeſſarium petiiſſe, aut peccata ſua in ſchedula annotaſſe illum conſtet, propter extremam neceſſitatem ſacramentaliter abſolvere poſſit, licet in præſentia Sacerdotis nullum Confeſſionis faciendæ ſignum edat; ut dicam infra Cap. 7.

Regula in praxi obſervanda.

Cum ſola peccata vel gravia, vel levia ſint materia Sacramenti Pœnitentiæ, conſequens eſt imperfectiones non eſſe illius materiam; nam cum ſolum opponantur conſiliis, de ſui natura non habent rationem peccati. Nihilominus in praxi non ſunt removendæ perſonæ pietati addictæ ab iis accuſandis in Confeſſione, quamvis monendæ ſint, ne quoad hæc ſcrupuloſiores ſint, & inquietæ. Ideo autem dixi bene poſſe de iis ſe accuſare, quia valde difficile eſt dari imperfectiones, quæ ex aliquo capite annexum non habeant peccatum veniale. Demus ex gr. aliquem ſe accuſare non obſequutum divinæ inſpirationi, valde remiſſe actus virtutum eliciuſſe &c. his imperfectionibus facile conjunctum erit peccatum veniale vel ratione ingratitudinis ad Divina beneficia, vel quia exercendo actus præter, aut contra Inſpirationes, non adhibitus eſt finis honeſtus; vel remiſſio actus boni orta eſt ex aliqua culpabili pigritia, ſeu negligentia.

CAPUT IV.

De Contritione.

1 AD veram contritionem (quæ eſt *animi dolor, ac deteſtatio de peccato commiſſo cum propoſito non peccandi de cætero*) non requiritur certus gradus intenſionis, neque abſolute neceſſarium eſt de uno peccato mortali magis conteri, quam de alio. Nam, ubi eſt ſubſtantia contritionis, per quam appretiative deteſtamur peccatum ſupra omne malum, repugnans ſummo Bono dilecto, per Fidem cognito, ibi eſt vera contritio, & ſufficiens diſpoſitio ad remiſſionem cujuſque peccati mortalis; ſed in quocunque intenſionis gradu conſiſtere poteſt ſubſtantia contritionis, qualem deſcripſimus: Ergo.

2 Ad veram contritionem, per quam peccator juſtificatur, mora temporis non requiritur. Ratio: Quia ſecundum Dei voluntatem, ac miſericordiam contritio (quæ facta apprehenſione objecti unico momento elici poteſt) ultima diſpoſitio eſt ad gratiam ſanctificantem; poſita autem ultima diſpoſitione, ſtatim eodem momento acquiritur forma: Ergo.

3 Unus ſimplex contritionis dolor de omnibus peccatis mortalibus, generali ratione apprehenſis, ad juſtificationem extra, vel intra Sacramentum, per ſe loquendo, ſufficit. Probatur. Nam, ſi adeſt vera contritio, ſtatim eodem momento ſequitur gratia juſtificans; vera autem contritio adeſt, ſi homo unicum, vel plura, aut omnia peccata animo apprehenſa deteſtetur, tanquam ſummum malum repugnans Deo ſumme dilecto: Ergo. Sed hoc intelligendum eſt, ſi Confeſſio ob inopiam Confeſſarii impoſſibilis ſit: Alioquin propter obligationem Confeſſionis faciendæ nemo dubitat, omnia peccata mortalia in memoriam revocanda eſſe, ut omnia ſecundum ſpeciem, & numerum explicari poſſint.

4 Ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ requiritur, ut dolor internus aliquo modo antecedat Confeſſionem peccati. Probatur. Quia externa peccatorum Confeſſio, ut ſit pars Sacramenti, debet procedere ab interna pœnitentia, eamque ſignificare; quandoquidem materia Sacramenti Pœnitentiæ eſt Confeſſio doloroſa, ſive Sacramentalis Confeſſio non eſt mera peccatorum explicatio, accuſatio ſui ipſius, tendens ad reconciliationem cum Deo. Unde pro majori ſecuritate conſultum eſt, præmittere Confeſſionem generalem, ut, ſi ante dolor ex generali motivo conceptus non erat, ſaltem tunc concipiatur.

NB. 1. Neceſſe eſt ex Sententia Suarez, ut dolor animi poſt peccatorum narrationem habitus externo aliquo ſigno declaretur, ſaltem humiliando ſe coram Sacerdote, & Abſolutionem petendo.

NB. 2. Quod ſi Confeſſarius dubitet de confitentis interna diſpoſitione, excitare eum debet ad dolorem de peccatis paulo ante narratis tum concipiendum, tum ore profitendum.

5 Ad Sacramentum Pœnitentiæ non ſufficit, dolere te, quod non ſatis doleas. Cum enim dolor de peccatis non qualiſcunque, ſed ex motivo ſupernaturali conceptus, atque ad omnia mortalia ſaltem implicite ſe extendens ſit eſſentialis pars Sacramenti, manifeſto liquet, ſi talis non adſit, quantumvis non adeſſe doleas, irritum eſſe Sacramentum. Quod ſi quis tamen doleat, quod magnitudini peccatorum non ſatis proportionatum dolorem habeat, ſignum eſt, eum ſatis dolere, & Abſolutionem mereri. Deinde, ſi quis arbitretur, ſe non ſatis dolere, cum tamen ex animo cupiat, eximendus eſt ei ſcrupulus.

6 Sufficit ad juſtificationem implicitum propoſitum

de

de cætero non peccandi ; quod in ipsa detestatione peccati virtualiter continetur. Probatur. Quia uno simplici actu detestationis peccatorum ex motivo supernaturali homo sufficienter disponitur ad justificationem, cum interim fieri possit, ut de vita imposterum instituenda, aut peccatis evitandis nihil cogitet, præsertim si morti propinquus sit. Cæterum, cum odium mali suapte natura excitare soleat in homine voluntatem, seu propositum illius declinandi, ideo dixi, in vera detestatione peccatorum virtualiter contineri propositum emendationis, ideo quidem, ut, si homini vere de peccatis dolenti hujus rei cogitatio occurrat, statim etiam moveatur ad propositum (quod Confessarii exigere debent a confitentibus) omnia mortalia peccata imposterum cavendi.

7 Propositum imposterum abstinendi a peccato in pœnitente efficax esse debet, ita, ut dum talis animi dispositio, seu voluntatis propositum durat, re ipsa moveatur homo ad occasiones peccatorum amovendas, & omnem aliam operam adhibendam, quæ ad vitanda peccata necessaria esse videtur. Ratio : Quia propositum finis, si absolutum, firmumque sit, statim movet voluntatem ad quærenda, & amplectenda media necessaria.

8 Accidit interdum, ut quis verum propositum habeat abstinendi a peccato, & tamen existimet, se non omnino vitaturum esse, vel certum aliquod peccati genus non effugiturum, quia antea etiam voluntatis suæ inconstantiam expertus fuerat. Ratio : Quia velle, ac proponere voluntatis actus est ; existimare autem, se facturum, quod voluntas proposuit, actus intellectus, qui ex proposito illo necessario non consequitur ob humanæ voluntatis cognitam mutabilitatem. Unde Confessarii pœnitentes non debent adigere ad specialem promissionem, vel juramentum de hoc, vel illo peccato imposterum non patrando, nisi in crimine pernicioso Reipublicæ, V. C. proditionis.

9 Occasiones, & pericula peccandi propinqua, quæ scilicet spectatis omnibus circumstantiis difficulter, & vix aliquis evitaturus putatur, pœnitens ordinarie amovere obligatus est, juxta Eccles. 3. *Qui amat periculum, peribit in illo*. Et secundum verbum Christi Matth. 18. *Si manus, vel pes tuus scandalizat te, abscinde illum, & projice abs te*. Non item pericula remota, quæ homo facile evitare potest.

NB. Quod si periculum propinquum, seu occasio mortaliter peccandi sine gravi incommodo corporis, famæ, fortunarum, tolli non possit, tunc consilium quidem est, minorem illam jacturam bono securitatis animæ posthabere, sed non præceptum. Ratio : Quia occasio peccandi in se peccatum non est, neque necessitatem infert, aut animi libertatem aufert : quare cum eo consistere potest peccatorum detestatio.

10 Qui sæpius eandem speciem peccati ad Confessionem affert, iterum absolvendus est, si novum emendationis propositum ostendat (quia, ut S. Hieronymus ait, *non solum septies, sed etiam septuagies septies delinquenti, si convertatur ad pœnitentiam, peccata condonantur*) quod aliquibus signis Confessarius cognoscere poterit. I. Si post proximam Confessionem rarius quam ante solebat, lapsus fuit. II. Si mediis a Confessario præscriptis usus fuit. III. Si occasiones, quas removere debuerat, re ipsa removit. Sed, licet talia non præstiterit, tamen est absolvendus : Quia, licet antea propositum inefficax habuerit, nunc tamen verum, & efficax concipere potest, idque affirmanti credi plerumque debet, cum ipse sit sui accusator, defensor, & testis. *(a)*

„ *(a)* Vide an satis hæc affinia sint propositioni
„ 60. inter damnatas ab Inn. XI. *Pœnitenti habenti con-*
„ *suetudinem peccandi contra legem Dei, naturæ, aut*
„ *Ecclesiæ, etsi emendationis spes nulla appareat, nec*
„ *eis neganda, nec differenda absolutio, dummodo ore*
„ *proferat se dolere, & proponere emendationem*.

NB. Quod si pœnitens dolore, & indignatione propter relapsus suos concepta iterum sæpius confitendo pœnitentiæ, & confusionis suæ remedia quærat, talis censeri debet bene dispositus.

11. Concubinarius ordinarie absolvi non debet, nisi spondeat, concubinam quamprimum a se amandaturum. Quanquam fieri possit, ut aliquis semel, aut iterum admonitus restitutionem non fecerit, aut concubinam non dimiserit, nunc tamen evidentiora signa maturæ voluntatis præseferat, ut ejus promissio acceptari, & Absolutio dari possit.

NB. Quod si quis in gravi infirmitate, vel quovis periculo constitutus alium hominem facile habere non possit, qui ei necessaria ministret præter concubinam, ad quam tunc pœnitens carnis affectum non gerat, ideoque putet, se ejus occasione non lapsurum, quamprimum autem convaluerit, statim se amandaturum promittat ; tali casu permitti poterit, si scandalum absit, videlicet in concubinatu occulto. *(b)*

„ *(b)* Non multum abhorret hæc sententia ab il-
„ la, quam Alex. VII. in prop. 41. damnavit : *Non*
„ *est obligandus concubinarius ad ejiciendam concubi-*
„ *nam, si hæc nimis utilis esset ad oblectamentum con-*
„ *cubinarii*, vulgo Regalo, *dum deficiente illa nimis*
„ *ægre ageret vitam, & aliæ epulæ tædio magno con-*
„ *cubinarium afficerent, & alia famula nimis difficile*
„ *inveniretur*. Profecto sententiæ hujus assertores non
„ negabant concubinarium hunc exhibere exterius si-
„ gna doloris de peccato suo, & serio promittebant
„ emendationem ; adhuc tamen Pontifex censura sua
„ dignam hanc sententiam dijudicavit.

12 Nullum etiam veniale peccatum in hac vita a Deo homini remittitur, absque pœnitentia, saltem virtuali. Ratio : Quia veniale est aliqualis deordinatio, & macula mentis conversæ ad bonum creatum, aliquo modo contra authoritatem, ac legem Dei, cujus proinde amicitiam licet non tollat, tamen aliquatenus impedit. Talis autem deordinatio, & aversio mentis, tametsi actualiter cesset, V. C. in homine dormiente, vel ad alia animum applicante, manet tamen habitualiter, & secundum voluntatem interpretativam, donec per contrarium actum supernaturalem alicujus pœnitentiæ retractetur.

13 Vera contritione omnia mortalia delentur, sed non omnia venialia ; quia fieri potest, ut cum vera contritione, & hominis justificatione venialia aliqua peccata consistant, sive secundum actualem affectum, sive secundum habitualem tantum, & nondum retractatam voluntatem.

14 Sola attritio in homine justo non videtur esse sufficiens ad remissionem peccatorum venialium extra Sacramentum : Quia peccatum etiam veniale est aliquo modo contra Deum ; quippe aversio aliqua, & recessus a Deo : Ergo extra Sacramentum remitti non debet, nisi per pœnitentiam, seu detestationem peccati conceptam propter Deum, seu per quam convertatur homo ad Deum, quæ est contritio.

15 Peccatum veniale nunquam remittitur, nisi simul infundatur gratia sanctificans ; sed gratia sanctificans homini extra Sacramentum non infunditur sine actu formali, aut virtuali charitatis : Ergo, cum attritio ex charitate non procedat, sed solum contritio, sequitur, per attritionem in homine justo non remitti venialia. Major probatur : Quia, esto, Deus per absolutam potentiam remittere possit peccatum sola condonatione extrinseca, quod Scholastici disputant, certum tamen est, convenientius esse, ut id faciat per infusionem alicujus doni intrinsece inhærentis, quæ est gratia sanctificans. Minor probata fuit Lib. 2. Tract. 3. C. 1. num. 2. quod justus extra Sacramentum sine actu charitatis gratiæ augmentum consequi non possit.

NB. Peccatorum venialium remissionem a Deo consequimur per Orationem Dominicam, vel alias preces, continentes in se petitionem veniæ peccatorum, imo per quodvis opus bonum, V. C. eleemosynam, jejunium, si ea intentione fiat, ut per id peccatorum remissionem mereamur. Hæc tamen intelligi debent, ut fiant propter amorem Dei, seu ex charitate Dei, sine qua opera quæcunque homini nihil prosunt ad salutem.

16 Peccatum veniale ei, qui simul habet originale, aut mortale, nunquam sine eo remittitur. Ratio : Quia peccatum veniale est quædam aversio a Deo : Ergo non potest deleri, nisi per actum hominis ad Deum conversi, ipsique grati.

17 Sacramentalia, puta, aqua benedicta, Agni cerei, &c. non habent vim per se, & immediate remittendi peccata venialia, sed tantum remote, quatenus propter preces Ecclesiæ impetrant nobis a Deo auxilia gratiæ prævenientis, & alia beneficia. Probatur ex eo, quod peccata etiam venialia non remittantur homini sine interiore pœnitentia, & gratiæ infusione. Quamobrem Ecclesia non habet potestatem extra collationem Sacramenti certo, & infallibiliter remittendi peccata secundum reatum culpæ. Alia vero ratio est de remissione pœnæ per indulgentias : Cum enim illa sit extrinseca quædam condonatio, non requirit internam hominis renovationem.

18 Ad remissionem etiam venialium peccatorum extra,

ra, & intra Sacramentum requiritur propositum saltem virtuale ea imposterum vitandi: Nam ad remissionem etiam venialium requiritur pœnitentia; ea autem necessario includit propositum saltem virtuale.

19 Magnum discrimen est inter propositum requisitum ad remissionem peccati mortalis; & propositum requisitum ad remissionem venialis: Nam primo propositum vitandi mortalia, sicut & ipsa contritio, vel attritio debet se ad omnia explicite, vel implicite extendere, propterea quod unum mortale sine alio non remitti, neque unquam hominis justificatio fieri possit, manente actuali, aut habituali affectu ad peccatum mortale; quippe cui gratia justificans per se, ac formaliter repugnat.

20 Contra vero nihil obstat, quin unum veniale homini remittatur, altero remanente, vel secundum habitualem, & non retractatam voluntatem, vel etiam secundum actualem affectum, seu peccandi propositum. Ratio: Quia licet gratia sanctificans ad remissionem peccati venialis concurrat, tamen non expellit omne peccatum veniale; quandoquidem peccatum veniale in actu, & habitu consistere potest cum gratia sanctificante; non item mortale. Secundo: Ad remissionem mortalium requiritur propositum abstinendi ab omnibus non tantum in sensu diviso, sed etiam composito, seu collectivo, ita ut animus sit non tantum singula, sed etiam omnia simul cum Dei gratia evitare. At vero ad remissionem venialium non requiritur propositum vitandi omnia simul, & collective, ita ut animus sit, nunquam venialiter peccandi, ne quidem ex animi subreptione; hoc enim sine specialissima Dei gratia homini in hac vita impossibile est: Impossibilium autem non est voluntas, vel propositum.

21 Per veram Pœnitentiam peccata non sopiuntur sed penitus extinguuntur. Colligitur ex Actor. 3. Tit. 2. Psalm. 50. At vero bonorum operum merita, quæ in statu peccati veluti sopita, & impedita erant, per Pœnitentiam reviviscunt. Non item peccata reviviscunt per relapsum. Probatur prius: Quia privatio illa gloriæ æternæ, tanquam mercedis debitæ, fundatur in peccato postea commisso, tanquam fundamento, & radice: Si igitur peccatum per Pœnitentiam, & justificationem sublatum sit, recuperatur meritum, seu jus gloriæ cœlestis, quo peccator se indignum interim reddebat. Posterius probatur: Quia, quod semel absolute deletum est, id amplius non reviviscit; sed peccatum per Pœnitentiam penitus deletur, & afferitur: Ergo. Unde illud Apostoli Rom. 5. *Non sicuti delictum, ita & donum*, seu gratia remissionis: Quia Deus multo pronior est ad miserendum, quam ad puniendum.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quamvis dari possit dolor naturalis, qui revera sufficiens non est ad Sacramentum pœnitentiæ, nihilominus dum in praxi concipitur dolor de peccatis, ex motivo, quod non solum dictetur a ratione naturali, sed etiam a Fide, puto judicandum dolorem esse supernaturalem. Ratio autem est, quia dum Christianus non velit ex industria excludere lumen Fidei, & sistere in solo ratiocinio naturali, non potest concipi, quin magis se moveri sinat a Fidei, quam a rationis dictamina. Ita si quis lumine rationis consideret turpitudinem peccati per oppositionem ad virtutes, magis nihilominus movebitur ad illud detestandum eo quod Fides edoceat animam per peccatum expoliari gratia, atque ita turpem fieri, ut Deus illam odio habeat. Solum ergo dolor ex motivo mere naturali ortus, non erit sufficiens ad Sacramentum Pœnitentiæ; ut si quis doleret de peccato propter exilium, seu mortem a Judice infligendam. Ceterum, quidquid alias dixerim in Quæsitis Dogmaticis *Tract. 6. cap. 6. num.* 11. non nego posse esse dolorem supernaturalem illum, qui conciperetur ex timore pœnarum temporalium, ut infligendarum a Deo Vindice peccati. Ratio est, quia cum S. Scriptura tam sæpe doceat multoties Deum etiam in hoc punire nostra crimina, jam timor talium pœnarum regulari potest a lumine Fidei, adeoque esse supernaturalis. Hinc fortasse Tridentinum *sess.* 14. *de Pœn. cap.* 4. loquens de supernaturali attritione dixit oriri *ex gehennæ, & Pœnarum metu*. Et Alexander VIII. sub num. 14. & 15. damnat propositiones asserentes non esse actum bonum, & supernaturalem dolorem conceptum *ex gehennæ, & pœnarum metu*: non ergo solum dolor conceptus ex metu pœnæ æternæ, sed etiam temporalis, eo modo, quo dictum est, potest esse supernaturalis.

II Communiter Theologi ut valde imprudentes habent illos Confessarios, qui ut experimentum faciant doloris, & propositi suorum Pœnitentium proponunt illis valde periculosas comparationes. Ut si viro nobili, quando id non exposceret accepta injuria, diceret potius debere promptum esse ad sustinendam in publica platea alapam a vilissimo homuncione, quam rependendo aliquam injuriam peccare. Si diceretur Matri, an potius prompta sit sub oculos suos pati crudelissimam amati Filii occisionem, quam aliquo modo peccare sese de homicida ulciscendo. Hæ imprudentes comparationes de malis vehementibus tolerandis potius quam peccare, pertinens ad genus tentationis, qua pœnitens facile a vero, quem hic, & nunc habet, dolore, & proposito, exturbabitur. Sicut igitur potest quis habere sinceram voluntatem respuendi omnes illicitas delectationes, & tamen ab ea recedere, si vehemens delectabile illi proponatur, ita poterit quis appretiative Deum, ejusque amicitiam omnibus præponere, adeoque vere dolere, & velle vitare quodlibet peccatum: & nihilominus fortasse recedet a tali voluntate, si illi proponatur, an potius velit horribilem aliquam pœnam, seu infamiam subire, quam peccare.

III. Noter Confessarius, quod licet peccatum sit *appretiative* super omnia detestabile, nihilominus animas etiam pias in quibusdam expressionibus posse errare; ut si dicerent: *Opto potius Infernum, quam peccare*. Si hujusmodi dicantur, ut fecerunt Viri etiam Sancti, ad demonstrandum magis dignum odio esse peccatum, quam Infernum; vel quod si per impossibile unum esset eligendum, potius Infernus, quam peccatum foret eligendus, utique hic affectus non esset redarguendus. Quod si tali expressione designatur potius actualis electio Inferni, quam peccati, ea non est laudabilis, quia juxta præsentem Providentiam electio Inferni non est medium ad evadendum peccatum, aliunde autem, si ratio dictat eligendam, & appetendam æternam beatitudinem, eadem ratio dictabit disconvenientem esse electionem Inferni, utpote inducentem æternam miseriam æternæ felicitati contrariam.

IV. Cum dolor de peccatis debeat esse appretiative major quocumque dolore, & eo appretiative crescere debeat, quo gravius est peccatum, valde suspectus debet esse Confessario dolor pœnitentis, qui de quibusdam peccatis majorem demonstrat afflictionem, non quia graviora sunt, sed quia facta sunt publica, vel quia majus afferunt proprio nomini detrimentum. Demus e. gr. aliquem secreto blasphemasse, vel adulterium commisisse, & nihilominus magis dolere de furto, cum ex eo infamatur &c. Certe hic non videtur levem deordinationem inducere, nam si divino honori, non proprio consuleret, magis de graviore injuria Deo illata doleret, quam de injuria minus gravi Deo illata, quamvis sibi nociva. Si nihilominus, non obstante dolore magis sensibili de minori injuria, adhuc appretiative major esset respectu gravioris peccati, itaut, si per impossibile aliquod esset eligendum, adhuc minus eligeretur, quamvis majorem afferret ignominiam, tunc certe dolor pœnitentis dici non posset insufficiens.

V Moneat Confessarius suos Pœnitentes ne doleant de peccatis, quorum recordantur, ob specialem ipsorum malitiam, & deformitatem, sed ob generale motivum se extendens etiam ad peccata, quorum forte obliviscuntur, alias se exponent periculo faciendi Confessionem infructuosam. Demus e. gr. aliquem post examen non recordari nisi peccati injustitiæ, si iste doleat de tali peccato ex speciali ipsius motivo, considerando e. gr. quantum displiceat Deo damnum proximo illatum, eo quod talis dolor non se extendit ad peccatum luxuriæ, cujus e. g. oblitus fuit in examine, & quia non remittitur hoc peccatum, utpote quia de eo non doluit, nec potest virtute Confessionis Gratiam adipisci.

VI. Non desunt nostris hisce temporibus libri, quibus adstruitur necessitas contritionis, & attritionis sufficientia negatur ad valorem Sacramenti. Hanc utique opinionem pro praxi suadere debent Confessarii; non quia revera contritio necessaria sit ad valorem Sacramenti Pœnitentiæ, sed quia ita redditur fructuosius, & magis doletur de pœna peccati. Ceterum non raro in graves angustias se redigeret Confessarius exigendo a Pœnitentibus actum amoris Dei super omnia dilecti; nam multi rudes non tam facile ex consideratione Divinæ Bonitatis super omnia per se diligibilis moventur ad detestationem peccati, bene vero dum considerent se ratione peccati lethalis exclusos esse a Regno, & ad Inferni pœnas esse damnandos.

E contra vero non sint tam faciles Confessarii in judicando suos pœnitentes vere doluisse; eo quod aliquem doloris actum in aliquo perlegerint libro, vel memoriter recitaverint. Instruant ferventi oratione exposcere a Deo auxilium ad vere dolendum de suis peccatis, cum sine Dei auxilio vere dolere non possint; tale auxilium orantibus, & petentibus conceditur. Moneant non summis labiis dolendum, sed corde, & voluntate; si etenim hæc committit peccatum, ab ea utique dolendum est. De his quam maxime monendi, qui sunt in statu peccati mortalis; nam cum sint a Deo aversi, non facile credere est illis semper præsto esse auxilium ad vere dolendum, sed illud debere humilitate, & oratione impetrare.

CAPUT V.

De Confessione.

1 Confessio omnium peccatorum mortalium particulatim facienda Sacerdoti, quatenus adhibita morali diligentia fieri potest, divino Jure necessaria est iis, qui post Baptismum lapsi fuerunt. Nam universa semper Ecclesia intellexit, Apostolos, eorumque in sacerdotio Successores a Christo in cœlos ascensuro Joan. 20. veluti Præsides, ac Judices constitutos fuisse, data ipsis potestate, crimina post Baptismum commissa tum remittendi, tum retinendi, seu alligandi, ita ut sine illorum Absolutione criminum venia obtineri non possit. Hoc autem interioris fori judicium lapsis necessarium, incognita causa, sine criminibus a Reo particulatim non explicatis, exerceri nequaquam potest; cum alia ratione Sacerdotes cognoscere nequeant, quænam peccata remittenda, & quæ retinenda sint.

2 Patres antiqui, maxime S. Pacianus, S. Athanasius, Ambrosius, Chrysostomus, Cyrillus, Hieronymus, Victor, Augustinus, testantur, Apostolos, eorumque in sacerdotio Successores potestatem a Christo acce-

accepisse, ut tanquam constituti Judices fidelium peccata authoritate Christi remittant.

3 Testaotur item Patres, maxime Origenes, S. Cyprianus, S. Pacianus, Chrysostomus, Ambrosius, Beda, Leo, ad remissionem peccatorum a Sacerdote obtinendam necessarium esse, ut pœnitens peccata omnia mortalia, etiam occulta, confiteatur.

4 Præceptum Confessionis non statim obligat, cum quis in mortale lapsus est. Ratio: Quia est præceptum affirmativum, & *Deus dat inducias peccatori*, ait Henriquex. Neque refert, etsi periculum sit peccata oblivisendi: Nam alioquin peccatoribus, qui obliviosi sunt, difficilis obligatio incumbet, vel sæpius in anno confitendi, vel peccata sua scripto consignandi, quorum neutrum ex Jure divino, imo neque Ecclesiastico, ostendi potest.

5 In mortis articulo, vel probabili periculo, & grassante peste, lapsis incumbit præceptum divinum Confessionis Sacramentalis: Quia alioquin se homo exponeret certo periculo mortale peccatum nunquam confitendi, cum tamen Sacramentalis Confessio a Christo instituta, & præcepta sit.

6 Obligationes confitendi per accidens duæ sunt. Prima: Si communicare quis velit. Secunda: Si quis credat, se certam mortalis peccati speciem, in quod sæpius lapsus fuit, evitare aliter non posse: quia videlicet ad amovendas propinquas peccandi occasiones prudentis viri consilio opus est, quod extra Confessionem petere nolit, aut non possit. Præterea præceptum Ecclesiasticum (non divinum) Confessionis annuæ omnis ætatis fideles, etiam pueros, obligat, si in mortale lapsi fuerint.

7 Utrum pueri confitentes Sacramentalis Absolutionis capaces sint, Confessarius non ex sola ætate judicare debet, sed multo magis ex ingenii, & educationis qualitate: Quia multi post eam ætatem, alii vero ante rationis discretionem consequuntur. Cujus rei exemplum habemus apud S. Gregorium de puero quinquenni in blasphemiis moriente, ac damnato.

NB. 1. Quod si puer ex motivo mere humano, V. C. quia a patre vapulabit, doleat de peccatis, & non ex supernaturali motivo, puta, quia DEO contrarium est, pœnam æternam, vel purgatorium meretur, signo Crucis dimittendus est.

NB. 2. Quod si autem positis omnibus circumstantiis dubium sit de pueri capacitate, sub conditione absolvendus est animo retenta. In mortis vero articulo in dubio simpliciter puer absolvi debet: Nam tali casu necessitatis *in dubio inclinandum est in favorem animæ* (a).

„ (a) Non satis hoc assequor, cur puer extra mor-
„ tis articulum in præsenti casu absolvendus sit sub
„ conditione, quia de sinceritate doloris merito dubita-
„ tur, in articulo vero mortis simpliciter absolvendus sit.

8 Annuæ Confessionis instituendæ computatio fieri debet a Paschate ad alterum Pascha, ita ut, qui post Paschalem Confessionem in mortale lapsus fuit, ejus Confessionem ad sequens Pascha differre possit, & non amplius. Probatur ex praxi Ecclesiæ; siquidem eo solo tempore Pastores a fidelibus suis Confessionem peccatorum intra annum commissorum exigere solent.

9 Qui in Paschate confessus non fuit, postea, quamprimum potest, confiteri debet, vel, si prævideat, se impeditum tunc iri, debet ante confiteri, propterea quod præceptum annuæ Confessionis omni tempore anni impleri possit. Quod vero, qui in Paschate non fuit confessus, teneatur, quamprimum potest, confiteri, probatur: Quia tempus Paschale, veluti implendi præcepti terminus, positus non est ad obligationem finiendam, sicuti accidit in præcepto jejunii, audiendæ Missæ &c. quibus certi dies assignati sunt, sed ad obligationem statuendam; quemadmodum videre est in obligationibus tributi, vel pecuniarii debiti.

10 Qui post Pascha V. C. in Pentecoste sacramentaliter confessus est, si sequente Paschate a Sacra Communione accipienda impeditur, non tenetur confiteri; cum annuæ Confessionis præcepto satisfecerit.

NB. Si quis toto anno non confessus esset, & Paschalem Communionem differret ad breve tempus, V. C. usque ad Pentecosten ex necessaria causa, probabile est, talem graviter non peccaturum, etsi Sacram etiam Confessionem differret, si putaret, postea eam commodius peracturum esse. Imo lecto affixi non sunt compellendi ad Confessionem, si intra anni decursum legitime confessi fuerant.

11 Qui de peccatis ficte, sive absque requisita dispositione confitetur, non satisfacit præcepto Ecclesiæ. Nam Ecclesia præcipere potest, & re ipsa præcepit, ut Sacramentum Pœnitentiæ quotannis ab iis suscipiatur, qui mortalis peccati conscii sunt; Sacramentum autem non consistit sine Absolutione Sacerdotis: Ergo sine ea non satisfacit præcepto Ecclesiæ.

12 Nullum præceptum est, ne Ecclesiasticum quidem, quod fideles omnes obligat ad Confessionem venialium. Nam Lateranense Concilium solum loquitur de mortalibus; si enim etiam de venialibus intellexisset, nimis gravem obligationem fidelibus imposuisset. Mens, & intentio autem Concilii fuit, eam obligationem fidelibus imponere, quæ ex divino Jure descendit; atqui nullum præceptum Christi extat confitendi venialia: Ergo.

NB. 1. Quod si quis habet sola venialia; non obligatur ante Communionem Paschalem ad Confessionem: Consultum tamen est, ut se sistat examini Sacerdotis proprii, vel alterius delegati.

NB. 2. Ecclesia potest, & re ipsa solet V. C. Regularibus Benedictinis præcipere, ut sacramentaliter confiteantur, etiamsi habeant sola venialia. Quia Religiosi possunt se ex voto obligare ad ejusmodi Confessionem: Ergo etiam Prælati Ordinum eam possunt præcipere.

13 Episcopi præcipere possunt Ecclesiæ Ministris, ut quolibet saltem mense Sacramentalem peccatorum Confessionem instituant.

14 Si confitens venialia peccata tantum habeat, debet unum, aut plura in specie explicare. Patet ex praxi Confessariorum, non solentium extra extremam necessitatem Sacramentalem Absolutionem conferre, nisi quis certum aliquod peccatum, sive mortale, sive veniale, confessus fuerit. Cum enim Sacramentum Pœnitentiæ conferatur per modum judicialis Absolutionis, apparet, conveniens omnino esse, atque Sacramenti hujus institutionem postulare, ut afferatur, & subjiciatur materia certa, qua Absolutionis judicium magis determinate ferri possit.

Consultum tamen non est, omnia venialia secundum speciem, & numerum solicite colligere ad Confessionem, cum potius de vero dolore, & emendationis proposito solicitus esse oporteat.

Regula in praxi observanda.

I. Valde cautus esse debet Confessarius in absolvendis iis, qui parvi pendentes intra annum accedere ad Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ, peccatis onusti accedunt ad Confessarios tempore Paschali. Si Confessarius istorum dispositionem consideret, videbit, quod si tempus Paschale per unum vel plures annos differri potuisset, ipsi certe distulissent confessionem. Prudenter ne ergo credi potest ex corde peccata detestari, & ad confessionem accedere animo vere se cum Deo reconciliandi? Bene se geret ille Confessarius, qui judicabit ultra Pascha differandum præceptum annuæ communionis, ut habetur ex Concilio Lateranensi *cap. omnis utriusque sexus*; atque ita differendo etiam eorundem confessionem, poterit examinare voluntatem sui pœnitentis, sicuti aliquibus injunctis operibus experiri, an ex vero peccatorum dolore ad confessionem accedat. Fateor semper me pœnituisse hujusmodi peccatoribus non distulisse absolutionem, eosque nunquam adimplesse promissa redeundi adinveni.

II. Quamvis præceptum annuæ confessionis comprehendat etiam publicos peccatores, ut meretrices, usurarios &c., nihilominus quoad has personas magna necessaria est prudentia in Parocho, seu Confessario. Si hæ personæ cogantur ad annuam Confessionem, & Communionem, comminando illis pœnas Ecclesiasticas, certe duplici sacrilegio propriam inquinabunt conscientiam. Videant ergo, si concedendo illis tempus, possint exhortationibus &c. ad bonam frugem reduci; & si hoc obtineri non possit, de consensu Ordinarii, melius est quoad hujusmodi Personas dissimulare.

III. Dum Confessarius audit Confessionem generalem alicujus, qui diu vixit in peccato, non obliviscatur illum interrogare de sacrilegis Confessionibus, & Communionibus factis in Paschate, nam ultra peccatum sacrilegii, graviter etiam peccavit, si ad hoc advertit, se fecisse contra præceptum Ecclesiæ de annua Confessione, & Communione.

CAPUT VI.

Utrum Sacramentalis Confessio debeat secreto fieri.

1 PRæceptum Confessionis fidelibus lapsis impositum intelligi debet de Confessione secreta, seu auriculari. Ratio: Quia jugum Christianæ Religionis oportet esse suave; atqui nimis difficile foret, si crimina, præsertim secreta, publica Confessione aperienda essent. In communi tamen naufragio V. C. ob majorem sui humiliationem publice confiteri nihil pugnat cum natura, & institutione hujus Sacramenti.

2 Sacramentum Confessionis absolute, & secundum substantiam spectatum consistere potest in quovis signo propriæ accusationis de peccato in ordine ad Sacerdotis Absolutionem accipiendam.

3 Si tamen pœnitens loqui potest, Confessio peccatorum vocis sermone fieri debet: Quia hic modus humiliter se accusandi vocis sermone convenientissimus est ad veniam obtinendam. Excipiatur tamen casus necessitatis V. C. in puella, quæ præ verecundia nisi in scripto explicare non potest suam Confessionem. Deinde: Si ægrotus ægre voce confiteri, etiam in scripto potest. Tertio: Etiam Sacerdos subito obsurdescens Confessionem scriptam legere, & postea absolvere potest.

4 Qui perpetuo mutus est, & scribere nescit, peccata sua nutibus, quatenus potest, confiteri debet. Qui autem sperat, locutionis usum breviter se recuperaturum, interim excusatus videtur ab Ecclesiastico præcepto quoad annuam Confessionem alias etiam scripto faciendam: Nam scripto confiteri est insolitus modus, nec vacat periculo publicationis. Quare Ecclesiastica lex in tali casu cessare videtur.

5 Peregrinus Ecclesiastico præcepto extra mortis articulum non obligatur ad confitendum per interpretem, si aliter intelligi non possit: Nam hæc aliquo modo publica Confessio est, quam Ecclesia præcipere non solet. In mortis articulo ea peccata per interpretem confiteri tenetur, quæ absque majori infamia potest, teste Cano.

CAPUT VII.

De publica, non Sacramentali Confessione peccatorum.

1 EXomologesis; seu Confessio publica varie differt a secreta Sacramentali; quippe illa non existente Sacramentali, & jam abolita, hac autem semper in Ecclesia permanente, & contra Novatianos hæreticos semper defensa.

NB. Nectarius Constantinopoli publicam Exomologesin una cum Pœnitentiario (qui ad id constitutus erat, ut discerneret, quænam peccata essent publice confitenda, quæ non) sustulit occasione scandali per mulierem orti, quæ in publica Exomologesi amplius, quam debebat, progressa, occultum cum Ecclesiæ Diacono concubitum confessa erat.

2 Sacramentum Pœnitentiæ omnibus lapsis quocunque maxime mortis tempore vere pœnitentibus in Ecclesia Catholica conceditur.

3 Sacra Communio tempore SS. Cornelii, & Cypriani gravissime lapsis, etiam mortis tempore in criminis pœnam negabatur: Nunc autem Canonica Regula obtinet, ut cui morienti Absolutio a peccatis conceditur, neque Viaticum denegari debeat.

4 Nomine Pœnitentiæ Patres maximi, Cœlestinus, S. Augustinus, Concilium Carthaginense, Arausicanum, Leo, &c. Sacramentum Pœnitentiæ frequenter intellexerunt.

5 Publici pœnitentes non tantum in mortis articulo, sed etiam Feria V. ante Pascha ad Sacramenta olim admittebantur, ita tamen, ut postea ad pœnitentiam redire debuerint, donec tempore, quod ipsis definitum erat, seu elapso, seu per Episcopi indulgentiam remisso, per publicam, seu cæremonialem manus impositionem reconciliarentur, & communioni fidelium restituerentur.

6 Pœnitentia publica Clericis non imponebatur, imo per publicam Pœnitentiam aliquis ad Clericalem statum ineptus reddebatur, idque propter dignitatem Ordinis. Depositus tamen poterat subjici publicæ Pœnitentiæ.

CAPUT VIII.

De integritate Confessionis.

1 COnfessionis Sacramentalis integritas ex Jure divino est, quamvis directe ad necessitatem, sive essentiam Sacramenti non spectet, quasi Sacramentum Pœnitentiæ nunquam consistere possit, nisi integra mortalium Confessio fiat; sed potius spectat ad necessitatem præcepti divini, cujus tamen voluntaria transgressio indirecte redundat in defectum Sacramenti, ut nimirum valide non suscipiatur. Probatur prius. Nam Sacerdotes a Christo Judices constituti sunt in foro Pœnitentiæ: Hoc autem judicium recte exercere non possunt, neque æquitatem in pœnis decernendis servare, nisi peccata in specie, atque sigillatim ipsis declarentur. Posterius probatur. Nam ad substantiam Sacramenti Pœnitentiæ per se requiritur saltem attritio: Hæc autem consistere non potest cum peccato actuali, videlicet sacrilegio mortali, quod confitens committit, unum, vel plura peccata absque justa causa, seu per malitiam, seu per crassam negligentiam reticendo.

2 Qui ob moralem impossibilitatem mortale peccatum in Sacra Confessione non explicavit, debet cessante impedimento explicare, propterea quod Absolutio ab iis directe, & secundum speciem data non sit, sicuti natura, sive institutio hujus Sacramenti postulat: Cum enim humilis peccatorum specifica Confessio sit proxima materia, quæ Sacramentali Absolutioni subjicitur, imo, quatenus ei subjicitur, & clavium virtute elevatur, instrumentaliter ad peccatorum remissionem concurrat, ideo consentaneum est, eam cum peccatorum remissione, seu Absolutione proportionem habere, sed omnia mortalia simul remittuntur, ita non unum sine altero, sed omnia mortalia peccata simul per Confessionem uni, eidemque Sacerdoti absoluturo manifestarentur, quatenus moraliter possibile est.

3 In Confessione peccatorum requiritur integritas formalis, quæ est, cum quis omnia mortalia, quatenus hic & nunc potest, ac debet, secundum speciem, & numerum confitetur; & non semper materialis, quæ est, cum quis absolute loquendo omnia mortalia secundum speciem, & numerum confitetur, saltem quæ post ultimam Confessionem admisit.

4 Subito obmutescens, aut in phrenesin lapsus absolvi debet, si Sacramentalem Absolutionem signo aliquo doloris petivit, ea tamen manente obligatione, ut cessante impedimento peccata mox talia specifice subjiciantur clavibus. Ratio Assertionis est: Quia Confessio etiam generalis peccatorum, ex animi dolore profecta, potest esse sufficiens materia Sacramentalis Absolutionis; siquidem, ut supra dixi, specifica, & particularis peccatorum explicatio absolute non est de necessitate Sacramenti, sed per se, ac directe solum de necessitate præcepti divini, quod pœnitentem non obligat, nisi quatenus servari potest.

NB. Non est satis, aliquem ante mortis articulum, vel in ipso periculo, signum aliquod pietatis, vel pœnitentiæ edidisse, nisi talis manifestatio interni doloris directa fuerit ad Sacramentum Pœnitentiæ, sive Absolutionem a Sacerdote petendam. Ratio est: Quia Sacramentalis Absolutio ministrari non potest, nisi adsit materia Sacramenti, quæ est Confessio, sive accusatio sui coram Sacerdote, tanquam Judice: Necesse, inquam, est, ut pœnitens se ipsum de peccatis accuset, ea intentione, ut per sententiam Sacerdotis in foro interno absolvatur.

NB. 2. Signa pœnitentiæ, quæ præsente mortis articulo ab infirmis eduntur, censeri debent ad Sacramentalem Absolutionem directa, cum in tali statu optimum suæ animæ remedium desiderare soleant. Extra hunc casum necessitatis autem propter honorem Sacramenti, ut ejus integritas servetur, Absolutio sine manifestatione speciali saltem alicujus peccati non est conferenda.

5 Diligens conscientiæ examinatio ante Sacram Confessionem requiritur. Quanta autem examinandi diligentia requiratur, moraliter consideratis circumstantiis æstimandum est: Nam minore examine indiget, qui frequenter confitetur, quam quis rarius.

6 Inculpata oblivio peccatorum mortalium facilius accidit circa ea peccata, quæ per ignorantiam crassam commissa fuerunt. Nam, licet tunc res ipsa, sive opus habens speciem mali, commoverit hominem ad æstimandum periculum peccandi mortaliter; quia tamen eo dictamine spreto, & examinatione omissa temere opus perfecit, perinde acsi peccatum mortale non esset, non ita relinquitur in memoria species admissi mali. Si autem a Concionatore, aut monitore intelligatur, tale opus esse mortale, tunc primum conscientia urgeri incipiunt.

7 Qui non in specie, sed solum in genere recordatur, se mortaliter peccasse, hoc ipsum in Confessione explicari debet; cum hæc sit sufficiens, imo necessaria materia Sacramentalis Confessionis, & Absolutionis.

8 Extra mortis periculum nunquam absolvi debet, qui de nullo peccato in specie se accusat: Quia, si semel fateamur, Absolutionem extra extremam necessitatem fidelibus conferri posse nullum peccatum in specie explicantibus, ea facultate abutentur Sacerdotes contra Sacramentalis Confessionis legitimam institutionem, & usum. Quod si quis tam rudis sit, ut examinans Confessarius nullum, ne quidem veniale, in specie extorquere possit (cum tamen nemo tam hebes esse videatur, qui examinatus recordari nequeat, se in oratione distractum fuisse, verbum otiosum locutum &c.)

&c.) debet dimitti sine Absolutione : Si enim talis
rudis supernaturalem dolorem habet, justificari poterit
ac occultis peccatis suis per susceptionem Sacramenti
Eucharistiæ.

9 Si pœnitens inchoatam Confessionem Sacramenta-
lem coram Sacerdote perficere non possit, interdum
absolvi debet: V. C. Si propter ignotum idioma non
omnia possit explicare, aut si in phrenesin incidat.

10 Tempore pestis, & naufragii licitum est multo-
rum Confessionem simul audire, & absolvere.

11 Non tenetur aliquis peccatum confiteri cum gra-
vi periculo animæ, famæ, corporis, &c. Ratio: Quia
rune positiva lex de Confessionis integritate merito ce-
dit juri naturali charitatis, ne, quod ex charitate re-
medium institutum est, contra charitatem militet.

12 Peccatum ordinarie explicandum est in Confes-
sione, non obstante, quod complex a proprio Confes-
sario cognoscendus sit (nisi quis facile petita licentia
alieno confiteri possit.) Nam damnum illud famæ co-
ram solo Confessario læsæ posthabendum est majori
bono servandæ integritatis & capiendi spiritualis au-
xilii a Confessario. Si tamen fama gravissime lædenda
sit apud Confessarium, potest, & debet retineri pec-
catum complicis; ne alioquin Confessio ad salutem ho-
minum instituta in grave alicujus damnum, vel tristi-
tiam cedat, si is forte aliquo indicio cognoscat, fa-
mam, sive existimationem suam apud Confessarium,
Prælatum, &c. graviter læsam esse.

13 Si pœnitens absque necessitate complicem peccati
nominare velit, a Confessario prohibendus est.

14 Qui duos Confessarios habet, quorum uni mor-
talia, alteri venialia confitetur, non peccat contra Sa-
cræ Confessionis integritatem, & quandoque recte fit,
non pœnitens majori libertate apud alterum uti possit,
si grave peccatum, in quod per consuetudinem lapsus
est, ordinario suo Confessario, apud quem hactenus
bonam opinionem servavit, confiteri erubescat. Qua-
re imprudenter agunt Confessarii, si reprehendant pœ-
nitentes suos, quod semel, aut iterum Confessionale
eorum declinarint, cum potius id dissimulare opor-
teat.

15 Plerumque tamen talis mutatio non vacat aliqua
deordinatione, & est signum animi, magis æstimatio-
nem suam, quam spiritualem perfectionem curantis.
Per accidens vero fieri potest, ut talis etiam mortaliter
peccet, si ea ratione exponat se periculo facile laben-
di in mortalia, & ea nunquam efficaciter emendandi.
Quod cjusmodi hominibus accidere solet, qui indu-
stria Confessarios imperitos adeunt, vel quibus igno-
ti sunt, nullum constanter retinentes, sed ab uno ad
alterum transeuntes.

15 Mentiri ex proposito circa materiam mortalem,
& Confessioni necessariam, est peccatum mortale. Vel
enim negas, te mortale commisisse, quod tamen commi-
sisti, & hic & nunc fateri deberes; & tunc Confessio non
est integra, sed sacrilega. Vel affirmas, te mortaliter
peccasse, quod non fecisti; & tunc graviter decipis Con-
fessarium non sine gravi irreverentia Sacramenti. Quod
si quis mentiatur in Confessione circa peccatum venia-
le, vel aliam materiam non necessariam, peccat solum
venialiter: Cum enim pœnitens non teneatur venialia
confiteri, non graviter decipit Confessarium mentiendo,
neque pervertit naturam Sacramenti; quandoquidem Ab-
solutio nihilominus valida erit, suumque effectum con-
sequetur, dummodo interim vera Confessionis materia
subjiciatur. Quod ideirco adjeci, quia certum est, il-
lum peccare mortaliter, qui falso alicujus peccati ve-
nialis se accusans, nullamque aliam Confessionis mate-
riam afferens Absolutionem a Sacerdote postulat; nisi
animi perturbatio, vel scrupulus eum excuset (a).

„ (a) Cavendum est tamen, ne ex levi mendacio
„ in Confessione prolato dolor præcedens retractetur,
„ quod facile contingit, cum confessio de solis venia-
„ libus instituitur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cautus esse debet Confessarius circa examen a Pœnitentibus
instituendum. Impii, qui raro solent confiteri, facillime in exa-
mine deficiunt; nam cum eos valde tædeat rerum spiritualium,
quamcumque diligentiam, quam in examine adhibeant, suffi-
cientem reputabunt, quamvis absit a mediocri. Hinc post per-
actam confessionem multorum peccatorum se oblitos animadver-
sunt, quamvis non infelicis fiat memoriæ, ac facillime omnium,
quæ acciderunt in temporalibus negociis, recordentur. Hi ne er-
go sufficiens instituunt peccatorum examen? Alii a contra sunt,
qui nusquam putantes satis conscientiam scrutatos esse, usque
ad capitis dolorem, vel debilitatem in examine perseverant;
& forte in eis nulla est examinis obligatio, cum sola habeans
peccata venialia, quorum unum, aut alterum sufficit explicare
pro absolutione obtinenda. Hi ergo monendi sunt nullam esse
necessitatem examinis, si non habeant conscientiam peccati mor-
talis; ac etiam in isto casu non esse necessarium diligentissimum
examen, quamvis crederatur omnem peccatum inveniendum.
Denique monendi sunt illud examen, quod necessarium esset pro
iis, qui raro accedunt ad confessionem, vel multis implicati fue-
runt peccatis, & negociis, non esse communiter necessarium.

Majus forte faciat negocium Confessario examen, quod solent
facere personæ valde rudes; quamvis etenim admittantur, ut
melius conscientiam examinent, nihilominus nova peccata ne-
sciunt adinvenire, quamvis Confessarius agnoscat in multis deli-
quisse. Hæ igitur personæ propter ipsarum incapacitatem non
teneantur ad aliud examen, quam ad illud, quo peccata magis
nota possint accusare. Cætera supplere debet pius, & doctus
Confessarius illas interrogando quoad ea, in quibus potuerunt
peccare, & meliori modo, quo potest, species, & numerum
peccatorum investigare.

II. Observet Confessarius in investigando numero peccatorum,
difficillimum esse illud adinvenire quoad actus internos respectu
illorum, qui diu in peccato perseverarunt; unde, ordinarie lo-
quendo, satis est si de tempore perseverantiæ in peccato interro-
get. Quomodo e. g. scire poterit numerum pravi desiderii optandi
usuras quoad usurarium, qui in hoc pravo exercitio diu perman-
serit? Quis dinumerare poterit prava desideria Concubinarii, me-
retricis &c.? Satis ergo erit, quoad hæc peccata interna, si expri-
mant tempus, quo in peccato perseveraverunt. Facilius numerum
saltem probabilem adinvenire poterit actuum externorum, si in-
terroget quoties hujusmodi personæ consuetæ fuerint peccare sin-
gulis diebus, vel hebdomadibus. Si vero nimis scrupulose interro-
get etiam quoad numerum actuum externorum, facile errabunt
vel per excessum, vel per defectum; unde bene erit quoad digno-
scendum statum pœnitentis etiam quoad peccata externa, si Con-
fessarius illum interroget etiam de tempore, & consuetudine pec-
candi. Illud semper animadvertat Confessarius in examinando pœ-
nitentem a multo tempore inhonestis peccatis inquinatum, &
maxime mulieres, non debere scilicet investigare numerum, &
species per prolixas interrogationes, si cavere velit & proprium,
& alterius periculum.

III. Quamvis certum sit peccata dubia clavibus esse subjicien-
da, sicuti & peccata, quæ quis dubitat, an aliquando confessa
fuerit; nihilominus Confessarius, ne ex hac doctrina pœnitentes
in angustias redigantur, moneat eam non attendendam, quo-
ties adest motivum prudens talia dubia deponendi. Hinc si pœ-
nitens audiat a docto, & pio Confessario sua dubia parvipendan-
da esse, si & ipse prudenter dijudicare possit peccato assensum
non præbuisse, non tenetur talia peccata confiteri. Ita si soli-
tus fuerit diligenter propriam conscientiam examinare, si pecca-
tum, de quo dubitat an illud confessus fuerit, talis fuerit speciei,
ut debuerit memoriæ occurrere; si semel, aut iterum quis diligen-
ter generaliter confessus fuerit, poterit deponere dubium, quo
timet illud in confessione non manifestasse. Idem dicas, si a
docto Confessario, omnibus inspectis, de tali dubio despiciendo
moneatur.

IV. Dantur aliquando Confessarii, qui dum excipiunt confes-
sionem moribundi, semper magis periclitantis, nimis scrupulosi
sunt circa integritatem materialem confessionis, quamvis videant
ipsum summopere defatigari, & in periculo usum rationis, in-
stante morte, amittendi. Non bene se gerunt isti Confessarii ita
agendo cum prædicto moribundo: cum etenim supra omnia ne-
cessarium sit illum excitare ad verum dolorem peccatorum, &
ad propositum emendationis, postquam Confessarius unum, aut
alterum peccatum audivit; debet totus incumbere, ut vere do-
leat de suis peccatis. Hinc fiet quod si penitus sensibus destituatur,
poterit cum fructu absolvere, si vero melius se habeat, poterit
tunc commodius, & animo pacatiore de aliis peccatis inquirere.
Animadvertat etiam Confessarius, quod etsi infirmus non tam
proximus morti videatur, & nihilominus putet bene esse illius
confessionem excipere, non teneri ad integritatem materialem
confessionis, quoties non posset sine magno labore, & damno,
vel plene cogitare de suis peccatis, vel sermonem protrahere.

V. Non egre ferat Confessarius, si sciat aliquando suum Pœ-
nitentem ad alium accedere, ne si semper ad se accedere com-
pellatur, ob verecundiam, vel timorem aliquod grave taceat
peccatum. Nihilominus si sciat hoc sæpe a Pœnitente fieri, non
amplius excipere debet ipsius Confessiones: nam ita agendo satis
demonstrat ipsi non satis aperire statum conscientiæ suæ, quo-
modo ergo poterit ipsum spiritualiter gubernare? Accedit modo
uni, modo alteri confiteri sua peccata, posse esse sufficiens indi-
cium defectus doloris, & propositi; dum etenim verus adest do-
lor, gratum est pœnitenti Confessario innotescere totam vitam
ante actam, ut ita efficaciora remedia possit illi præbere, ipsum-
que, si opus sit, removere ab occasione, & periculo peccandi.
Quid ergo dicendum de mulierculis unum habentibus Confessa-
rium indulgentem, cui omnia inhonesta detegant, alterum se-
veriora disciplinæ, cui tantum levia? Hæc ratio agendi potest
ne ullatenus in praxi a gravi hypocrisi excusari?

VI. Cauti sint Confessarii in excipiendis confessiones Idiota-
rum, nam facillime, & sine ulla necessitate manifestant compli-
cem peccati. Moneat ergo neque in confessione licere sine ne-
cessitate alterius famam denigrare.

VII. Satis explicavi quæ necessaria esse credidi pro absolutio-
ne moribundis impertienda. Monere tamen iterum volo Confes-
sarium, ut dum scit solum per testes moribundum signa doloris,
vel optandæ absolutionis dedisse, curet eosdem testes esse præsen-
tes, dum moribundum absolvit, ut ita verificetur confessionem fie-
ri in præsentia Confessarii mediis testibus, veluti si essent interpre-
tes. Si vero non amplius sint præsentes, nec possint vocari, solum
absolvat moribundum sub conditione, si ita nempe administrare
possit hoc Sacramentum; sub conditione etenim tantum danda est
in necessitate absolutio, ubi occurrit dubium rationabile de va-
lore Sacramenti, sicuti revera occurrit, si testes absint.

VIII. Solent quidam Confessarii assistentes Moribundis sensibus
destitutis sæpius iterare absolutionem sub conditione. Id maxime
præstant ii, qui putantes quodcumque signum etiam naturale a
moribundo exhibitum, interpretari posse cum aliqua probabilita-
te fieri etiam ad obtinendam absolutionem, & quamcumque vel
tenuem probabilitatem in casu tantæ necessitatis sufficientem es-
se, ut moribundus sub conditione absolvatur, quam opinionem
mordicus tuetur etiam Viva in Appendice damnatarum proposi-
tionum §. 11. Hac igitur etiam opinione retenta, non mihi vide-
tur approbanda praxis illa sæpe sæpius absolvendi moribundum,
quam-

quamvis sub conditione. Ratio est, quia neque sub conditione iteranda est absolutio, quoties saltem aliquo modo præsumi non possit fieri novam confessionem a moribundo, eo modo, quo ab ipso fieri potest, alias irrationabiliter iteratur etiam sub conditione absolutio: si autem ipsum anxie respirare infirmi, vel aliquis alter motus naturalis, reputandum esset signum novæ confessionis, oporteret posse aliquo pacto credi, infirmum talibus actibus sine interruptione petere confessionem. Accedit quod ideo dicunt hujusmodi infirmum posse sub conditione absolve, quia licet ea signa fundent tenuem probabilitatem; adhuc tamen necessitas moribundi licitum reddit, quod alias esset illicitum; hæc autem necessitas videtur cessare quoties bis, vel ter, cum proportionata aliquarum horarum distantia Confessarius absolverit moribundum. Secus dicendum, si iste moribundus aliquod de novo det signum, quod non videatur mere naturale; sed posse aliqua prudenti ratione interpretari per illud petere absolutionem, nam tunc certe iterum est absolvendus, quamvis antea etiam centies sub conditione fuerit absolutus, ut de se patet.

CAPUT IX.

De Confessione invalida ob defectum pœnitentis, vel Confessarii.

1 Confessio invalida est primo, ob defectum pœnitentis, si requisito dolore careat. Quo pertinet, si aliquis inter confitendum mortaliter peccet, puta, quia temere, vel per crassam ignorantiam omittit peccatum mortale, aut de quo rationabiliter dubitat, num sit mortale (nisi in hoc casu bona fide arbitretur, se confitendi obligatione immunem esse) vel denique, si exiguam valde conscientiæ discussionem instituens se conjicıat in probabile periculum omittendi mortale. Unde, cum talis Confessio Sacramentalis non sit, tota est repetenda.

2 Sacramentum Pœnitentiæ non potest esse validum, atque informe: Siquidem hoc peculiare est in Sacramento Pœnitentiæ, quod debita suscipientis dispositio, videlicet dolor de peccatis, sit pars illius essentialis.

3 Contritio, seu attritio ex supernaturali motivo, quæ cum Sacramento sufficiens dispositio est ad justificationem, debet se extendere ad omnia mortalia, saltem virtualiter. Nisi enim hoc dicamus, consequens esset, nihil repugnare, quo minus vera contritio, aut attritio consistat cum actuali affectu ad peccatum mortale: Id autem probabiliter dici non potest; uti fatetur Suarez.

4 Qui ob ignorantiam non mortaliter culpabilem peccatum confiteri omisit, non tenetur postea integram Confessionem repetere; Secus, si ignorantia mortalis fuit. Exemplum habes in puero, qui peccatum aliquod, V. C. mollitiem, arbitratus est, esse leve, vel nullum peccatum, sed postea grandior factus intellexerit esse mortale; item in rustico rudi, & imperito, qui ex ignorantia non crassa peccata solum generice confitetur, quia a Parocho suo nunquam de ea re instructus est; talis, si supernaturalem de peccatis pœnitentiam cum emendandi proposito habeat, videtur valide absolvi, quamvis cum obligatione, ut, si postea in Catechismo, Concione, &c. melius instruatur, & præceptum divinum de integritate Confessionis cognoscat, teneatur omnia mortalia secundum speciem, & numerum explicare.

NB. Porro Confessio fit invalida ob defectum Confessarii, ideoque repetenda. I. Si Sacerdos jurisdictione omnino caruit, vel impeditam habuit per suspensionem ab officio, Excommunicationem denuntiatam, aut contractam ob Clerici notoriam percussionem. II. Si verba Absolutionis substantialiter vitiet. III. Si absolvendi intentionem nec actualem, nec virtualem habeat.

5 Si Confessarius ob surditatem, distractionem, vel somnum aliquod peccatum mortale non intellexit, videtur nihilominus valida esse Absolutio; dummodo pœnitens bona fide egerit, & culpa in solo Confessario resederit. Ratio: Quia effectus, & essentia Sacramenti consistere potest absque integra, & specifica peccatorum explicatione, si ea sine culpa pœnitentis, suumque dolorem Sacerdoti explicantis intermittatur. Si tamen pœnitens id postea resciat, debet iterum peccatum illud clavibus subjicere: Quia semper manet obligatio omnia mortalia confitendi secundum speciem, & numerum, ut ab omnibus directe, & in specie, sicuti institutioni hujus Sacramenti consentaneum est, conferatur Absolutio.

6 Addo: Tametsi contingat, Absolutionem Sacerdotis ob aliquem occultum ejus defectum invalidam esse, raro id obfuturum pœnitenti inculpate defectum ignoranti; Quando enim is in proxima Confessione absolvetur a peccatis, Absolutio illa extendit se ad alia omnia, a quibus se ante absolutum bona fide existimabat.

P. Layman P. II.

7 Si Confessio, quæ ob defectum pœnitentis, aut Confessarii invalida fuit, denuo instituatur apud eundem Sacerdotem, non est necessarium, peccata secundum speciem, & numerum repetere, modo Confessarius statum pœnitentis adhuc recordetur, saltem confuse, ut convenientem illi pœnitentiam imponere possit. Prob. ex praxi; Si enim Sacerdos audita Confessione animadvertat, pœnitentem non satis dispositum, & attritum esse, interdum differt Absolutionem in alterum diem; Si autem contingat, eum interea species peccatorum oblivisci, non ideo exigere solet, ut Confessio repetatur, sed tantum, ut de peccatis verus dolor cum emendationis proposito conceptus sit. Ratio est, quam sæpius dedi; Quia specifica, & particularis peccatorum manifestatio, aut cognitio per se, & simpliciter non est de essentia, ac necessitate Sacramenti, sed tantum de necessitate præcepti divini, cui pœnitens ante satisfecit, enumerando omnia peccata, ideoque solum defectum V. C. contritionis jam supplere tenetur. Addo denique; Tametsi Confessarius nec statum peccatoris generatim recordetur, sed id tantum, quod sibi confessus fuerit, eumque jam recte dispositum absolvat, peccabit ille quidem, cum non recte suo munere in pœnitentia imponenda &c. fungi possit, nihilominus Absolutio valida, & pœnitenti erit fructuosa.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Dum Confessarius reperit personas rudes multa ignorare, quæ tenebantur scire, si velit dignoscere, an ipsarum ignorantia fuerit graviter culpabilis, adeoque an ipsarum Confessiones fuerint semper nullæ, interroget, an aliquando vere timuerint non satis scire. Si nunquam ipsarum reclamavit conscientia, nec crediderint se non fuisse sufficienter instructas, ipsarum ignorantia non censenda graviter culpabilis, cum nunquam animadverterint se habere obligationem magis addiscendi. Dum propterea ignoraverint quæ necessaria sunt ad valorem Sacramenti, & quæ in omnium sententia necessario sunt credenda necessitate medii, ex hoc capite tales personæ non sunt cogendæ ad repetendas confessiones. Advertere tamen est non esse absolvendas, si prius saltem non instruantur de articulis Trinitatis, & Incarnationis, ut constat ex propositione 64. damnata ab Innoc. XI.; ac insuper debent promittere se curaturas addiscere alia, quæ tenentur scire, dum ea ignorent. Quod si juste dubitaverint plura nescire, ac sæpius audierint conscientiam reclamantem, quia e.g. Parochus, vel Confessarius ipsas admonuit a pluribus ignorari ea, quæ sub gravi tenentur scire, ut sunt articuli Symboli Apostolorum, Præcepta Decalogi &c., tunc si nullam fecerunt diligentiam ad expellendam suam ignorantiam, hæc graviter culpabilis reputari potest, utpote qui sufficientem cognitionem habuerunt de obligatione illam expellendi, & nullatenus curarunt illam expellere. Ex his videat Confessarius quod judicium facere debeat de confessionibus hujusmodi personarum. Ad occurrendum huic malo, quo tot, & tot laborant, optimum esset si Confessarii in sacramentalem satisfactionem sæpe injungerent pluries audire Doctrinam Christianam juxta cujuscumque indigentiam.

II. Ad dignoscendum, an pœnitens malitiose Confessarium indoctum, vel nimis facilem elegerit, interrogandus est, an ideo talem Confessarium adiverit, quia timebat a docto Confessario diligentius examinandam justitiam suorum negotiorum; adeoque sine absolutione dimittendum, si aliquos contractus non rescinderet, si aliquod lucrum non restitueret, si solveret mercibus, non vero pecunia numerata, & juxta pretium legale; vel ex aliquo alio capite; circa quod illius conscientia non cessat reclamare. Item interrogandus, an talem adiverit Confessarium, qui non multum videtur curare de consuetudine peccandi, de frequentanda aliqua domo, de non removendo a nimia cum mulieribus familiaritate, de vestium nimio ornatu & indecentia, de admittendis Cicisbeis, ac de turpissima hac consuetudine eliminanda &c., adeoque fere nunquam ab ipso negari, vel differri absolutionem. Si ex his motivis electus sit Confessarius, quis non videat, non fuisse in pœnitente necessariam dispositionem ad recipiendum cum fructu Pœnitentiæ Sacramentum? Neque credendum difficile avenire ob aliquod ex his motivis Confessarium a pluribus eligi. Ego semper vidi ad hos Confessarios indoctos, & palpones catervatim confluere pœnitentes, quos scitur non christiane vivere: qua ergo ratione ad illos tam libenter accedunt? Ad majorem autem animarum perniciem, curat aliquando Dæmon, ut non solum sufficienter docti, sed etiam pii a non paucis habeantur.

III. Quamvis mentiri leviter in confessione de se non reddat illam invalidam; nihilominus potest id esse indicium defectus doloris, vel etiam doloris præhabiti retractatio, juxta ea, quæ dixi alibi. Spectat proinde ad prudentem Confessarium id examinare. Deinde animadvertat Confessarius quod licet mentiri in Confessione circa materiam gravem reddat illam invalidam, nihilominus aliqui excusari possunt ratione ignorantiæ, & bonæ fidei, ut dum rustici, & scrupulosi nimis augent numerum suorum peccatorum ex timore non satis illorum numerum explicandi. Oportet tamen a Confessario redigi ad dicendam, quantum fieri potest, veritatem.

IV. Cum Confessarius non raro timeat de valore anteactarum Confessionum sui pœnitentis, necesse est ipsum scire, quando debeat cogere pœnitentem ad faciendam confessionem generalem, & quando solummodo id debeat suadere. Certum igitur est iterandas esse omnes confessiones, quas pœnitens cognovit invalidas fecisse, vel quia tacuit aliquod grave peccatum; vel quia cognovit graviter defecisse in examine suæ conscientiæ, vel quia nec dolorem, nec propositum habere emendationis non ignoravit. Item, cum ex dictis alio in loco non detur confessio valida, & informis, dum graviter aliquis defecit in examine, cogendus est pœnitens ad repetendas confessiones, quas Confessarius cognovit male fecisse defectu examinis. Dum vero Con-

fessiones fuerunt informes defectu doloris, ut dictum est loco ci- tato, si pœnitent bona fida confessus est, non ait iterum cogen- dus ad repetendas tales confessiones, utpote quia probabile est fuisse validas, quamvis informes: *Sotus sect. 8. de Sacr. Pœnit.*, *Diav. t. 1. tr. 3. resol. 112. &c.* Id notare debet prudens Con- fessarius, quia potest illi advenire casus, ut rationabiliter putet pœnitentem in præteritis confessionibus dolorem sufficientem non habuisse, qui tamen, quamvis hic & nunc dispositus, nolit, vel non possit facere confessionem generalem.

V. Præfato, qui ex defectu doloris fecit confessiones informes, optimum est suadere confessionem generalem. Quia pariter re- cte, & juste timetur verum dolorem, & propositum defecisse in iis, qui antea non christiane vixerunt, ideo communiter docent Sancti iis confessionem generalem suadendam; nam non solum utilis erit pro amendandis defectibus in præteritis confessionibus com- missis, sed multum conducet ad vitam melius instituendam: S. *Carol. in Instruct. Confess.*, *S. Franc. Sales. in Introduct. ad vit. Devot. p. 1. c. 6.* Deinde suadenda est Confessio generalis ap- petentibus alium statum assumere, a. g. Statum Ecclesiasticum, seu Regularem; sicut etiam matrimonium eligere. Scrupulosis generalis confessio raro est proficua, quibus tamen permittenda est, si fuerint ex Scrupulosis Libertinis, de quibus *tr. 2. q. 1. c. 4. quæst. 1.* Si quis valde inhoneste vixerunt, & semel cum de- bita diligentia generaliter confessi sunt, non ipsis permittatur nova generalis confessio, ne potius ipsi, vel etiam Confessario possit scandalo esse. Hac ratione suadendum etiam illis est, ut dum ex necessitate generalem faciunt confessionem, non nimis immorentur in iis peccatis examinandis, nec desinant tempore talis examinis sæpe Deum invocare. Demum iis, qui semel de- bita diligentia, & dolore generaliter confessi sunt, non facile acquiescendum, si petant novam generalem facere confessionem; nam non raro id oritur ex ipsorum pusillanimitate, propria amo- re, vel etiam ex defectu fiduciæ in Divinam misericordiam: *Medin. l. 1. Instruct. c. 12.* Optimum tamen erit volenti Chri- stiane vivere, si singulis annis omnes illius anni repetat confes- siones, ut etiam innuit S. Franciscus Salesius *Introduct. p. 5. c. 15.*

IV. Ut generalis confessio bene fiat, Confessarius assignet ali- quos dies pœnitenti pro bene conscientia examinanda, & ut ora- tionibus, aliisque bonis operibus valeat a Deo impetrare auxi- lium efficax ad vere dolendum de suis peccatis. Moneat de mo- do rite examinandi conscientiam, ut scilicet non solum quoad peccata omnibus communia se examinet, sed videat in quibus de- fecerit quoad peculiaria sui status; ut si fuit Mercator, Causidi- cus, Pater familias &c., addendo optime facturum si ad me- [illegible] subsidium eadem scribat. Moneat insuper, ut specialiter se accuset de peccatis post ultimam confessionem commissis, & de iis, quæ nunquam confessus fuit, ne Confessarius putet talia pec- cata esse materiam solum sufficientem, non vero necessariam. Postea vero patienter audiat, interrogationibus adjuvet, nec im- dium demonstrando curet illius accelerare confessionem. Postquam sufficienter audivit, non statim absolvat, sed injungat novas orationes, & bona opera, non solum ut magis certioretur de ipsius dolore, sed etiam, ut ita cum majori dispositione, adeo- que majori fructu, absolutionem recipiat. Illud etiam animad- vertat, quod si alienæ rei, vel famæ restitutionem facere tene- tur; si aliquam occasionem dimittere; si cum inimico reconcilia- ri, hæc omnia præstet ante absolutionem; quinimmo, si experiri necesse sit, an ex animo dimiserit occasionem peccandi absolu- tionem retardet. Experientia compertum est non facile creden- dum etiam iis, qui videntur serio polliceri, sed cogendos antea præstare, quod *se præstituros asseverant*: ait S. Franciscus Xa- verius apud Genet *de Sacr. Pœnit. c. 6. q. 13.*

CAPUT X.

De Ministro Sacramenti Pœnitentiæ, atque in eo requisita jurisdictione.

1 SOlus Sacerdos a peccatis absolvere potest. Su- mitur ex Joan. 20. ubi Christus in discipulos suos *insufflavit*, *& dixit iis: Accipite Spiritum San- ctum, quorum remiseritis peccata, remittuntur eis, & quorum retinueritis, retenta sunt*. Quo facto Do- minus clare significavit, sicut etiam Ecclesia semper intellexit, potestatem hanc remittendi peccata non omnibus concessam esse, sed iis tantum, qui per spe- cialem ordinationem, & Spiritus Sancti gratiam ad id deputarentur; quales sunt soli Sacerdotes, in quorum proinde ordinatione eadem illa verba dicuntur. Re- quiritur autem in Sacerdote necessario jurisdictio. Colligitur ex facto Christi Joan. 20. ubi prius disci- pulis suis jurisdictionem contulit: *Sicut misit me Pa- ter, & ego mitto vos*. Deinde potestatem remittendi, & retinendi peccata tribuit. Ratio: Quia Absolutio a peccatis est actus judicialis, ideoque jurisdictionem in subditos requirit. Quare exacte hic distinguendum est inter potestatem Ordinis, & potestatem jurisdi- ctionis. Nam potestas Ordinis in omnibus Sacerdoti- bus æqualis est, extendens se ex Christi institutione ad omnium fidelium peccata remittenda, juxta ver- bum Christi: *Quorum remiseritis peccata*. Sed est ta- men remota, & indeterminata, quæ per se in actum exire non potest; perficitur autem, & determinatur per potestatem jurisdictionis a Christo, vel Ecclesia collatæ, sive erga omnes, sive erga certos fideles. Ad eum ferme modum, sicuti qui Juris Doctor creatur, is potestatem accipit judicandi de rebus in Jure con- troversis, vel ex Cathedra publice docendi, sed tan- tum remotam, & incompletam, quæ in actum exire non potest, donec accepta jurisdictione alicubi Judex, vel accepta Cathedra alicubi Professor constituatur.

2 In tribus casibus omnis Sacerdos a peccatis absol- vere potest. Primo: Si Confessio sit tantum de venia- libus. Secundo: Si Confessio sit de mortalibus, a qui- bus pœnitens ante absolutus fuerat. Tertio: In mor- tis articulo ab omnibus peccatis. Discrimen autem est, quod primam, & secundam facultatem Ecclesia aufe- rat Sacerdoti excommunicato denuntiato, vel notorio percussori Clerici. Tertiam vero non auferat: Quia non expedit propter hujus Sacramenti necessitatem; quamvis absolute loquendo auferre posset. Quæ omnia arguunt, ejusmodi jurisdictionem Sacerdotibus non di- vino Jure, sed ex Ecclesiæ concessione competere. Etenim jurisdictio vel immediate a Christo datur, uti Apostolis, & specialiter S. Petro dabatur tanquam in Successoribus suis perpetuo duratura, ut nunquam Ec- clesia visibili in terris Pastore, & Summo Capite de- stitueretur, atque ut ab ipso conveniente ordine pote- stas spiritualis jurisdictionis in reliquos Dei Sacerdo- tes, ac Ministros descenderet, adeo, ut omnes post Apostolos jurisdictionem a Summo Pontifice mediate, vel immediate accipiant.

3 Jurisdictio in foro Pœnitentiæ alia est ordinaria, quæ alicui competit ratione officii, quo fungitur, qua- lem habet Summus Pontifex, & ejus Summus Pœni- tentiarius in omnes Christi fideles; deinde Episcopus, & ejus Vicarius in omnes tum Clericos, tum laicos suæ Diœcesis, Prælati exempti in subditos suos, Paro- chus, vel ejus perpetuus Vicarius in omnes suos Paro- chianos. Nec Reges, nec Duces a jurisdictione Ordi- nariorum, ubi Sedem fixam habent, eximuntur, quam- vis Pontificio Diplomate, & consuetudine licentiam obtinuerint, quemvis approbatum Confessarium eli- gendi. Alia jurisdictio est delegata, quæ alicui com- petit ex concessione Ordinarii; de qua infra.

4 Episcopi, Parochi, aliique Sacerdotes, propterea quod ipsi variis in locis facultatem ejusmodi faculta- te opus habere videantur, cuivis exposito, & appro- bato confiteri solent.

5 Jurisdictioni Ordinariorum aliquis subjicitur non tantum constituendo in Diœcesi, vel Parochia domi- cilium, sive habitationem perpetuam, sed etiam quasi domicilium, sive habitationem ad tempus non admo- dum breve negotii alicujus causa; sicut explicavi L. 1. Tr. 4. C. 12. n. 1. Unde scholaris V. C. cujus paren- tes Constantiæ morantur, ipse vero studiorum causa Monachii versatur, utrique Parocho tam Monacensi, quam Constantiensi confiteri potest: Attamen non pot- est ab utriusque Diœceseos Episcopo Ordines accipe- re, sed solum a Constantiensi, vel in cujus Ecclesia beneficium obtinet; ut suo loco dicam.

NB Si Sacerdos constitutus sit ab Episcopo loci cohorti militum, etiamsi alii in aliis partibus in lo- cum mortuorum militum adsciscantur, tamen omnes ipsius Sacerdotis jurisdictioni subjecti sunt, quamdiu moraliter rem æstimando censetur una cohors sub ta- li Duce constituta.

6 Ad domicilium, vel quasi domicilium constituen- dum tum animus requiritur, tum factum. Animus consistit in proposito voluntatis permanendi perpetuo, vel ad tempus anni non modicum. Factum consistit in actuali habitatione.

NB. 1. Qui habet domicilium in civitate, vel ca- stro, si ad villam ruralem se transferat recreationis causa, vel ut ruralia exerceat, ibique non electa se- pultura decedat, non in Ecclesia villæ, sed suæ Pa- rochiæ sepeliendus est.

NB. 2. Qui in duabus Parochiis domicilium habet, in quibus diversis anni temporibus habitare solet, ta- lis censetur habere duas Parochias, ut proinde ipsi li- berum sit, in alterutra malit, Sacramenta suscipere; dummodo in utroque loco per magnam anni partem habitare soleat. Nam alioquin, si recreationis tantum causa ad breve tempus in alterum locum secedat, u- num Parochum habere censebitur, in cujus Parochia principalius habitat.

7 Vagabundus (qui nullibi domicilium habens ver- satur in loco sine animo habitandi, vel manendi) confiteri potest cuivis Parocho, & exposito ejus loci, in quo pro tempore versatur: Nam vagabundi ubi- que sortiuntur forum: Sicut & in externo foro quili- bet Judex Reos vagabundos capere, & ob delicta, etiam alibi commissa, punire potest. præterquam si a Judice delicti petantur.

8 Vagabundorum matrimoniis Parochus assistere non debet, nisi re bene examinata, vel ad Ordinarium delata.

9 Peregrinus (qui alibi domicilium habet, & moratur

in

in locu animo non manendi) dum a Parochia abest, alteri expolito Sacerdoti confiteri potest, etiam tempore Paschali, idque ex tacita voluntate Ordinariorum per consuetudinem confirmata. Testimonium hi Parochis adferre debent Paschalis Communionis.

10 Peregrinus judicatur, & absolvitur in Pœnitentiæ foru, etiam quoad reservata peccata, secundum consuetudines loci ejus, in quo se judicio submittit.

11 Qui ordinariam jurisdictionem habet, alteri Sacerdoti potestatem a peccatis absolvendi delegare potest, in quo delegandi jure superior non dependet ab inferiore. Unde sicut Parochianos inscio, & invito Parochu absulvere potest Episcupus, & Diœcesanos quuslibet inscio, & invito Episcopu absolvere potest Papa, ita non minus eandem potestatem aliis delegare possunt.

12 Delegatus subdelegare nun potest; Quia delegatus non potest agere ultra id, quod ipsi aoncessum est; aonceditur autem illi tantum facultas utendi, sive exeraendi jurisdictionem, non item alteri committendi, quia hæ duæ facultates diversæ sunt, ut una alteram secum non trahat. Qua simili ratiune usuatius jus quidem habet utendi, sed nun alteri euncedendi; id enim ad proprietarium pertinet. Exclpe primo: Nisi ipsi specialiter id concedatur, ut nimirum etiam possit subdelegare. Et vero id specialiter ipso jure concessum est delegato Principis, puta, Papæ, Imperatoris, ut causam demandatam sibi possit alteri subdelegare, si partes consentiant. Limita tamen: Nisi persunæ industria specialiter delecta esse videatur; uti fieri solet in causis gravioribus, puta matrimonialibus, quippe quæ solis Episcopis, eorumve Officialibus ex Curia committi solent; sicuti notavit Abb. in c. si pro debilitate, n. 4. eod. tit. Præterea *si commissum fuerit crucem prædicare, excommunicare, vel absolvere aliquos, vel dispensare cum irregularibus, vel injungere pœnitentias, non potest alteri demandare:* Quia in his non plena jurisdictio, sed sola ejus executio a Papa commissa censari debet, nisi sit Legatus ex Curia destinatus. cit. c. ult. §. cæterum. Excipe secundo: Nisi alicui demandata sit universitas causarum, ita, ut quasi urdioario munere fungatur in judicandis umnibus causis certi generis, aut in certo loco. Duobus autem modis demandatur alicui jurisdictio ad universalitatem caosarum, ut eam quasi ex officio exercere, & interdum alteri subdelegare possit. Primo: Si alicui delegetur jurisdictio, ut sit in privilegium perpetuum ratione dignitatis, & officii sui, tunc enim talis potestas jurisdictionis censetur quasi ordinaria. Exemplum habes in Synodo Tridentina, Episcopis committente potestatem dispensandi in irregularitatibus, ex delicto occulto provenientibus. Atque hinc resolvit Henriquez, si Episcopus Parocho, vel Provincialis Guardiano committat facultatem absolvendi subditos a casibus reservatis, posse illos ejusmodi potestatis executionem alteri delegare, non ita generatim, sicut ipsis commissa est, sed particulatim in certo casu, vel ad certam personam absolvendam, V. C. si Parochianus a Parocho petat, ut plenam, quam ipse habet, absolvendi potestatem suo Cooperatori, vel Monasterii Confessario concedat. Quam tamen doctrinam intelligendam puto, si tale absolvendi privilegium concessum sit ratione officii in perpetuum; secus si sit privilegium personale ob hominis industriam datum.

13 Secundo: Qui habet vicariam administratiunem loco absentis, V. C. Parochi, saltem causam aliquam particularem subdelegare potest, non integrum officium. Quod breviter his verbis tradi potest: *Vicarius, seu Vicecuratus Cooperatorem adsciscere potest, non autem alterum Vicarium.* Excepto, si consuetudo id permittat Vicariis, ut nun minus, quam Parochi ordinarii, si eos ad breve tempus abesse contingat, Vicarium suo loco substituere possint; *Quia instituens Vicarium*, ait Sylv. *& sciens talem consuetudinem, implicite consentit in talem substitutionem.*

14 Is, cui officium, seu nudum ministerium, seu simplex jurisdictio in ordine ad certos actus committitur, & non integrum officium jurisdictionis, Cooperatori alteri talem facultatem subdelegare non potest sine speciali licentia committentis. Quocum tamen non pugnat, quin Parochus, aliusque ordinarius specialiter committere possit Cooperatori, aut delegato suo, ut alterum substituere queat nomine, & authoritate delegantis.

15 Ad jurisdictionem alteri demandandam in foro Pœnitentiæ requiritur actualis consensus delegantis, externo signo manifestatus. Prior pars probatur: Quia delegare jurisdictionem est actus voluntatis ejus hominis, qui potestatem habet: Ergo sine actuali voluntate ipsius non confertur alteri jurisdictio; sine jurisdictione autem irrita est Absolutio in foro Pœnitentiæ. Altera pars probatur: Quia delegatio jurisdictionis (sicut & aliæ concessiones) fieri debet modo humano, & sensibili, ut ab altero cognosci, & acceptari possit, & iden non sufficit mera voluntas interna, sed eam verbo, scriptura, aut facto sufficienter manifestatam esse oportet.

16 Nec ratihabitio sperata in futurum, neque in præsentia Curati rationabiliter præsumptus consensus, si re ipsa non adsuit, ad jurisdictionem conferendam sufficit. Nam Sacramentum Pœnitentiæ invalide confertur ab eo, qui jurisdictionem actualem non habet; Sacerdos autem absolvens spe futuræ ratihabitionis caret jurisdictione: Quia, ut supra dixi, jurisdictio delegata non acquiritur sine consensu delegantis, quem tempore Absolutionis delegans non habet, cum rem ignoret: Ergo Absolutio invalida est. Neque vero ratihabitio subseqoens efficere potest, ut Absolotio antea data convalescat: Quia valor Sacramentorum pendere non potest a futuro eventu cuntingente. Unde illud Navarra: *Sacramentum, quod ab initio nullum est, nulla ratihabitione, etiam Papæ, validum fieri potest.* Quod ad præsumptionem consensus præsentis attinet, licet illa rationabilis sit, tamen nihil confert ad valorem Sacramenti, si re ipsa consensus signo quocunque declaratus non est, consequenter jurisdictionis commissio defuit. Et hæc doctrina etiam locum habet in Sacramentu matrimonii, ad cujus substantiam post Concilium Tridentinum requiritur præsentia Pastoris urdinarii; cum enim licentia requisita ad valurem actus necessario antecedere debeat, l. si quis mihi, §. justum, ff. de acquir. hæred. consequens est, quod sola spes ratihabitionis postea futuræ, vel falsa existimatio, seu præsumptio consensus præsentis nun sufficiat ad præstandum matrimonii valurem. Aliud vero dicendum est de Sacramentis reliquis, quippe ad quorum administrationem non requiritur consensus Pastoris urdinarii, ita ut sit de substantia actus, sed solum, ut debitus urdo in Ecclesia servetur; ad quod sufficit plerumque rationabilis præsumptio præsentis consensus, aut ratihabitionis secutoræ.

17 Qui habet facultatem generaliter delegatam, V. C. Parochus ab Episcopo, absolvendi a casibus reservatis, potest eam alteri Sacerdoti, si ipsemet in talem casum reservatum Incidat, erga se ipsum committere: Quia non decet, Episcopum, vel Parochum pejoris esse conditionis, quam subditos. Cum igitur jure, quo hodie utimur, perinde Parochi, (*a*) sicut Episcopi, aliique Prælati exempti idoneum sibi Confessarium deligendi jus habeant, consequens est, eos omnes absolvi posse ab ejusmodi casu, tanquam qui eo loco Superiori reservatus non sit. Quod contrarium sentientes asserunt, jurisdictionem delegatam non extendi ultra personas in delegatione expressas, id intelligitur de certo genere personarum. Nam, si delegetur potestas respectu omnium subditorum, seu totius Communitatis, ex quadam æquitate censeri debet, comprehensas esse etiam partes Communitatis. Quam interpretationem merito facimus in re favorabili; cujusmodi est hoc Principis beneficium, casuum reservationem auferens.

„ (*a*) Parochi apud nos Italos nullam habent fa-
„ cultatem deligendi sibi confessarium, qui nun sit
„ ex approbatis ab Episcupo.

18 Confessarii Ordinum mendicantium omnes Christi fideles a quibuscunque sententiis, Censuris, aut pœnis Ecclesiasticis absolvere possunt, exceptis iis, quæ in Bulla *Cœnæ Domini* continentur. Ubi nota, hoc privilegio nullam concedi facultatem super irregularitatibus: Quia illæ non per Absolutionem, sed per dispensationem tolluntur; cum non tam pœnæ sint, quam Canonica impedimenta. (*a*) Sodomitæ occulti absolvi possunt ab Episcopo, & a mendicantibus.

„ (*a*) In Italia tamen alia est ratio; nam Regulares
„ absolvere non possunt a sex casibus Papalibus, qui
„ videri possunt passim apud Theologos, a quibus ta-
„ men absolvunt Regulares intra urbem.

„ Ulterius regulares absolvere non possunt a casibus,
„ & censuris, quas Episcopi sibi reservant. Ulterius
„ nec a procuratione abortus fœtus animati, quæ est
„ casus Papalis Episcopis pro absolutione a Pontifice
„ commissus. Demum ne calumniatores confessariorum
„ in materia sollicitationis per calumniam illos denun-
„ tiantes,

19 Confessarii Ordinum mendicantium accipiunt jurisdictionem in foro Pœnitentiæ a Summo Pontifice accedente Prælatorum suorum consensu, & expositione, & non per Episcopi approbationem: Nam Episcopi tam amplam jurisdictionem audiendi Confessiones omnium fidelium undecunque accedentium, eosque a Censuris, etiam reservatis, absolvendi, conferre non possunt.

20 Religiosi extra Ordinem suum ordinarie confiteri non possunt, & in ipso Ordine non alteri, quam illi, quem Superior iis designavit. Ratio. Quia per privilegium generale non censetur derogari consuetudini, vel statuto particulari, nisi id exprimatur. Religiosi tamen iter facientes, si socium Sacerdotem Religiosum non habeant secum, ex præsumpta licentia Superioris possunt alteri etiam sæculari confiteri.

21 Probabile est, quod Confessarii Ordinum mendicantium a Censuris in foro conscientiæ fideles absolvere possint, tametsi eorum Confessiones non audiant; vinculum enim Censuræ in foro conscientiæ tolli potest injuncta pœnitentia salutari sine Absolutione Sacramentali. *(a)* Ratio horum est: Quia privilegium, sive gratia a principe data, interpretandum est secundum naturam rei, quæ conceditur: Atqui Absolutio ab Excommunicatione, aliave Censura non dependet a peccatis; potest enim aliquis absolvi a Censura in foro conscientiæ, ut interim non absolvatur a peccatis, quomodo certum esse ait Avila, Parochos ab Excommunicatione non reservata absolvere posse: Ergo idem præstare poterunt delegati, nisi ipsis potestas limitetur, qualis tamen limitatio in dicto privilegio nulla apparet, quia verba ejus ita intelligi debent accommodate, ut singula singulis respondeant secundum naturam rei subjectæ, ideoque Absolutio a peccatis requirat antecedentem peccatorum Confessionem; non item Absolutio a Censuris: siquidem ab his absolvere ordinarie non solemus, nisi audita prius Confessione.

„ *(a)* Benedictus tamen XIV. in resolutione dubio-
„ rum pro Jubilæo anni sancti cavit, ne absolutio a
„ censuris pro foro conscientiæ extra pœnitentiæ sa-
„ cramentum daretur.

22 Facultas audiendi Confessiones, aut absolvendi a casibus reservatis mortuo concedente non extinguitur: Quia facultas audiendi Confessiones, & absolvendi a reservatis est gratia, favor, & beneficium ejus, cui facultas talis conceditur; gratiam autem, seu beneficium Principis decet esse mansurum. Reg. 16. in 6. Et praxis etiam huic Sententiæ favet: Nam mortuo Episcopo Confessarii ab ipso expositi pergunt sua facultate uti, donec a Capitulo, vel Successore revocentur: quin & Sacellanos, seu Cooperatores, a Parochis ad audiendas Confessiones assumptos, iis mortuis, videmus suo officio fungi, donec a Successoribus amoveantur.

23 Potestas delegata ad justitiam, sive jurisdictionem contentiosam mortuo delegante exspirat, si res integra sit, videlicet si delegatus jurisdictione nondum uti cœperit. Ratio: Quia jurisdictio ad justitiam alicui delegata habet rationem mandati, & non gratiæ: mandatum autem exspirat morte mandantis. Deinde delegatus ad justitiam vices delegantis gerit, ejusque personam repræsentat: Cum ergo mortuo delegante extinguatur jurisdictio ipsius, consequenter etiam extinguitur in delegato, quia extincto jure authoris extinguitur jus acceptoris. At vero delegatus ad Confessiones audiendas judicium in foro Pœnitentiæ exercet non in persona delegantis, sed in persona Christi, & authoritate per Ordinis potestatem. Deinde jurisdictio ad audiendas Confessiones non habet rationem mandati, sed gratiæ, cujus jus efficaciter acquiritur ipsi delegato, in eoque perpetuo manet, donec revocetur.

Corollarium I. Si Episcopus alicui, V. C. Decano Ecclesiæ Collegiatæ, jurisdictionem in prima, ut vocant, instantia gratiose concessit, ut sit accessoria ejus officio, illique quasi jure ordinario competens, non extinguitur morte concedentis, cum sit favor; quamvis a Successore revocari possit, si per modum gratiæ, & non per modum contractus, aut transactionis concessum fuerat.

24 Corollarium II. Facultas alicui ab Episcopo, aliove Prælato concessa eligendi Confessarium non exspirat morte concedentis: cum sit gratia, & privilegium, non mera delegatio, seu mandatum.

25 Corollarium III. Commissio particularis in favorem alicujus, si necessaria sit, non extinguitur morte committentis, etiam re integra. Exempla habes: Si Papa, vel Episcopus, alicujus supplicatione motus, mandet inferiori Ordinario, ut supplicantem absolvat ab Excommunicatione, a casibus reservatis, vel dispenset cum illo in impedimento matrimonii, in petitione debiti, in voto, vel juramento, atque ante cœptam executionem moriatur is, qui mandavit, nihilominus executioni locus est. At vero, si sit delegatio, vel commissio voluntaria, quæ se habet instar facultatis, hæc exspirat morte concedentis, si executio nondum cœpta sit. Ratio discriminis est: Quia in commissione necessaria jus acquisitum est ei, qui absolvendus, aut quocum dispensandum est, ideoque est gratia facta per absolutam concessionem committentis, solumque exigitur executio Commissarii, quam is necessario facere compellitur. At vero in commissione voluntaria nulli jus quæsitum est: Neque enim Commissario, cum non in favorem ejus delegatio sit facta; neque alteri, quocum V. C. dispensandum est, quia delegati liberæ voluntati relinquitur, velitne dispensare, nec ne; ideoque est gratia *facienda*, & non *facta*: Quare illa perit per mortem delegantis (nisi delegatio facta sit authoritate sedis, seu dignitatis, quæ nunquam moritur; hæc vero non perit re integra.

CAPUT XI.

De Approbatione Confessariorum.

1 Jure novo Tridentini Concilii Sess. 23. c. 15. de reform. approbatio Sacerdotum ab Episcopis requiritur ad audiendas Confessiones sæcularium, etiam Sacerdotum; non item Regularium personarum: Nam illi confiteri possunt cuique Sacerdoti, quem Prælatus ipsis secundum Ordinis statuta constituerit, tametsi ab Episcopo approbatus non sit. Ratio: Quia ante Concilium Tridentinum Regulares poterant confiteri etiam non approbatis ab Episcopo; a quo jure antiquo recedendum non est, nisi quatenus invenitur expressum. Cum igitur in dicta Constitutione nulla fiat mentio de Confessionibus Regularium, sed tantum sæcularium, satis colligitur, mentem Concilii fuisse, circa Regulares nihil in hac re innovare, sed eos curæ, ac vigilantiæ suorum Prælatorum permittere.

NB. Qui beneficium obtinuerunt, cui cura animarum annexa est, eo ipso ad Confessiones audiendas approbati censentur, ut proinde alia approbatione opus non habeant.

2 Etiam *Doctores*, & *Licentiati* in Theologia, aut Jure Canonico, ab Episcopis approbationem ad audiendas Confessiones petere debent, & examini se sistere interdum non ob defectum scientiæ, sed ob defectum experientiæ, & praxis, a qua tamen est, ut non examinentur ob præsumptam eorum sufficientiam.

3 Episcopus peccat, si Sacerdoti idoneo sine justa causa approbationem neget. Ratio: Quia approbatio hæc non est gratia, seu privilegium, quod ex libera voluntate concedentis dependet, sed est authentica declaratio, seu testificatio, personam habilem, & dignam esse, cui jurisdictio ad Confessiones excipiendas conferri possit: Hujusmodi autem testimonium Sacerdotibus ad id ordinatis, si scientia, & prudentia instructi sunt, jure debetur.

4 Non pauci Doctores existimant, si Regulares ab Episcopis repellantur, quando manifeste idonei sunt, nihilominus ad sæcularium Confessiones audiendas exponi posse. Quamvis contrarium sentiant Suarez, Coninck, eo quod Clementinæ illi, in qua id habetur, a Tridentina Constitutione derogatum sit.

5 Sed respondent Navarr. Rodriquez, ejusmodi clausula derogatoria generali non tolli privilegium speciale clausum in Corpore Juris, cujus rationem esse dixi Lib. 1. Tract. 4. C. 23. q. 4. n. 26. quia correctio Jurium vitanda est: Quare in generali derogatione non censetur comprehensum privilegium speciale clausum in Corpore Juris, si ob specialem rationem exceptum videri possit, qualis hic omnino apparet.

6 Approbatio Sacerdoti semel collata ob justam causam ab Episcopo revocari potest; maxime reexaminatis, & deprehensis indignis, ut tum securitati conscientiæ ipsius, tum vero ovium commissarum saluti prospectum sit.

7 Approbatio Sacerdotis, & delegatio jurisdictionis ad Confessiones audiendas inter se differunt. Quia, ut ait Lamas, *Approbatus Ordinarii judicio, sive sufficiens declaratus, non eo ipso jurisdictionem recipit: Approbatio enim est actus intellectus, utpote judicium, sive sententia; traditio autem jurisdictionis debet esse actus voluntatis superioris.* Unde etiam una

fine

sine alia quandoque confertur ; aliquando simul : V. C. Si Episcopus aliquem exponat, seu mittat ad Confessiones excipiendas, eo ipso approbare illum censetur.

8 Approbatus ab uno Ordinario, si ad aliam Diœcesin veniat, nova approbatione indiget. Patet ex Concilio Tridentino. Ratio : Quia ad cujusque Episcopi officium spectare videtur, ut in sua Diœcesi idonei Confessarii exponantur. Qua in re non semper fidem habere potest aliorum Episcoporum judicio, sed interdum merito timere, ne vel alii Episcopi minus idoneos approbent, vel, tametsi approbati in alia Diœcesi idonei fuerint ad Confessiones audiendas, non tamen in sua sint, ubi aliæ consuetudines, & peccatorum reservationes, aliud hominum ingenium, alia instituta, & commercia vigent. Si tamen Episcopi sint contenti approbatione aliorum Episcoporum, major tunc approbatio non requiritur : Alias, si non contenti sint, nullæ, sed irritæ erunt Absolutiones.

9 Spectato Jure communi ejus Episcopi approbatio requiritur, in cujus Diœcesi Confessiones audiendæ sunt.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quamvis valide absolvant Regulares, quibus Episcopus dedit jurisdictionem, etiam renuente proprio Superiore ; nihilominus in praxi judicandum fere semper graviter peccaturos, si Pœnitentiæ Sacramentum administrent, ipso Superiore inscio. Ratio est, quia si Superior renuat, id faciet, quia agnoscet Subditum carere vel sufficienti scientia, vel probitate pro hoc Sacramento administrando ; unde, ultraquamquod peccet mortaliter quicumque prædictis carens audire vult confessiones, ita etiam peccat, quia in re gravissima transgreditur Superioris præceptum. Sed demus Regularem excipientem confessiones, invito Superiore, solummodo transgredi suam regulam, qua illi præcipitur obedire, adhuc potest graviter peccare. Ratio est, quia quamvis ipsius regula de sui natura non obliget, nisi vel ad pœnam, vel ad culpam levem, adhuc tamen quis non videat quæ oriri possint scandala, & præjudicia regulari observantiæ, si Religiosi velint, invitis etiam Superioribus, confessiones excipere ? Graviter proinde peccarent ratione scandali, & gravia perturbationis, quæ exinde orietur.

II. Ex illa tam communi doctrina, qua dicitur valide, & licite administrari Sacramentum Pœnitentiæ cum jurisdictione opinioni vere probabili innixa, plures casus resolvere potest Confessarius : semper scilicet posse excipere Confessiones, cum ex opinione vere, & certe probabili putat habere jurisdictionem. Ita se habet opinio, qua dicitur ad obtinendam jurisdictionem sufficere ratihabitionem Ordinarii de præsenti, quia e. g. Sacerdos novit Superiorem esse contentum, ab ipso hic & nunc audiri confessionem, vel quia dedit signa indicantia consensum : *Sot. in 4. dist. 18. q. 4. art. 3. Donat. t. 4. tr. 5. q. 14.*, & plures alii. Communiter a contra docent non sufficere ratihabitionem de futuro, nam consensus futurus Superioris non dat de præsenti jurisdictionem, quæ prærequiritur ad absolutionem. Item opinio vere probabilis est ea, qua dicitur obtineri jurisdictionem a Sacerdote, qui, licet ab Episcopo interiori judicio inhabilis judicetur, nihilominus externe approbatur. Ratio est, quia approbatio est veluti sententia lata ab Episcopo ut Judice, quæ valida est, quando profertur ab eo, qui habet authoritatem, quamvis illicite eam proferat. Judicium proinde Episcopi necessarium ad Sacerdotis approbationem, regulandum est secundum id, quod externe profert, cum maxime Ecclesia de mere internis non judicet ; & cum alias sæpe redderentur dubia quamplura Sacramenta, semper etenim timeri posset, an Episcopus vere idoneos reputasset quosdam, qui non mediocriter indocti, & imprudentes apparent : *Lugo disp. 21. sect. 1. numer. 25., Suar. d. 28. sect. 5. num. 7. Avers. de pœnit. qu. 16. sect. 6.* & plures alii contra *Barb. 2. p. de potest. Episc. alleg. 26. n. 20. Bon. &c.* Item reputanda opinio certo probabilis ea, qua dicitur non expirare facultatem audiendi confessiones mortuo concedente. Idem dicendum de opinione, qua asseritur simplicem Sacerdotem habere jurisdictionem absolvendi moribundum, si Sacerdos approbatus superveniat incepta confessione : sicut etiam de opinione concedente Regulari posse tempore jubilæi eligere Confessarium ab Ordinario dumtaxat approbato, non vero a Superiore Regulari. Semper tamen a praxi proscribendæ opiniones non certo probabiles, quales essent concedentes illimitatam facultatem excipiendi confessiones, quando facultas concessa fuisset limitate, vel quoad tempus, vel quoad Personas.

CAPUT XII.

De Casuum Reservatione.

1 PApa solus nunc jurisdictionem necessariam ad peccatorum absolutionem divino Jure in sui electione, atque ordinatione accipit ; reliqui vero Episcopi, & Prælati exempti Jure Ecclesiastico a Papa, qui proinde ipsis jurisdictionem limitatam conferre potest, vel respectu personarum, quosdam ab eorum jurisdictione eximendo, vel respectu peccatorum, quorundam absolutionem sibi reservando. Et simili ratione, cum Parochorum jurisdictio ab Episcopis, vel a Prælatis quasi Episcopalem jurisdictionem habentibus immediate proveniat, poterunt hi illis in foro Pœnitentiæ limitatam potestatem dare, quosdam casus graviores suo judicio reservantes. Etenim si in foro externo, non tantum Ecclesiastico, sed etiam civili, usitatissimum est, ut causæ graviores superiorum Judicum examini reserventur, cur non idem fiat in hoc Pœnitentiæ foro, ut nimirum crimina graviora securius corrigantur, & salubriora iis remedia adhibeantur, tum vero ob difficultatem veniæ impetrandæ fideles ab ejusmodi sceleribus absterreantur?

2 Papa nullum peccatum reservare solet, nisi propter annexam Censuram Excommunicationis. Unde, si Papa aliquem ab Excommunicatione absolvit, potest postea Confessarius absolvere a peccato, cui annexa erat Excommunicatio (*a*).

„ (*a*) Excipitur hodie casus calunniose denunciantium Confessarios, tanquam si ad turpia sollicitaverint, qui ex Bulla Bened. XIV. est casus Papalis, „ nec habet annexam excommunicationem.

3 Sola mortalia, eaque non nisi externa, & opere consummata peccata reservari solent : Venialia enim, cum ad eorum Confessionem nemo obligetur, non solent reservari ; nam frustra reservarentur. Interna possent quidem reservari, eo quod jurisdictio non minus ad absolvendum a peccatis internis, quam externis convenienter ordine a superioribus ad Confessarios inferiores descendit, ideoque utraque potestas limitate, seu cum restrictione conferri potest ; interim tamen externa solum reservari solent : Quia internorum peccatorum reservatio non ita necessaria est ad Ecclesiæ gubernationem ; quippe quæ externa potissimum spectare debet. Dixi : *Consummata*. Quia crimen non intelligitur, nisi sit consummatum : Nam V. C. attentatio homicidii non est homicidium.

4 Homicidium voluntarium, etiam occultum, communi Ecclesiarum consuetudine Episcopis reservatur. Quæ vero alia peccata (V. C. crimen incendiarii, falsarii literarum, sacrilegium, violatio loci sacri, sortilegium, crimen scandalosum, ob quod etiam publica pœnitentia imponebatur, &c.) in qualibet Diœcesi reservata sint, ex consuetudine, & Diœcesalibus Constitutionibus petendum est.

5 Gravis, & insolita casuum multorum reservatio in Diœcesi, etsi illicita sit (quippe Episcopis concessa potestate, ut eadem utantur in ædificationem, & non in destructionem ; sicut videre est in Trident. Sess. 14. cap. 7.) tamen valida est, & a Parochis observanda, donec tollatur.

6 Regularibus Prælatis certus modus præscriptus est reservandi peccata : V. C. in Constitutione Clementis VIII. mandatum est, ut præter casus sequentes, qui reservari possunt (quamvis non debeant) alii non reserventur sine Generalis Capituli in toto Ordine discussione. 1. Veneficia. 2. Apostasia a Religione. 3. Nocturna furtiva egressio e Monasterio. 4. Proprietas contra votum paupertatis, quæ sit peccatum mortale. 5. Juramentum falsum. 6. Procuratio, seu auxilium ad abortum faciendum post fœtum animatum. 7. Falsificatio sigilli Monasterii. 8. Furtum de rebus Monasterii. 9. Lapsus carnis voluntarius, opere consummatus. 10. Occisio, seu gravis vulneratio. 11. Malitiosum impedimentum, aut apertio litterarum a superioribus ad inferiores, & econtra.

7 Si Prælatus existimet expedire, ut facultatem absolvendi a casu reservato alteri Sacerdoti det, in concedendo facilis esse debet. Ratio : Ne Sacramentum Confessionis, quod in remedium animarum institutum est, nimis grave accidat, atque occasio capiatur reticendi peccatum cum Sacramenti irreverentia, & propriæ salutis jactura.

8 Si Prælatus expedire judicet, ut ipsemet casum reservatum cognoscat, & pœnitens extra Sacram Confessionem explicare nolit, ordinarie integra omnium peccatorum Confessio ei facienda est ; interdum tamen ob moralem impossibilitatem, vel ob gravium negotiorum impedimentum sufficit, solum casum reservatum audire, & ab eo directe absolvere cum onere, ut reliqua peccata inferiori Sacerdoti explicentur. Quam consuetudinem Pœnitentiariorum Romæ esse, testatur Canus (*a*).

„ (*a*) Hodie tamen aliam esse Romanam consuetudinem credo, alioquin incurreretur in sententiam „ damnatam ab Inn. XI. n. 59. *Licet sacramentaliter „ absolvere dimidiate tantum confessos ratione magni „ concursus pœnitentium &c.*

NB. Omnia peccata uni Sacerdoti explicanda sunt ordinarie, & per se, non item in casu extraordinario, & accidentali ; sicut cernere est in eo, qui unum, aut plura peccata confiteri oblitus est, vel ob periculum revelationis explicare non potuit.

9 Si Confessarius peccatum aliquod confitentis intel-

ligat esse reservatum Superiori, ordinarie non debet eum absolvere, sed ad Superiorem mittere, vel absolvendi potestatem ab eo petere. Patet ex Concilio Tridentino. Ratio est: Quia ad integritatem Sacramentalis Confessionis pertinet, ut de omnibus mortalibus fiat coram legitimo Judice, qualis ille tantum est, qui potestatem habet de integra causa cognoscendi, ut Absolutio ab eo rite pronuntietur.

10 Propter aliquam necessitatem (V. C. si laicus communicare, aut Sacerdos celebrare debeat, & Superiorem distantem adire non possit) licitum est inferiori Sacerdoti absolvere a peccatis, quorum unum, aut plura reservata esse scit; ita ut Absolutio directe cadat super non reservata, tametsi solum venialia sint, indirecte vero super reservata, imposito onere pœnitenti, ut reservata sola Superiori indicentur, vel absolvendi potestas ab eodem petatur: Pertinet enim ad dignitatem S. Eucharistiæ, ut, si conscius sit peccati mortalis, ab eo prius Sacramentalem Absolutionem accipiat. Idem dicendum est de Censura Excommunicationis. Cum enim Excommunicatio V. C. Jure tantum positivo Ecclesiastico arceat ab usu S. Eucharistiæ, ac Pœnitentiæ, cessat ejus obligatio in casu magnæ necessitatis. Quare, si excommunicatus ob vitandam infamiam S. Eucharistiam percipere potest, multo magis in tali casu a peccatis absolvi, non obstante Excommunicatione.

11 Is, qui communicandi necessitate constrictus Superiorem accedere tunc non potest, ut a peccato ipsi reservato absolvatur, non est obligatus, ut inferiori Sacerdoti confiteatur, si scandalum cesset, & communicaturus, & celebraturus existimet, se contritum esse. Ratio: Quia nemo, per se loquendo, obligari potest, ut idem peccatum bis confiteatur; talis autem idem peccatum reservatum bis confiteri deberet, videlicet non tantum inferiori, sed etiam postea Superiori: Ergo talis obligatio imponi non debet. Cur autem dixerim, *per se loquendo*, ratio est: Quia per accidens, si pœnitens alia peccata mortalia non reservata habeat, una cum iis etiam reservata confiteri debet, ut Confessarius pœnitentiæ statum recte cognoscat.

12 Qui in Excommunicatione constitutus per ignorantiam bona fide, vel quia existimavit, se legitime ab inferiori absolvi posse, Absolutionem petit, valide absolvitur a peccatis: Quia aliqualis necessitas urget; siquidem pœnitens ægro animo discedet absque Absolutione, cum ex sua parte bene dispositus sit: Ab Excommunicatione tamen annexa non absolvitur (*a*).

„ (*a*) Si tamen Confessarius sciat illum irretiri ex-
„ communicatione reservata, debet illum remittere ad
„ Superiorem, nec potest dare absolutionem, cum il-
„ la animi ægritudo, quam tunc pœnitens pateretur,
„ non sit causa adeo gravis, qualis requiritur, ut
„ Confessarius inferior eo in casu absolutionem im-
„ pertiatur.

13 In mortis articulo, seu periculo, sive ex infirmitate, sive ex Judicis decreto (etiam probabili, V. C. periculo perpetuæ amentiæ, belli futuro conflictu, partu periculoso) etiam excommunicatus, aut hæreticus ab omnibus peccatis absolvere potest. Cur autem Ecclesia omnibus Sacerdotibus in mortis articulo hanc potestatem tribuat, ratio est: Quia peccator in tali casu tum Jure divino, tum ex naturali charitate erga se ipsum ad confitendum obligatur. (*b*) Quæ ratio obligationis æque locum habet, etsi aliquis sine necessitate, ac sponte, V. C. in bello injusto, periculum mortis adeat.

„ (*b*) Hodie tamen ex vi Bullæ Bened. XIV. Sa-
„ cerdotes socios criminis in re venerea neque etiam
„ socios illos constitutos in mortis articulo absolvere
„ possunt, si adsit alius etiam simplex Sacerdos, a
„ quo id præstare possit sine scandalo, & gravi infa-
„ mia. Hanc Bullam incipientem *Sacramentum pœni-*
„ *tentiæ* legas in Bull. tom. 1. n. 119.

14 Si Sacerdos jurisdictione præditus adsit, vel vocari possit, Sacerdos simplex, seu jurisdictione carens jus absolvendi non habet in mortis articulo. Ratio: Quia Sacerdoti simplici potestas absolvendi a quibuscunque peccatis in mortis articulo conceditur jure extraordinario ob rationem necessitatis, *ne hac occasione* (si Absolutio denegetur) *aliquis pereat*, inquit Concilium Tridentinum Sess. 14 c. 7. Ergo cessante necessitate cessat hæc extraordinaria potestas per Regulam Abbat. *Cum aliquid conceditur propter necessitatem, durat concessio, quatenus urget necessitas.*

NB. Similiter Parochus in mortis articulo absolvere non potest a reservatis Episcopo, si adsit Episcopus, aut privilegiatus, aut facile accersiri possit, nisi alia sit Diœcesis consuetudo.

15 Qui propter mortis periculum a peccatis reservatis absolutus est, cessante periculo Superiori se sistere non debet. Ratio: Quia in mortis articulo omnes Sacerdotes non indirecte, & per concomitantiam, sed per se, ac directe ab omnibus omnino peccatis absolvendi potestatem habent. Excipitur tamen: Nisi peccato annexa sit Censura Excommunicationis Superiori reservata; tunc enim absolutus cessante mortis periculo sistere se debet Superiori, ad quem de jure ordinario Absolutio pertinet, non ut iterum absolvatur, sed ut mandatum ejus accipiat.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si confessarius non satis sit versatus circa ea, quæ pertinent ad casus reservatos, vel nimis facilis erit in concedenda, vel nimis difficilis in neganda absolutione. Videat ergo in primis, an pœnitens peccaverit mortaliter; nam forte venialiter peccavit in subita ira blasphemando, in removendo infantulos a capsula, ut suo loco dictum est &c., & ita non haberet locum reservatio nostræ Diœcesis in ordine ad hos casus. Videat si saltem dubitari possit, an graviter peccaverit, nec ne, an detur aliqua circumstantia, ut dubitari possit, an inciderit in reservationem, stantibus enim talibus dubiis semper removetur reservatio. Videat, an talis sit ignorantia peccantis, ut non reputaverit suum peccatum gravius alio, quod sub eodem genere continetur; ut si non reputaverit gravius peccatum congredi cum consanguinea, vel affine, quam cum alia fœmina; quamvis etenim difficiliter dari posset talis ignorantia respectu primi, vel etiam secundi gradus consanguinitatis, non tam difficile est dari in rudibus respectu affinium, seu cognatorum, aut cognatarum spiritualium. Videat, an peccatum sit tantum voluntarium in sua causa; ut si quis blasphemet ex culpabili consuetudine, non advertendo tamen ad blasphemias dum profert; vel ratione ebrietatis, quamvis sciat se in ebrietate blasphemare. Videat, an peccatum, quod commisit pœnitens, sit plene consummatum; nam non raro in materia luxuriæ abstinent a consummando intra vas, ne fœmina impregnetur, vel etiam ad evadendam reservationem. Videat etiam, an pœnitens excusari possit ratione gravis metus, quod evenire v. g. posset respectu Homicidæ, qui homicidium perpetraverit ob graves minas Personæ potentis. Ex his omnibus facile judicare poterit, quando in particularibus casibus interveniret reservatio.

II. Bene animadvertat Confessarius non raro avenire posse, habentes peccata in nostra Diœcesi reservata, ad vicinas Diœceses migrare, ut ibi absolvantur; atque id accidere facilius posse respectu Parochorum &c. qui habuerunt actus obscœnos cum Parochiana, & Confessariorum, qui cum pœnitentibus. At de istis facillime verificatur alio migrare in fraudem reservationis, adeoque invalide ibi absolvi. Et quidem quis negabit in fraudem reservationis, aliam occasione alicujus solemnitatis, extra Diœcesim quærere absolutionem, qui commiserunt casum reservatum animo petendi absolutionem, ubi non est reservatus? In fraudem etiam reservationis extra Diœcesim quærit absolutionem, qui non alia ratione ad alteram transit Diœcesim, nisi ut non petat absolutionem a suo Superiore, vel ab iis, qui sunt ad hoc deputati; vel saltem hoc est præcipuum, & principale motivum alio migrandi. Videat ergo Confessarius quid credere debeat respectu prælatorum Parochorum, Confessariorum &c.

III. Quamvis toto conatu debeat Confessarius removere impuberes a quocumque peccato, & maxime a reservatis; nihilominus non obliviscatur suto dici posse sub reservatione non comprehendi, & specialiter quoad peccata luxuriæ. Hinc absolvere poterit masculos impuberes sodomitice agentes, vel patientes, quamvis hujusmodi peccatum in nostra Diœcesi sit quoad masculos reservatum. Videat nihilominus, ne ex nimia facilitate absolvendi animosiores fiant ad iterum peccandum; & fortasse multoties optimum erit absolutionem differre, ut magis commissi criminis gravitatem perpendant.

IV. Si Confessarius assem alicujus Prælati, difficiliter suaderem denegare facultatem absolvendi a reservatis. Ad quid ergo sibi ea reservabunt, respondebit aliquis? At ego subdo semper obtineri posse finem reservationis, coercere nempe homines a peccatis reservatis committendis, etsi facilis sit in delegando potestate ad ea absolvenda. Hujusmodi facilitas nullum afferet præjudicium, quoties Superior, dum suam potestatem delegat, assignet, si judicet opportunum, Delegato remedia præscribenda Pœnitenti, ut cesset a peccando. Hinc fiet irretitos casibus reservatis facile a pravo suo statu recessuros, & ex alia parte non futuram damnosam facilitatem obtinendæ absolutionis.

V. Solent Confessarii scire sibi non deesse in articulo mortis facultatem absolvendi a casibus, & censuris quibuscumque reservatis: at non omnes vidi sufficienter instructos quoad ea, quæ tunc debent præstare. Cum igitur in periculo mortis cesset omnis reservatio, adeoque pœnitens directe absolvatur a casibus reservatis, sicut a cæteris peccatis, nulla ei remanet obligatio, si tale periculum evadat. Quoad censuras vero reservatas tenetur adire Superiorem, vel ut etiam in foro externo absolvatur, si tantum pro interno fuit absolutus; vel si pro utroque foro fuit absolutus, adhuc debet se præsentare Superiori, ut Ecclesiæ obediat, ejusque audiat mandata. Quod si ita absolutus non se præsentet Superiori, ipso jure reincidit in censuram *cap. eos qui de sentent. excom. in* 6. & dixi *tract. 4. quæst. 1. cap. 3. qu. 4. resp. 2.* ubi & quid præstandum sit ab eo, qui absolvit a Censuris.

VI. Si Confessarius dum petit facultatem absolvendi ab aliquo reservato, quod ipsi exposuit pœnitens, limitate petat, non poterit absolvere a novo peccato reservato, si quod commiserit pœnitens eo tempore intermedio. Ita eveniret, si exposceret facultatem quemdam absolvendi ab aliquo reservato, si absolvendi a tertio, vel quarto casu &c. sibi jam exposito; nam cum hujusmodi, & similibus formulis designetur peccatum jam sibi expositum, & non subsequens, si quod forte committatur, intelligitur concessa facultas ad tenorem petitionis; & proinde solum in ordine ad peccatum jam auditum. Ne ergo in angustias redigatur, videat exposcere pro una vice amplam facultatem a

refer-

reservatis absolvendi. Ubi etiam obiter volo adnotare licentiam semel concessam pro absolvendo ab aliquo reservato jam Confessario exposito se habere ad instar gratiæ factæ, adeoque de se esse perpetuam: *De Lugo de pænitent. disput.* 20. *num.* 125. *Sanch. l.* 8. *de Matr. disp.* 28 n. 85. Quousque vero durare possit licentia, quæ etiam se extendat ad reservata commissa post obtentam facultatem, dixi alibi.

VII. Confessarius bene perspectum habeat qui sint casus, & quæ censuræ reservatæ; dum etenim obtinetur facultas a casibus reservatis absolvendi, non intelligitur concessa pro absolvendo a censuris reservatis. Hinc si accedat ad Confessarium nostræ Diœcesis e. g. Sponsus, qui sine debita licentia pernoctaverit sub eodem tecto cum Sponsa, non poterit eum absolvere, si habeat, vel petierit solummodo licentiam a casibus reservatis absolvendi; nam prædicto peccato annexa est excommunicatio reservata.

VIII. Denique hic adnotandum censui in nostra Diœcesi omnino sublatam esse Confessariis facultatem absolvendi socium criminis, & eos, quorum peccato cooperati sunt. En verba prohibitionis: *Confessarii socium criminis, & a peccato, in quo ipsi participans, seu cooperans fuit, numquam absolvant, in his enim casibus illos omni facultate privamus*. Ut Confessarius dicatur participasse, seu cooperasse alterius peccato, requiritur cooperatio formalis, scilicet cooperari alterius actioni, ut peccaminosæ. Hinc Confessarius prabens arma alicui, quibus non prævidit usurum ad patrandum homicidium, non dicitur vere, & formaliter cooperasse ipsius peccato, sed tantum materialiter. E contra semper judicavi cooperatorem, & complicem alterius peccati illum, qui aliqua dicit, vel facit, ex quibus prævidet aliquem peccaturum, quamvis ipsius peccatum non intendet. Exemplum sit in Confessario, qui bene prævidet ex verbis obscœnis, quæ profert, aliquem peccaturum; quamvis enim non intendet illius peccatum, dici debet cooperator, & complex; utpote qui de facto est causa illius peccati. Vide etiam quæ dixi alibi.

Sunt pariter cooperatores, & socii criminis Confessarii, qui quamvis immediate non participent in ipsa actione peccaminosa, ipsam tamen mandarunt, suaserunt, &c., & quamvis per mandatum & consilium non influxissent, verificatur tamen in foro conscientiæ socios fuisse in crimine, quod alii patrarunt. Idem dico de Confessario, qui approbavit commissum crimen coram delinquente, vel coram aliis, quos prævidit suam approbationem Delinquenti relaturos. Ratio est, quia ultraquamquod approbator peccati proprie dicatur illius participans, tali approbatione Confessarius potest esse causa novi peccati ipsius pœnitentis, quatenus ea tali approbatione facillime concipiet complacentiam de patrato scelere. Præterea etsi non daretur istud novum peccatum, adhuc subsistit ratio præfatæ prohibitionis, quæ est, ut infra explicabo, non convenire confessionem peccati fieri coram Confessario, qui illud approbavit.

Difficultas nihilominus est, an supradicta prohibitio respiciat Confessarios, qui fuerunt socii, vel cooperatores in quocumque crimine, an vero solummodo intelligenda sit de Confessariis sociis, & cooperatoribus in quibusdam determinatis criminibus. Non desunt qui illam extendant ad socium, & cooperatorem in quocumque crimine. Verum Bossius, quem sequitur P. Mansi *in append. ad casus reserv. num.* 3., vult intelligendam de socio criminis in omnibus peccatis luxuriæ, quoad peccata vero alterius generis, dicit comprehendere Confessarios complices in delictis gravioribus, quæ solent cum socio patrari, puta in furto, homicidio &c. Ratio est, tum quia hujusmodi peccata propria veniunt criminis appellatione. Tum quia generalis prohibitio, ne Confessarii absolvere possint quæcumque peccata, in quibus fuerunt Socii, vel cooperatores, esset in grave præjudicium animarum, ut constat respectu Parochi ruralis, si non posset e. g. absolvere mulierem, cum qua peccatum detractionis commisit. Tum quia apud eumdem P. Mansi dentur declarationes Episcoporum, qui dicunt prohibitionem, de qua modo loquimur, solummodo comprehendere Confessarios socios in præfatis criminibus. Quamvis autem eadem declaratio non sit in nostra Diœcesi, bene dici potest esse subintelligendam, utpote quia sit juxta naturam talis prohibitionis, universaliter etenim accepta, ut dixi, esset in destructionem, non in ædificationem. Illud omnes concedunt, Confessarium nempe posse absolvere peccata venialia, in quibus fuit socius, seu cooperator; ea etenim non veniunt criminis appellatione: *Bonac. de Sacr. Pænit. d.* 5. *quæst.* 7. *p.* 5. §. 5. *num.* 12. Item si quis jam absolutus fuerit ab alio Confessario quoad crimen commissum, potest iterum idem peccatum exponere Confessario, qui fuit Socius, vel particeps in eodem crimine, etenim cum jam directe fuerit absolutum, non obstat non esse in isto Confessario potestatem illud absolvendi, nisi indirecte. Secus si prius confessus esset sua peccata alteri Confessario, & oblitus fuerit criminis, cujus secundus Confessarius fuit complex; cum etenim in præhabita Confessione non absolutum fuerit nisi indirecte, oportet illud fateri Confessario, qui habeat potestatem illud directe absolvendi, & talis non est, qui fuit socius, & particeps criminis: *Mazzuch. disp.* 3. *qu.* 4. *n.* 115.

Illud demum advertant Confessarii in ordine ad eos, in quorum peccatis fuerunt socii, cooperatores, seu participes, taliter se habere, ac si non fuissent approbati: unde in Synodo dicitur quod illos *numquam absolvant*, sicut nec peccatum, in quo fuerunt socii &c. adeoque talis Confessarius nullam habet authoritatem & circa crimen complicitatis, & circa personam complicis. Ita etiam suadet ratio talis prohibitionis, ideo etenim prohibentur Confessarii ab absolvendo socio criminis, tum quia timeri potest deesse in pœnitente sincerum dolorem, dum peccatum fatetur Confessario, quem in eodem habuit socium, vel cooperatorem; tum quia si refricetur memoria de peccato cum illo commisso, maxime si sit in genere luxuriæ, periculum adesse potest in lethalem complacentiam labendi; tum quia indecens est Judicem esse peccati illum, qui in eo fuit cooperator: *S. Thomas in Suppl. quæst.* 20. *art.* 2. *ad* 1. *Caren. de offic. Inquis. p.* 2. *tit.* 12. *num.* 310. Hæc autem suadent omnino auferri potestatem a Confessario in ordine ad totam illam confessionem, in qua explicandum est peccatum, cujus fuit Socius &c. Hinc non posset Confessarius absolvere socium criminis, etiam dum pœnitens esset in periculo infamiæ, cum respectu illius se habeat ac si non fuisset approbatus. Adde me credere, quod etsi in aliqua Diœcesi non prohiberetur Confessariis excipere Confessionem socii in crimine, nihilominus id semper de sua natura esset intelligendum; in generali etenim approbatione, quam habent Confessarii, ex notis regulis non veniunt quæ sunt speciali nota digna, & talis profecto est approbatio quoad excipiendas confessiones etiam socii in crimine.

IX. Bene sciat Confessarius, ut alibi etiam notavi, ex praxi, & consuetudine Ecclesiæ, non remanere reservatos casus Pontificios, quoties peccans excusari potest a censura, & tunc absolvi posse a quocumque simplici Confessario. Hinc potest accidere rudes aliquo peccato ex reservatis in Bulla Cœnæ inquinari, & tamen absolvi posse a simplici Confessario; quia propter ignorantiam non inciderunt in censuram illi annexam. Ut tamen absolvi possit a simplici Confessario, oportet non esse etiam ab Episcopo reservatum; nam uno jure remisso, nempe Pontificis, aliud remissum non intelligitur, nempe Episcopi, ac uno impedimento sublato, non est necesse & aliud tolli; *cap. iusarum de author. & usu pallii*, *l. si domus ff. de servit.* Hinc in nostra Diœcesi si quis propter ignorantiam non incurreret censuram annexam abortui, ut suo loco dictum est, non proinde absolvi posset a simplici Confessario propter specialem reservationem nostræ Diœcesis.

X. Quamvis communis opinio, & consuetudo ferant, ut casus Papales nullatenus reservati remaneant, si peccans immunis sit a censura, non tamen ita loquuntur Theologi de casibus, quibus Episcopi adnectunt excommunicationem sibi reservatam. Magis communiter docent quod etsi peccantes ob ignorantiam &c. non incurrant censuram reservatam, remanent Episcopis reservatus casus illi adnexus, cum non detur consuetudo, ut cessante censura non amplius reservatus reputetur. Præterea videntur Episcopi æque immediate sibi casum, & censuram reservare; unde una reservatione ablata, altera posset remanere: *Suar. de pænit. d.* 3. *sect.* 3 *n.* 11., *Laym. l.* 5. *tract.* 5. *p.* 2. *c.* 6. *num.* 10., *Boss. de Jubil. sect.* 1. *cap.* 8. *n.* 2. Secus dicendum si ex littera reservationis appareret reservationem cadere tantum supra censuram.

CAPUT XIII.

De Officio, & Obligatione Confessarii.

1 SCientia opus est Confessario, ut recte suo munere fungi possit: Unde, si scientia requisita non instructus exercet munus Confessarii, graviter peccat. Ratio: Quia, si Medicus imperitus peccat, committens se corporum curationi, & Judex imperitus decisioni causarum, quanto magis spiritualis Judex, ac Medicus animarum? Igitur discernere posse debet Confessarius inter peccatum, & non peccatum, inter mortale, & veniale, saltem in genere; nam in particulari exercitatissimus quisque hæsitabit. Item cognoscere debet, quæ spectant ad Sacramenti Pœnitentiæ essentiam, Confessionis integritatem, sigillum, &c. quibus criminibus annexa sit Excommunicatio, quæ peccata superioribus Prælatis reservata, quæ restitutionem exigentia; si Clericorum Confessiones audiendæ sint, quibus casibus incurratur Suspensio, vel Irregularitas.

NB. 1. Ea, quæ enumeravi, non est necesse Confessarium sigillatim, & exacte cognoscere, sed satis est, in difficilioribus dubitare posse, sibi non nimis fidere, & doctiores consulere. Habenda est etiam ratio loci, ubi Confessiones audiendæ sunt: Minor enim scientia requiritur in eo, qui in pago Confessiones audit, quam qui in urbe, V. C. maritima, in qua varii contractus, & negotiationes sunt.

NB. 2. Qui vero de sufficientia sua dubitat, debet acquiescere arbitrio viri docti, imo subditus judicio Superioris sui.

NB. 3. Curatis Confessariis, sive animarum Pastoribus magna obligatio incumbit, ut scientia, & bonæ vitæ exemplo commissam sibi plebem spiritualiter pascant, & petire non sinant.

2 Sacerdos curatus debet subditorum Confessiones excipere, quotiescunque ii justam confitendi causam habent, & opportuno tempore, ac loco petunt contra Medinam, Sylvestrum, Armillam, existimantes, Parochum duntaxat obligari ad audiendos subditos, quando illi ex præcepto confiteri tenentur. Sed probatur Assertio: Quia Parochus ratione pastoralis officii debet subditis suis providere, & nequaquam subtrahere ea, quæ ad spirituale ipsorum commodum, & profectum spectant; sed ex frequenti Confessione, ac Communione magnum spirituale commodum, salutisque suæ remedium consequuntur subditi: Igitur tenetur Parochus ministrare.

3 Si Sacerdos curatus præsumere possit, subditum justam causam habere confitendi alteri Sacerdoti, debet illi petenti licentiam dare. Est communis doctrina; Sin autem Curatus licentiam, quamvis male, neget; non videtur valida Confessio alteri facta. Prob. primo: Quia in Ecclesia receptum est, unicum esse ca-

sum periculi mortis; In quo alteri Sacerdoti confiteri liceat, si proprius non adsit, vel haberi non possit. Secuodo: Cum id ipsum, ut fideles omnes proprio Sacerdoti confiteantur, ob commune Ecclesiæ commodum, ac convenientem gubernationem institutum sit, non debet ob privatum commodum privata Doctorum interpretatione limitari, ac restringi, præsertim, quod multi hac ratione confitendi impedimentum falso prætendentes Pastoris sui jurisdictioni se subtrahere possent.

4 Tempore pestis grassantis Confessarius cautionem aliquam adhibere debes, ut ipse non inficiatur, & occumbas, sed pluribus prodesse possit, Unde infirmi obligati sunt, si commode fieri possit, us cubiculo, vel domo egrediantus ad fenestram, Parocho foris stante. Proderit etiam, si tempore pestis fideles pro Concione admoneantur, ut, qui sani sunt, ad Sacram Confessionem mature veniant, in Ecclesia audiendi.

NB. 1. Tempore pestis grassantis, item ante conflictum con hoste, satis est, interdum (ob periculum in mora) noum, vel alterum peccatum singulorum pœnitentium audite, vel etiam coram aliis explicatum intellexisse, ut Absolutio conferri possit: Quia, sicut pœnitens secundum omnes Doctores excusatur, quo minus integram peccatorum Confessionem facere teneatur, si ex ea mortis periculum sibi immineat; ita etiam excusari videtur Confessarius, quo minus integram Confessionem audire teneatur, ex qua sibi mortem probabiliter timet.

NB. 2. Peste infectus, & cum aliis in Xenodochio lecto affixus, potest peccata sua aliis audientibus confiteri, etiam scandalosa cum infamia, si occulte ea confiteri non posse propter periculum inficiendi Confessarium, & Confessarius abhorreat. Probatur ex eo: Quia in mortis articulo constitutus, si aliter non possit, ex lege charitatis erga se ipsum obligatur, secundum probabilem Doctorum Sententiam, ad confitendum coram aliis, saltem ea peccata, quæ neque cum scandalo, neque cum gravi sua infamia, vel simili detrimento juncta sunt; atqui in hoc casu pœnitens, moraliter rem æstimando, aliter confiteri non potest, quando, si aliter, videlicet in secreto, confiteatur, mortem allaturus sis Confessario audienti. Confirmatur: Quia ordo charitatis exigis, ut pœnitens minus detrimentum famæ suæ posthabeat majori detrimento, seu jacturæ vitæ, quam Confessarius passurus est, præsertim si alii post mortem Confessarii spirituali Pastore destituerentur. Communiter tamen Sacerdos tum fiducia in Deum, tum præservantibus pharmacis munitus, accedat ad singulos, ut eorum Confessiones, saltem recensitis aliquibus peccatis, ut supra dictum est, excipiat.

NB. 3. In casu necessitatis, si plures communi naufragio, peste, vel ex conflictu1allati mox animam exhalare existimentur, potest, imo etiam debet omnes simul absolvere formula plurali: *Ego vos absolvo a peccatis vestris*; dummodo, qui ita absolvuntur, Confessionem præmiserint peccatorum, saltem generalem, si in tali casu speciatim peccata explicare non possint. Idque ex communi doctrina.

5 Confessarius pœnitentem ignorantia crassa, & mortaliter culpabili (alicujus rei scitu necessariæ) laborantem monere debet. Ratio: Quia pœnitens, a Confessario monitus, vel retractabit suum peccatum, ut Absolutionem mereatur, vel, etsi non retractes, eam tamen intelliges, cur Confessarius Absolutionem neget, eoque malo perculsus, & conscientiæ stimulis actus, postea fortasse se corriges. Quod si pœnitens laboret ignorantia invincibili, aut saltem mortaliter non culpabili, & ex admonitione fructus non speretur, dissimulare debet. Nam ratio mediorum a fine desumitur; finis autem correptionis, ejus præsertim, quam Confessarius adhibet, est bonum correpti: Ergo, eo cessante, omitti debet. Nam *frustra niti, & nil aliud, quam laboranda odium quærere, extremæ dementiæ est*, inquis ille. V. C. Si matrimonium ob latens impedimentum invalidum fit: Si maritus ob castitatis votum, ante nuptias editum, vel ob incestum post nuptias cum conjugis consanguinea commissum, facultate petendi debiti privatos fit: Si pœnitens per ignorantiam aliena bona possideas. Quod si tamen Confessarius intelligat, pœnitentem in ejusmodi casibus laborare quidem ignorantia invincibili, sed detecta veritate majus commodum, quam incommodum proventurum esse, debet errantem instruere, præcipiente charitatis lege, vel etiam justitia, si ex pastorali obligatione Confessiones excipiat: Cum enim ejusmodi error per se malum quoddam sit, & plerumque alia incommoda secum trahat, ideo eo liberari pœnitens debet, si facile possit. Quamobrem prudentem Confessarium multa considerare oportet; hinc quidem, qualis, & quantus error sit, in quo pœnitens versatur, facti, an juris? naturalis, divini, an humani? utrum conjunctus cum irreverentia Sacramenti, saltem materiali, veluti si matrimonium invalide contrahendum sit? an cum periculo proprii damni, si V. C. defectus matrimonii, vel obligatio debiti conjugalis non petendi postea cognoscatur, vel ignorantia nunc quidem inculpata, postea culpabilis fiat, cum remedium non ita præsto futurum sit? an denique de detrimento tertiæ personæ agatur; ut si res aliena restituenda sit? Illinc vero considerare debet, quantum, & quam diuturnum incommodum ex monitione timeatur: Fieri enim quandoque solet, ut pœnitens initio conturbatus animo salutarem admonitionem respuat, postea vero, mente sedata, eandem cum fructu recipiat, ac pareat. Contra vero accidit interdum, ut, licet pœnitens consilio, vel præcepto Confessarii pariturus sit, V. C. dispensationem super matrimonio invalido contracto petiturus, tamen alia gravia incommoda timeantur; qualia sunt pœnitentis, vel putatitii conjugis incontinentia, parentum, vel liberorum infamia, familiæ querimoniæ, ac lites; Tali casu Confessarius interdum dissimulare debet.

6 Impedimentum dirimens occultum plerumque significandum est sponso in Confessione, si nuptiæ nondum celebratæ sint, modo fructus aliquis speretur, & secuturus sit, idque partim ob reverentiam Sacramenti, ne invalide suscipiatur, partim ob multa incommoda, quæ ex tali conjugio sequi solent. Imo, licet agatur de impedimento matrimonii contracti, vel obligatione debiti non petendi, si tamen Confessarius ipsemet dispensare, atque ita facile remedium adhibere possit, plerumque dissimulare non debet: Quia, etsi nunc invincibilis ignorantia adsit, ea tamen successu temporis removeri potest.

NB. Quotiescunque pœnitens dubitans de matrimonii valore, jure exigendi debiti, &c. ex Confessario quærit, necesse est veritatem palam edicere. Cum enim pœnitens orto ejusmodi dubio teneatur veritatem inquirere, & peritos, præsertim animæ suæ Pastores consulere, his autem consultis, si *veritatem* deprehendere nequeat, dubium *practice* deponere, & bona fide progredi posse, consequens est, quod Confessarius consultus, & veritatem dissimulans pœnitentem in errore confirmet; quod nefas est.

7 Si Confessarius consideratis circumstantiis arbitretur, pœnitentem integre confiteri, non debet eum interrogationibus fatigare (officium enim per se Confessarii non est interrogare, sed audire confitentem): Nam forum criminale procedit per vim coactivam; pœnitentiarium autem per spontaneam voluntatem confitentis. Quod si vero putet Confessarius, pœnitentem non integre confiteri, aut de eo dubitet, prudenter, & caute interrogationes formare oportet. Cautissimum vero Confessarium esse oportet in formandis interrogationibus circa peccata carnis, ut ad particulares modos, seu circumstantias non descendat, ne vel multa interrogando doceat pœnitentem peccata, quæ ante ignorabat, aut eidem, aut sibi ipsi causa existas turpis tentationis, vel saltem scandali occasionem præbeat pœnitenti, ut suspicetur, Confessarium harum rerum curiosa investigatione oblectari.

8 Confessarius pœnitentem, dum peccata sua recenset, facile interpellare non debet. Interdum tamen de numero, de consuetodine, aut alia circumstantia necessaria interrogationem interponere licet: Et hæc ideo, ne peccata, quæ vix præ verecundia pœnitens expressis semel, debeat postea repetere, de numero, aut circumstantia denuo interrogatus.

9 Confessarius nunquam absolvere potest eum, quem putat, dispositum non esse, aut non integre esse confessum, sed interdum dimittere debet, ut melius se præparet: Nam dolor ex motivo supernaturali, & integra Confessio secundum numerum, & speciem, quatenus moraliter fieri potest, ad substantiam Sacramenti pertinent, ideo, nisi pœnitens hæc duo habeat, Absolutionis capax non est, adeoque Confessarius sacrilegium committit, si talem ita indispositum absolvat. Plerumque tamen expedit, in ipsa Confessione interrogationibus, & admonitionibus hominem juvare, ac dispositum reddere; nam ad rationem judicii spectat, ut causa integre cognoscatur, antequam Judex sententiam ferat; Sacramentum autem Pœnitentiæ habet

se per

se per modum judicii ; sicut dicit Tridentinum : Ergo , si pœnitens propter imperitiam &c. non integre causam proponat , ad officium Confessarii , tanquam Judicis , per se , & ordinarie pertinet , defectum ejus supplere , ut Sacramentum rite , ac debito modo perficiatur. Id tamen intellige pro capacitate confitentis.

Regulæ in praxi observandæ .

I. Non putet Sacerdos se vere esse bonum Confessarium eo quod facillime pœnitentes absolvat, cum id oriri possit vel ab ipsius ignorantia, vel ambitione, vel avaritia : „ Illi, *ait Cardinalis Bellarminus conc.* 8. §. 2. & 3. se Ministros , & Dispensatores non agnoscunt , qui quasi non essent Domino rationem reddituri , summa facilitate omnibus manus imponunt , & tam contritos , quam non contritos , quasi propria potestate absolvunt , Isti sua imperitia , & superbia corrumpunt populos, & eis veræ pœnitentiæ viam præcludunt: *NEC ENIM ESSET HODIE TANTA FACILITAS PECCANDI, SI NON ESSET TANTA FACILITAS ABSOLVENDI* . Sed væ Vobis cum Dominus rationem ponet cum servis suis. Illi ambitione, vel pecuniarum cupiditate, vel utraque stimulante, viris divitibus, & nobilibus, nec solum viris , sed etiam fœminis (quod nefas est, & horrendum) turpiter adulantur . Pudet profecto hæc referre , sed quid agemus , cum multos non pudeat ista facere, & seipsos, & eos, quibus serviunt, in Gehennam perducere! “ Recensebo modo particularia Personarum genere, quibus absolutio deneganda est, vel differenda .

Ultra eos, quos prudenter credere non est vere dolere de suis peccatis , deneganda , vel differenda est absolutio iis , qui sequuntur. Ignorantibus non solum mysteria Fidei, quæ scire debent necessitate medii , sed & quæ scire debent necessitate præcepti , si negligentes sint in iis addiscendis . Ignorantibus ea , quæ scire debent pro conditione sui status , qualiter se habent indocti Confessarii , Judices , Advocati , Medici &c. Habentes inimicitias, qui tenentur restituere vel famam, vel res alienas , & qui amoribus implicantur , juxta monita Sancti Francisci Xaverii *lib.* 5. *ep.* 9. , ordinarie loquendo , non sunt absolvendi , nisi prius adimpleant , quæ facere debent ; nam post absolutionem multoties promissis non satisfaciunt , Multo magis id faciendum est, si alias promiserunt , & non adimpleverunt . Idem dicas respectu eorum , qui exercent professionem , vel artem , quam diu experti sunt ab ipsis gravi Dei offensa non exerceri ; ut facile evenire potest respectu Militum , Mercatorum , Advocatorum , Procuratorum , Chirurgorum &c. Isti , juxta monita S. Caroli *in Inst. Confess.* , ex consilio pii , & docti Confessarii vel relinquere debent periculosum exercitium , vel illud non exercere absque ipsius licentia , remedia, quæ præscribet , adhibendo. Mariti, vel Uxores respective, si separatim vivant absque mutuo consensu , vel authoritate Judicis competentis , non sunt absolvendi , si simul non habitent . Non sunt absolvendi Parentes, qui non præstant , quæ necesse est , ut filii addiscant Doctrinam Christianam, vel ut sancte educentur ; seu etiam necessaria alimenta familiæ non suppeditant . Qui solent se inebriare : qui operibus servilibus dies festos prophanare ; qui pecuniam dare ad usuras : qui ex justa causa ab aliis Confessariis dimissi sunt sine absolutione, si aliud non suadeat emendatio , sine absolutione pariter dimittantur . Non sine scandalo absolverentur publici peccatores , qui publicum scandalum dederunt, nisi prius *cum emendatione vitæ malefacta publica benefactis resarciant* , ait S. Carolus *in Instruct. Confess.* Arceantur item a Sacramento Pœnitentiæ, nisi prius emendentur , præbentes aliis occasiones peccandi, quales sunt tenentes forum aleatorium, in quo multæ impietates , blasphemiæ &c. committuntur ; excudentes , aut vendentes libros, vel scripta contra Fidem , aut bonos mores : facientes, aut vendentes Imagines , & picturas lascivas , vel eas in propria domo expositas retinentes, mulieres ære alieno nimia gravantes maritos, ne ullo ornatu careant : mulieres incedentes pectore indecenter detecto. Versantes in proxima peccandi occasione : Cicisbeji , & Cicisbejæ. Juvenes, & puellæ , quæ amoribus implicantur : Sponsi , Sponsæque solitarie , vel nimis familiariter degentes. Demum deneganda est absolutio quibuscumque Confessariis vel ex ignorantia , vel alia ex causa non denegantibus , vel non differentibus absolutionem quando id præstare deberent .

II. Non tam facile credere debet Confessarius verum adesse dolorem , ac sincerum adesse propositum in Consuetudinario . Prava voluntas ex longa contracta consuetudine non facile deponitur, ut de seipso testatur S. Augustinus *l.* 8. *Confess. cap.* 7. Anteactæ etiam confessiones sine ulla emendatione , in quibus Consuetudinarius etiam protestatus fuerat suorum peccatorum sincere pœnitere , dant prudens fundamentum de sufficienti suspicandi dispositione ; ex Sacramentis etenim rite peractis aliqua videtur consurgere debere emendatio. Addendum, repentinas magni peccatoris conversiones esse contra cursum ordinarium Providentiæ, ut notat S. *Thom.* 1. 2. *q.* 113. *art.* 10., adeoque, ordinarie loquendo , bene dicitur dimittendum esse Consuetudinarium , ut melius ad obtinendum auxilium efficax se disponat . Item , etsi putet vere dolere , videat Confessarius , an adhuc conveniens sit differre absolutionem , ut ex dilatæ absolutionis memoria magis deinceps cautus sit in cavendo a relapsu : *Confessarios monitos volumus , ut donec emendationem perspexerint , absolutionem iis pœnitentibus procrastinent , quos verosimile est ad peccata iterum lapsuros , quantumvis polliceantur , ac spondeant ea se dimissuros* , ait S. Carolus .

III. Aliquando indocti Confessarii impertiuntur absolutionem versantibus in occasione proxima peccati , aut Consuetudinariis , quia timent illis infamiam imminere , si non accedant ad Eucharistiam . At unusquisque vel mediocriter sciens agnoscit hos Confessarios pessime operari , cum nunquam liceat absolvere , quem prudenter credere est non esse sufficienter dispositum; nam tunc deest materia proxima Sacramenti . Potius ergo sinant hos consulere per actum contritionis , si sint in necessitate Eucharistiam percipiendi . Neque dicendum esse capaces absolutionis , si supponatur posse verum actum contritionis elicere ; nam ad concedendam absolutionem non satis est credere , absolute loquendo , posse actum contritionis elicere , sed ulterius debet Confessarius posse judicare hic & nunc externa signa doloris verum , internum , ac supernaturalem dolorem indicare . Id autem ex dictis difficile est judicare de constitutis in occasione proxima voluntaria peccandi , ac ut plurimum etiam de consuetudinariis ; maxime dum accedunt ad confessionem ex timore infamiæ , &c. alias de ea non curaturi .

IV. Non raro Pœnitentes , dum sibi denegari audiunt absolutionem , Confessario mortis periculum exponunt , adeoque ægre ferre sine absolutione dimitti. At hæc nullatenus movere debent Confessarium, quoties prudenter judicet vel negandam, vel differendam absolutionem . Consideret igitur tunc solum mortis timorem anteponere , quando a tali timore non exterriti , fortasse jam a pluribus annis in gravia peccata prolabi consueverunt . Repræsentet deinde absolutionem nil forte ipsis profuturam propter ipsorum indispositionem , seque suo muneri graviter defuturum concedendo absolutionem, vel dum credit indispositos vel dum æstimat differendam ad emendationem obtinendam . Suadeat exercitium actuum contritionis, fidendo Deum non permissurum in peccato mortali decessuros , quoties humiliter sibi negari , vel differri absolutionem patiantur ; ac interim magis curent se disponere ad eam assequendam .

CAPUT XIV.

De Sigillo Confessionis .

1 Sigillum Confessionis est obligatio strictissima (sub pœna depositionis, & detrusionis in arctissimum Monasterium ; quippe cum *interdum revelatorem degradatum , & sæculari potestati traditum legamus* , ait Henriquez) in omni casu obligans ad secreta (etiam post mortem confitentis) tenenda ea , quæ dicta sunt in ordine ad Sacramentalem Absolutionem , etiamsi Absolutio non secuta sit .

2 Ratio petitur ex perpetua traditione , & praxi Ecclesiæ , quæ ostendit , divinum a Christo præceptum traditum esse , quod in nullo casu unquam Sacramentalem Confessionem revelare liceat , valde quidem convenienter naturæ , & institutioni hujus Sacramenti , ne, quod in salutem fidelium institutum est , eisdem noxium , atque exosum fiat ; cum , si ob graviorem causam confitentem prodere concessum esset, facile talis licentia ad alios casus inconcessos extenderetur , non sine gravi Sacramenti irreverentia , & humanæ salutis jactura .

NB. Si quis Confessario extra Confessionem Sacramentalem dicat : *Hoc tibi secretum committo tanquam sub sigillo Confessionis* ; & Confessarius ita acceptet , orietur hinc obligatio tantum naturalis secreti , non item sigilli Sacramentalis : Quare ob gravius malum Reipublicæ, vel proximi innocentis avertendum quandoque denuntiari poterit .

3 Confessarius non obstante Confessione potest ea notitia uti , quam aliunde accepit , dummodo una alteram non adjuvet , & scandalum cesset . V. C. Si Sacerdos ob indicia constituerat Cajum de furto accusare , & postea Cajus furtum confiteatur , accusationem postea Confessarius nihilominus prosequi potest sine violatione sigilli , modo non utatur cognitione Confessionis , sed tantum indiciis ante , vel post Confessionem acceptis ; quamvis propter scandalum vitandum præstet talem ablegare , ut alteri Sacerdoti confiteatur . Item Parochus publicum concubinarium , usurarium , quem non absolutum a Confessione dimisit , postea publice a Communione repellere potest , addita monitione , ut prius peccati statum deserat .

4 Sub sigillum Confessionis non tantum cadunt peccata confitentis , sed etiam complicis ; item circumstantiæ peccatorum , quas taceri pœnitentis interest , V. C. si quis dicat , se spurium esse ; nam alioquin non minus exosa redderetur Sacramentalis Confessio , quam si peccata ipsa manifestare licitum esset . Porro , quæ nullo modo ad Confessionem spectant , V.C. quod quis velit contrahere matrimonium , sub sigillum Confessionis non cadunt , sed sæpe sub obligationem naturalis secreti .

5 Sub sigillum non tantum cadunt peccata omnia præterita , sed etiam propositum abstinendi in futurum .

6 Sigillum Confessionis violat Confessarius , si generatim dicat , Titium confessum esse peccatum mortale , casum reservatum , aut si peccatum veniale in specie revelet : Secus , si in genere dicat , Titium sibi confessum esse venialia tantum , vel bene confessum absolvisse .

NB. 1. Indirecte violat secretum , qui dicit : *Titius minutissimis peccatis suis sæpe mihi molestus est* ; significare enim videtur , illum scrupulosum esse .

NB. 2. Parochus audita Confessione subditi , habentis casum reservatum , dans litteras ad Vicarium Episcopi , in quibus expresse insinuat , nunc habere casum reservatum , violat secretum , si sine consensu pœnitentis talia scribat ,

7 Con-

7 Confessio non tantum expresse, sed etiam tacite revelari non potest. V. C. Si Confessarius duorum fratrum Confessiones excipere soleat, & unum eorum commendet, quod exigua, seu vix ulla peccata ad Confessionem adferat, periculum violandi sigilli incurrere potest ob tacitam, seu indirectam reprehensionem alterius.

8 Confitentibus, tametsi ob indispositionem absoluti non sint, Confessarius testimonium dare debet factæ Confessionis. Nam Confessarius violat sigillum Confessionis, si directe, vel indirecte significet, se pœnitentem suum ob indispositionem non absolvisse: Hoc autem Confessarius indirecte significat, si aliis confitentibus det schedulam testimonii, & huic soli neget propter indispositionem. Confirmatur ex eo, quod tali homini publice petenti S. Eucharistiam perinde ac aliis danda est ad infamiam ejus vitandam: Ergo ob eandem causam perinde ac aliis schedula testimonii dari debet. Neque tunc Confessarius mentitur, quia solum testatur, quod sit ipsi confessus, licet non fuerit absolutus. Neque cooperatur peccato ex eo, quod det ipsi schedulam; nam per hoc satisfacit officio suo, & alterius culpa est.

NB. Si qui simulate confiteantur, ut hæretici, solum ad vitandam infamiam, talibus neganda est schedula a Confessario, ne eorum perniciosæ simulationi cooperetur.

9 Confessarius de peccatis, ex Sacramentali Confessione acceptis, neque cum iis loqui potest, qui ea ante cognita habent; siquidem & hoc ingratum esse potest confitentibus, eosque a Confessione absterrere. Neque cum ipso pœnitente; cum ea res pudorem injicere, & exprobrationem continere soleat: Quamquam, si pœnitens prius loquatur, tunc eo ipso ipsi Confessario manifesto licentiam tribuit.

10 Expedit, ut Confessarius nunquam (etiam generatim, ac nulla persona nominata) loquatur de peccatis cognitis in Confessione: V.C. *In hac civitate committuntur gravia peccata*. Nam ejusmodi revelatione homines simplices offenduntur, putantes, sigillum violari; imo revera interdum violatur, tum quia Communitas infamatur, quæ infamia etiam in pœnitentes tanquam membra redundat; tum quia audientes, si de aliquo in particulari sinistram opinionem habuerunt, magis in ea confirmabuntur.

NB. Violator sigilli est, qui dicit: *Primus confitens, quem audivi, fuit adulter*. Quid enim, si alio tempore prioris sui dicti oblitus dicat, Titium ante alios omnes sibi confessum esse? Simile est, si Confessarius dicat: *Hodie mihi Sacerdos grave peccatum confessus est*. Quid enim, si hoc audiens probe norit, tantum tres Sacerdotes ipsi confessos fuisse, duos vero esse innocentissimæ vitæ? nonne violentam de tertio suspicionem concepturus est?

11 Confessarius interdum generatim monere potest, ut caveatur, vigiletur, sed maxima adhibita cautione, ut possibile non sit, pœnitentem in suspicionem venire.

12 Confessarius interrogatus jurare etiam potest, se nihil scire de peccato, intellige, ut privatum hominem, cui edicere liceat, imo objurgare, si necesse sit, interrogantem, quod illum interroget.

13 Si Confessarius proprium peccatum confiteri non possit nisi violando sigillum Confessionis, debet illud reticere. Ratio: Quia præceptum sigilli servandi strictius, & omni casu obligat; non item præceptum affirmativum confitendi omnia mortalia. Nam integritas formalis, ac perfecta peccatorum enarrandorum non est de essentia Sacramenti, sed est tantum præcepti positivi, quod cum magna difficultate non obligat.

14 Unicus est casus, quo obligatio sigilli Sacramentalis cessat, si pœnitens Confessario licentiam dedit loquendi de peccatis suis. Ratio est: Quia obligatio sigilli, ex Christi institutione profecta, partim nititur naturalis secreti ratione, partim reverentia Sacramenti, ne id fidelibus exosum reddatur. Utraque vero ratio cessat, si pœnitens Confessario loquendi licentiam det; tunc enim neque injuria ipsi infertur: Nam sicut promissio ex voluntate promissarii, & depositum ex voluntate deponentis; ita & secretum ex voluntate committentis dependet. Neque infertur irreverentia Sacramento; siquidem id fidelibus nequaquam exosum, sed potius commendabile redditur, si sciant, Confessario concessum esse loqui de peccatis in Confessione auditis, unico illo casu, si pœnitens, existimans, sibi id utile fore, licentiam tribuat. Oportet tamen licentiam hanc esse omnino voluntariam, & nullo modo præsumptam; nam si præsumpta voluntas sufficeret, redderetur non minus odiosum Sacramentum Pœnitentiæ.

15 Si error in foro Pœnitentiæ commissus fuerit a Confessario, qui postea corrigendus est, debet pœnitens postea licentiam dare de peccato loquendi: Sin dare nolit, nihilominus Confessarius errorem corrigere poterit, quia tunc proprie non loquitur extra Confessionem, sed supplet, & perficit eam, quæ ante inchoata, & imperfecta manserat.

16 Si pœnitens licentiam loquendi de peccatis suis intra Confessionem dederit, revocare deinde potest, eo quod notitia illa semper maneat Sacramentalis, ideoque ejus conditionis, ut Confessario nunquam illa uti liceat, nisi confitens velit. Quod si pœnitens extra Confessionem licentiam dedit, tunc, quia desinit esse notitia Sacramentalis, perinde se habet, ac si secreti alterius revelandi facultas concedatur.

17 Præter Confessarium, ad quem sigillum Confessionis principaliter spectat, etiam aliæ personæ obligantur, ad quas Sacramentalis Confessio immediate, vel mediate pervenit, V. C. astantes, interpres confitentis, etiam ii, quibus Confessarius malitiose peccatum manifestavit. Ratio: Quia res in ordine, sive intentione ad Sacramentalem Absolutionem manifestata, ex Christi institutione, ac præcepto, usu, & traditione Ecclesiæ confirmato, hoc onus, seu obligationem annexam habet, ut a nemine, ad quemcunque ejus notitia pervenerit, sine gravi sacrilegio, & irreverentia Sacramenti revelari possit. Et sicut pacto, & conventione hominum efficitur, ut, quicunque pignoris possessionem consequitur, ratione ejus obligationem contrahat; ita etiam Christi præcepto per Ecclesiæ traditionem, & communem fidelium persuasionem confirmato effectum est, ut, quicunque Confessionis Sacramentalis notitiam consecutus est, ratione ejus ad reticendum obligatus existat.

18 Si Confessarius cum licentia pœnitentis peccatum alteri manifestavit, non videtur iste obligatus Sacramentali sigillo, nisi talis manifestatio facta sit ex causa pertinente ad Sacramentalem Absolutionem, V. C. consulto Superiore doctiore ad intelligendum casum propositum in Confessione.

19 Qui scriptam Confessionem reperit, non videtur Sacramenti sigillo astrictus, quo minus in casu gravissimæ necessitatis revelari possit, eo quod talis scriptura non sit Confessio Sacramentalis, sed tantum remote, & per accidens ordinetur ad Sacramentum Confessionis. Arctissimo tamen secreto naturali repertor obligatur, ut mortale sacrilegii committat, si gravia peccata consulto legat, & aliis manifestet, sed nec Judex ex notitia ad criminis inquisitionem procedere potest, vel si processus institutus jam fuit, rescindi eum, & pro infecto haberi oportet: Quia, licet ejusmodi scriptura non sit Confessio Sacramentalis, est tamen via ad eam, ceditque in irreverentiam Sacramenti, si occasione illius, quod in salutem animæ a Christo institutum fuit, aliquis detrimentum famæ patiatur. Legens levia, & evulgans peccat venialiter, non violans sigillum, sed tantum naturale secretum.

NB. In casu gravissimæ Reipublicæ necessitatis potest revelari hujusmodi scriptura, quatenus præcise necessarium est ad impediendum majus malum, cui spectato Jure naturæ minor jactura hominis, talem schedulam scribentis, posthaberi potest. Excipe: Nisi Confessio in scripto Sacerdoti data ab eodem postea amissa esset: Nam talis manifestatio facta Sacerdoti per scripturam in ordine ad Sacramentalem Absolutionem accipiendam vere Sacramentalis est, ideoque sub sigillum cadit, ut ea nullo casu a quocunque homine sine licentia peccatoris revelari possit.

20 Pœnitens non obligatur sacro sigillo Confessionis; sed interdum lege naturalis secreti, ne aliquid ex Confessione revelet, quo vel se ipsum sine justa causa infamet, vel Confessarii bonæ existimationi detrahat.

21 Etsi nunquam liceat alteri significare peccatum ex sola Confessione cognitum; accidere tamen potest, ut liceat facto aliquo significare iis, qui peccatum ante cognitum habent, ejus Confessionem factam esse. V. C. Si plures conspirarunt in necem Confessarii, & Titius illud propositum confiteatur, potest talis Sacerdos postea fugere, tametsi certus sit, socios conspirationis exinde in suspicionem, vel cognitionem venturos, quod Titius peccatum istud suum confessus fuerit: Nam fuga sua Sacerdos solum exhibet signum, quod nullo modo, spectatis omnibus circumstantiis, aptum est ad manifestandum peccatum secundum se, sed solum ad peccati Confessionem manifestandam iis, qui peccatum secundum se ante cognitum habuerunt. Sic etiam V. C. si Confessarius hominem ob publica latrocinia morte damnatum apud alios commendet, quod bene de peccatis suis confessus fuerit, nullo modo violat sigillum; quia non exhibet signum, quo cognosci possit, hunc hominem commisisse latrocinia,

cinia,

cinia, sed solum, ut ii, qui latrocinia ejus ante cognita habent, exinde colligant, quod illa confessus fuerit. Imo, etiamsi ex fuga Sacerdotis in superiori exemplo confitenti periculum immineret, ne a sociis occidatur, tamen Sacerdos potest fugere; cum id agendo sigillum non violet: Quapropter Jus naturale ipsi permittit, ut vitam propriam alienæ anteponat. Sed quia hic casus rarissimus, & speculativus potius, quam moralis censeri debet, ideo non est timendum, quod Confessio inde odiosa reddatur (a).

„ (a) In Congregatione Inquisitionis Romanæ habita die 18. Nov. 1682. hæc sententia damnata in „ praxi est: *Scientia ex confessione acquisita uti licet, „ modo fiat sine directa, vel indirecta revelatione, & „ gravamine pœnitentis, nisi aliud multo majus ex non „ usu sequatur, in cujus comparatione prius merito „ contemnatur*. Cujus sententiæ patroni dein limita„ tionem adjecerunt, exponentes intelligere se de usu „ scientiæ ex confessione acquisitæ cum gravamine „ pœnitentis, seclusa quacumque revelatione, atque in „ casu, quo molto majus gravamen ejusdem pœniten„ tis ex non uso sequeretur. An hæc stare potuerint „ cum casu, de quo hic Layman, viderint docti, „ mihi certe ex damnatione hujus sententiæ damnata „ etiam casus hujusce a Laymano propositi resolutio „ videtur.

22 Confessarius notitia, quam ex sola Confessione hausit, uti non potest externa gubernatione, administratione Sacramentorum &c. V.C. Parochus Sacramenta Eucharistiæ, extremæ Unctionis, matrimonii assistentiam, occultata causa, denegare iis non potest, quorum impedimentum ex sola Confessione Sacramentali cognitum habet. Prob. Quia sigillum Confessionis, si secundum omnem suam latitudinem accipiatur, obligat Sacerdotem non tantum in ordine ad alios, sed etiam in ordine ad ipsum confitentem, ne ei peccatum ex sola ipsius Confessione cognitum objiciatur, exprobretur, aut in memoriam revocetur. Talis autem exprobratio re ipsa accidit, si Sacerdos confitenti suo propter auditam ejus Confessionem Sacramentum Eucharistiæ, Ordinis, &c. deneget, vel eum ab officio removeat: Plerumque enim vel certa, vel probabili suspicione deprehendet, id fieri propter peccata, quæ confessus fuerat, ideoque Sacramentum Confessionis eidem grave, & damnosum fiet.

23 Deinde probatur: Quia forum Sacramentalis Pœnitentiæ omnino segregatum est a foro externo gubernationis, & jurisdictionis. Unde non oportet notitiam Sacramentalem extra illud forum secretæ pœnitentiæ ad publicam gubernationem extendere.

24 Si complex peccati Confessario licentiam dedit, tunc potest alterum complicem speciatim examinare. Si licentiam non accepit, tantum generatim quærere debet, utrum aliud præterea peccatum admiserit, quod animum gravet. Tunc autem etiam speciatim interrogare per notitiam illam Sacramentalem non impeditur, si tale peccatum sit, de quo alias ejusdem conditionis personas interrogare solet.

25 Si Confessarius non ex Confessione complicis, sed extra Confessionem ex aliorum fideli relatione peccatum pœnitentis cognovit, plerumque speciatim examinare potest, imo etiam debet; negantem tamen absolvere cogitur, cum cogitare debeat, vel alteri confessum esse, vel ob periculum jam confiteri non posse, aut eos, qui retulerunt, mentitos fuisse: Siquidem *in Pœnitentiæ foro credendum est confitenti, sicuti contra se, ita & pro se*. Quod si Confessarius criminis notitiam etiam extra Confessionem manifestam habeat, V. C. quia oculis suis vidit hominem furantem, audivit blasphemantem, adeoque omnibus circumstantiis consideratis animadvertat confitentem, qui peccatum illud negat, dispositum non esse, sed simulatorem egregium, tunc Absolutionem illi negare debet ob honorem Sacramenti.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Quædam reperiet Confessarius, quæ multi Theologi asserunt non inducere sigillum Sacramentale, quod nihilominus obligare ego affirmavi. At puto omnes debere meæ adhærere opinioni ex hac ratione reflexa: eo quod scilicet, cum sigillum Sacramentale inductum sit ad removendum odium a Sacramento, & ad alliciendos homines ad manifestanda peccata, quo rationabiliter fieri potest, est extendendum. Cum ergo quæcumque asserui inducere sigillum Confessionis, & quæcunque sub eo cadere asseram, & validis rationibus & classicorum Doctorum suffragio ita esse comprobetur, hinc est non eximenda a vinculo sigilli Sacramentalis. Hac eadem ratione evidens fit cadere sub sigillo quæ Confessarius dubitat, an sciverit notitia Sacramentali, vel alia via, sicuti quæ dubitat, an pœnitens explicaverit ex intentione confitendi, vel alio fine; nam nisi etiam ad hos, & similem casus sigillum Sacramentale extendatur, odiosum, & difficilius reddi potest Sacramentum.

II. Certum omnino est non cadere sub sigillo Sacramentali, quæ Personæ indoctæ manifestant Sacerdoti, ut dicere solent, *in Confessione*, quamvis revera sine ullo ordine ad Sacramentum; cum neque sint in Confessionario, vel si ibi sint, voluntatem non habeant Sacramentaliter confitendi. Idem dicendum de iis, quæ dicuntur quandoquidem a Pœnitentibus, maxime mulieribus, non intentione confitendi, sed potius vel redarguendi Confessarium, vel proprium animum alleviandi. At nihilominus cautus valde sit Confessarius in iis manifestandis; alias veluti sigilli transgressor traducetur. Quod si magna necessitas illum cogat uti tali notitia, ad removendum scandalum doceat hujusmodi non cadere sub sigillo confessionis, sed sub naturali secreto, quod in quibusdam casibus non solum possumus, sed & tenemur violare.

III. Quamvis tutam credam illam opinionem, quæ dicitur de licentia pœnitentis manifestari posse peccatum complicis, id tamen nullatenus faciendum est, nisi ita suadeat vel bonum ipsius pœnitentis, vel complicis, vel necessitas gravis damni avertendi. Usus istius notitiæ raro est sine scandalo, maxime apud rudes passim dicentes Confessarium notitia habita in confessione abuti. Quando igitur ex gravi causa putet Confessarius uti debere præfata licentia, opportunum judicarem, ut induceret pœnitentem ad illi manifestandum peccatum complicis peracta confessione; ita enim facile removere posset omne scandalum, dicendo tale peccatum extra confessionem scivisse, ac proinde de eo loqui.

IV. Si Pœnitens ex proprio instinctu non concedat Confessario licentiam loquendi de auditis in confessione, atque hanc licentiam ad ipsius instantiam concedat, advertere debet Confessarius, an omnino sponte concesserit, alias ea uti non potest. Ut id dignoscat, consideret, an pœnitens ægre tulerit hujusmodi licentiam expostulari; an concesserit ad repetitas Confessarii preces, & instantias; an talis conditionis sit, ut judicare debeat potius concessisse ex quadam pusillanimitate, metuque reverentiali, quam ex animo. Semper cum igitur aliquod motivum prudens suadeat non omnino libere, & spontanee concessisse, caveat omnino Confessarius ab usu talis licentiæ.

V. Dum Confessarius utitur licentia habita a pœnitente loquendi de auditis in confessione, ita caute utatur, ut solummodo quod necessarium est manifestet. Si ex. gr. monere debeat hæredes de aliquo restitutionis onere, quod habebat defunctus, illud ita manifestet, ut nullatenus ex ipsius verbis dignosci possit illud onus potius ex delicto contraxisse, quam ex alia causa.

VI. Cautus valde sit Confessarius in custodiendo confessionis sigillo, sciatque nunquam sibi molestum futurum tacuisse. Interea quædam notet pro praxi, quæ fortasse non omni, qua par est, diligentia, a Confessariis observantur. Audierunt ex. grat. pœnitentem, cujus confessionis valde ipsos tædet vel ob multitudinem peccatorum, vel ob ipsius indispositionem; unde si redire videant, vel iterum ab eo vocentur ad confessionem audiendam, se celant, aut aufugiunt, vel se excusant &c. Non nego posse celare, aut fugere, quoties a nullo videantur, nam tunc nullam suspicionem ingerunt peccatorum pœnitentis: at si videantur ab aliis se celare, & aufugere, talem ingerent suspicionem, & multo magis pœnitens id reputabit esse tacitam suorum peccatorum exprobrationem. Idem dicendum, si vocatus se excusaset, quando patens non sit justa causa se excusandi. Ordinarie igitur loquendo audire ipsius confessionem debebunt, at bene poterunt initio confessionis ipsius dispositionem examinare, & si videant nihil proficere, moneant ne amplius inutiliter eum vocent. Quod si aliquis pœnitens communiter dignoscetur esse valde prolixus, inquietus &c. in aliquo exponendo, tunc quia clare appareret Confessarium fugere, ne ab ipsius naturali prolixitate inquietudine &c. tædio afficiatur, in talibus circumstantiis fugere non esset fractio sigilli.

VII. Potest accidere Confessarium scire pravam inclinationem pœnitentis, & ex auditis in confessione, & ex iis quæ scit notitia extrasacramentali, ac interim titubare, an aliquid facere debeat in gravamen pœnitentis ex timore ita agendi ratione notitiæ Sacramentalis. Ut igitur possit operari sine hæsitatione, animadvertat, quod, si ea, quæ scivit in confessione etiam noverat ante confessionem, & nihilominus nil decreverat facere in gravamen pœnitentis, signum est moveri efficaciter ad illud faciendum ex notitia confessionis, adeoque si faciat, violat sigillum. Si vero jam decreverat facere ante confessionem, & solum expectabat tempus opportunum; vel si pariter movetur ex notitia habita post confessionem, tunc non facit contra sigillum. Caute tamen semper hujusmodi præstet, ne pœnitens, vel alii credere possint ad id moveri ex notitia habita in confessione.

VIII. Advertant Confessarii ne ex nimia curiositate aliquando peccent contra sigillum. Ita se haberent illi, qui, audito alicujus peccato, inquirerent personam complicis: ut si ex. gr. dum audierunt famulum peccasse cum famula, simul in eadem domo commorantibus, inquireret, dare occasione, quænam mulier in illa domo famuletur. Utique sigillum confessionis obligat, ne extra illam inquiratur de complice, sicut nec intra illam, si aliqua necessitas non cogat; alias etenim valde otiosa redderetur. Idem dicendum de Confessario, qui dum audisset pœnitentem se accusantem de judicio facto, quod aliqua fœmina sit venefica, meretrix &c. inquireret extra confessionem quænam posset esse ista fœmina; cum etenim talis mulier fuerit objectum peccati pœnitentis, pertinet ad ipsius peccatum, adeoque vetat sigillum, ne de ea inquiratur.

IX. Advertere etiam debet Confessarius, ne etiam intra confessionem ita utatur ipsius notitia, ut eam reddat odiosam, & difficiliorem: ut si, dum audit in confessione suam famulam inhoneste vivere, illam in eadem confessione coperet ad alium herum inquirendum. Vel si dum audiret a suo famulo falsa clave sibi pecunias ab eodem furari, adigeret in eadem confessione ad clavem tradendam &c. Quamvis igitur hæc fiant materialiter in confessione, nihilominus revera ad ipsam non pertinent; & Confessarius utitur notitia confessionis ad eam odiosam & difficiliorem reddendam. Solum exposcit confessio, ut eos sine absolutione dimittat, si videat indispositos. Idem, ut alias annui, dico de Confessariis, qui gravibus conviciis, ac modis valde asperis redarguunt pœnitentem; nam & hi utuntur notitia Confessionis ad eam difficiliorem, & odiosam reddendam. Non nego tamen posse dure increpare, quando id non faceret ex ira, sed quia necessarium putaret ad pœnitentis emendationem; ad hanc tamen conducere non solent convicia, quæ adhiberi solent ad aliquem injurandum, ut ea solo sine adhiberentur, ut pœnitens scilicet lacrymabilem animæ suæ statum, ac emendationis necessita-

ceffitatem animadverteret. Universaliter verum est esse contra sigillum confessionis etiam intra confessionem uti illius notitia cum molestia pœnitentis, quoties non fit illi necessarium, vel utile.

X. Bene etiam consideret Confessarius sola taciturnitate posse violare sigillum Confessionis. Ponamus a. g. casum, in quo valde laudetur ratione honestatis aliqua fœmina, quæ apud ipsum confessa est, atque interim, dum alii illam commendant, Confessarius obmutescat; nam facillime tunc putabunt aliquid inhonestum ab eadem in confessione audiisse, adeoque tacere. Debet ergo & ipse eam commendare si certo non cognoscat suum silentium non daturum aliquam suspicionem de ipsius peccato. E contra aliquando frangere posset sigillum commendando aliquam particularem pœnitentem, ut si de aliqua particulari pœnitente diceret eam peccata carnis non committere, ex quo possent audientes percipere non ita se habere alias mulieres, quarum excipit Confessionem. Si vero ita commendaret pœnitentem, ut solum significare vellet in ea esse singularem probitatem, hoc non esset contra sigillum, ex hoc etenim non indicaret alias pœnitentes peccare, sed non esse tam perfectas.

XI. Quamvis non franget sigillum confessionis Sacerdos qui ita loquitur de audiiis in confessione, ut non possit innotescere quis talia peccata commiserit, nihilominus Confessarius semper abstinere deberet a narrando audita in confessione. Si id bene perpendat, videbit non raro aliter faciendo, rudium scandalum oriri, quamvis pœnitens non innotescet. Addo non semel accidisse ex quibusdam combinationibus vel tunc, vel postea factis ab audientibus, innotuisse eos, quorum peccatum Confessarius narravit. Putat Fagnanus *in cap. Officii de Pœnit. & remiss.* esse contra S. Canones narrare peccata audita in confessione, quamvis nullatenus exprimatur Persona. Concludit demum, quod loqui de peccatis auditis in confessione, quamvis occultus omnino remaneat Pœnitens, *raro faciendum est a viro gravissime, rarius a viro gravi, rarissime a viro levi.*

XII. Quamvis non cadant sub sigillo defectus naturales, qui non fuerunt a pœnitente manifestati in ordine ad explicanda peccata, nihilominus suadeo Confessario numquam etiam de iis loqui, præsertim coram rudioribus, & simplicioribus, qui scandalum acciperent, audiendo non tam sancte occultari, quæ in confessione manifestantur. Caveat proinde a dicendo aliquem pœnitentem hebetem esse, scrupulosum &c.; ægerrime etenim ferunt pœnitentes hujusmodi de se effari, eo quod tales illos cognoverit Confessarius occasione Confessionis. Præterea Confessarii, qui tam faciliter conqueruntur de scrupulositate suorum pœnitentium, advertere debent, scrupulos, qui a pœnitente tamquam peccata manifestantur, vel in ordine ad declarandum peccatum, vere cadere sub sigillo; unde si alia ratione non innotescit scrupulositas pœnitentis, nullatenus est manifestanda. Quæ dixi de defectibus naturalibus applicanda sunt manifestationi virtutum &c. ipsius pœnitentis.

XIII. Non raro accidit Confessarium interrogari, an aliquem confessus fuerit; unde in responsione cautus esse debet, ne frangat sigillum. Quamvis igitur, per se loquendo, non sit violare sigillum dicere aliquem confessum esse; id tamen posset evenire, si darentur circumstantiæ, in quibus fateri aliquem confessum esse, ingereret suspicionem gravis peccati ipsius pœnitentis. Exemplum sit, dum aliquis, relicto proprio Confessario, furtive alteri confiteatur; in hoc casu, si Confessarius dicat ipsius confessionem audivisse, facillime proprius Confessarius, Parentes, herus &c. de hoc interrogantes ipsum gravi culpa inquinatum suspicabuntur. Nec interrogetus ergo, nec sponte manifestet illius confessionem audivisse. Idem dicendum, dum ratione Confessarii, quem accersivit, suspicari posset pœnitentem casibus reservatis fuisse inquinatum. Cautus pariter sit Confessarius in non manifestanda satisfactione imposita pœnitenti, quoties ex ea suspicari posset vel de gravi culpa, vel de multiplicitate venialium.

XIV. Forte Parochi Pagorum, seu Oppidorum non sufficienter cauti sunt in loquendo de iis, quæ audierunt in confessione. Dum igitur de hujusmodi loquuntur, vel concionando reprehendunt ut in tali loco perpetrata; ordinarie scandalum sequitur in audientibus, qui investigant de qua persona in parvo Oppido loquutus fuerit Parochus, seu Concionator, dum efferunt ab aliquibus ex incolis commisti usuras, quosdam ex juventute inhonesta perpetrare &c. Accedit quod si præsens sit ille, qui talia peccata confessus est, rubore suffundetur, & sibi veluti exprobari sua crimina judicabit. Quondam ego ipse audivi duos incautos Parochos asserentes in suis Pagis paucas esse, quæ virginitatem usque ad Matrimonium servarent. Ita dicendo, sacrum confessionis sigillum violari ab ipsis cognovi, imprudentissimos judicavi, itemque lacrymabili ignorantia laborare, ac ea iis esse, qui zelo non ardent animarum; nam si suo exemplo, & efficacibus exhortationibus ad dirigendas in via Domini suas oves incubuissent, majori honestate Oppidi Juventus fuisset ornata.

XV. Si Confessarius interrogetur, an aliquem absolverit, ego suaderem illi respondere: *hujusmodi interrogationes non esse faciendas Confessariis*, neque convenienti ipsis esse manifestare, quando aliquem absolverint, ne si aliquando dicere non possint aliquem absolvisse, ex hoc colligatur indispositio pœnitentis. Et quidem si Confessarius, ut multi dicunt, respondeat: *Functus sum munere meo*, facillime aliqui, maxime si rudes sint, suspicabuntur de indispositione pœnitentis. Idem judicabunt; si respondeat; *Non absolvi, quia in eo non inveni materiam absolutionis*, intelligendo peccata non esse materiam absolutionis, dum pœnitens de iis vere non doleat. Quis etenim credet non esse in pœnitente materiam absolutionis, nisi forte probatissimæ sit virtutis? Item facile audientes judicabunt de indispositione pœnitentis, si Confessarius dicat: *Non absolvi, quia nimis adhæret suæ sententiæ, quam ego illicitam puto*. Videat etiam Confessarius, quod licet ipse pœnitens dicat non fuisse absolutum, non potest id ipsum dicere Confessarius, nec etiam addendo. *Ipse dicit quod eum non absolvi*; nam ita loquendo videtur approbare veritatem denegatæ absolutionis.

CAPUT XV.

De Satisfactione.

1 Satisfactio (accepta pro injuriæ compensatione) distinguitur a restitutione, seu *damni* illati *compensatione*. Restitutio enim consistit in rebus; quia per eam res ablata vel eadem, vel in æquivalente restituitur. Satisfactio autem potius in actionibus consistit, quia per eam injuria in personam redundans contraria actione, V. C. humili petitione veniæ, honoris exhibitione, &c. compensatur.

2 Pro culpa mortali, eique correspondente pœna æterna Deo satisfacere non possumus ex condigno (quippe peccato mortali infinitam malitiam continente, & ideo merente pœnam æternam) sed tantum ex congruo, quatenus misericordissimus Deus ob Christi merita peccatoris pœnitentiam, sive animi conversionem ad culpæ mortalis destructionem acceptat, nosque in gratiam recipit, & reatum pœnæ æternæ gratis remittit.

Posset quidem Deus vere pœnitentibus universum pœnæ debitum remittere, & condonare, sicuti solet iis, qui per Baptismum renascuntur, & renovantur, vel martyrium pro ipso subeunt; verum non ita peccata per pœnitentiam semper remittit, ut universa etiam pœna condonetur, sed ita frequentius, ut temporalia aliqua pœna pro peccatis seu in hac, seu in altera vita luenda restet. Illustria sunt Sacræ Scripturæ exempla; Patrum quoque authoritas, & Ecclesiæ universæ persuasio ostendunt. Nam *& divinæ justitiæ ratio exigere videtur*, ait Tridentinum, *ut aliter ab ea in gratiam recipiantur, qui ante Baptismum per ignorantiam deliquerint; aliter vero, qui semel a peccatis, & dæmonis servitute liberati, & accepta Spiritus Sancti dono scientes templum Dei violare, & Spiritum Sanctum contristare non reformidarint. Et divinam clementiam decet, ne ita nobis absque ulla satisfactione peccata dimittantur, ne occasione accepta peccata leviora putantes, veluti injurii, & contumeliosi Spiritui Sancto, in graviora labamur.* Quemadmodum etiam in humanis, qui virum Principem gravi injuria affecit, interdum humili pœnitudine, prece, & exhibitione amoris veniam delicti impetrat, & in amicitiam recipitur, condonata illi mortis commeritæ pœna: Attamen, ut justitiæ etiam publicæ satisfiat, pœna illa mortis in aliam mitiorem temporaneam commutatur. Imo hoc ordinarium est, ut, si Princeps post latam sententiam mortis Reo gratiam se præstare dicat, solum censeatur tollere mortis pœnam, non item pecuniariam, &c. Et hæc veritas confirmatur SS. Patrum testimoniis, S. Justini exemplo Davidis, Irenæi exemplo Zachæi, Tertulliani, Cypriani, Origenis, Lactantii, Basilii, Gregorii, Ambrosii, Hieronymi, Chrysostomi, Augustini.

Quod vero hanc doctrinam Patrum pro frivola æstiment hæretici, negantes, opera bona justorum pro commissis peccatis esse satisfactoria apud Deum, & talem satisfactionem cedere in injuriam Christi, quippe qui plene pro peccatis omnium satisfecerit; igitur quantumcunque homo peccaverit, credat modo, peccata sibi remitti, vel potius non imputari propter Christum, nihil ipsi nocitura esse. Quod hæretici hanc doctrinam falsam esse spargant, id frivolum est, & erroneum. Quis enim sanæ mentis homo nuper exortis, paucis, obscuris istis homuncionibus fidem habeat, posthabitis antiquorum Patrum clarissimis testimoniis, derelicta totius Christiani orbis præjudicata sententia, de operibus justorum satisfaciendi pro peccatis vim habentibus ex Christi procul dubio meritis, & Passionis ejus influente virtute?

3 Pœna temporalis ignis purgatorii, quatenus a Deo justissimo Judice pro peccatis in altera vita infligitur, est effectus justitiæ vindicativæ: Quatenus vero per eam animæ affliguntur, non est proprie satisfactio, sed satispassio; quia animæ ibi sunt extra statum merendi, & satisfaciendi. Quamobrem non attenditur earum dispositio, patiendi voluntas, & ardentissima charitas, sed solum attenditur quantitas peccatorum nondum expiatorum, quibus secundum divinæ voluntatis dispositionem pœna commensurata infligitur. Cæterum homines justi in hac vita, sicuti bonis operibus gratiæ augmentum, & præmium æternum per Christi merita ex condigno mereri possunt, ita etiam pro pœna temporali in purgatorio luenda ex condigno satisfacere. Et hæc satisfactio reducitur ad justitiam commuta-

mutativam, quia supposita Dei promissione, & acceptatione opus bonum, quod viator in statu merendi, ac satisfaciendi existens exhibet, est aliquo modo æquivalens pœnæ in altera vita luendæ. Nam etsi labor ipse, ac difficultas operis in hac vita exhibiti longe minor sit pœna in altera vita luenda, tamen, considerato statu operantis, & libere se in hac vita subjicientis Deo, longe majorem vim habet pro peccatis satisfaciendi ex Dei gratia, & Christi meritis. Et licet opera bona justorum per se habeant virtutem satisfaciendi pro pœna temporali peccatis nostris debita, longe tamen magis, & certius satisfactoria sunt, quatenus ex Christi institutione a Sacerdote peccatori præcipiuntur in eum finem, ut per opera imposita virtute Sacramenti peccatum etiam secundum pœnæ reatum destruatur.

4 Sacerdos pœnitenti Sacramentalem pœnitentiam imponere debet partim in vindictam peccatorum, tamquam Judex, partim ad remedium animæ, tamquam Medicus. Patet ex Concilio Tridentino, Concilio Carthaginensi, Cabilonensi, Concilio Moguntino.

5 Quo loco notandum est, quod olim lapsis in grave peccatum, seu mortale frequenter a Confessario interdicebatur Sacra Communio, donec Deo per injuncta bona opera satisfecissent; ut patet ex Gennadio, S. Leone, S. Augustino.

NB. Sacerdos operam dare dabet, ut, quatenus commode fieri potest, convenientes medicinas, sive satisfactiones, spectata peccatorum qualitate, imperet, tepidis orationem, injustis eleemosynam, intemperantibus jejunium, aliamve carnis afflictionem.

6 Pœnitens obligatur ad acceptandam pœnitentiam, si justa est: Quia claves Sacerdotibus non tantum ad solvendum, sed etiam ad ligandum datæ sunt. Ratio vero peti debet ex eo, quod satisfactio sit pars integralis Sacramenti, pertinens ad plenam peccati destructionem. Et si jam Sacerdos potestatem habeat, ut vere habet, pœnitentem ligandi, seu obligandi ad opus pœnitentiæ implendum, consequens est, quod pœnitens ipsi obedire teneatur. Contrarium tamen sensit Cajetanus, & Navarrus. Sed hæc Sententia non placet Laymanno, licet probabilis sit. Nam posita institutione Sacramenti pœnitentiæ, ad ejus integritatem, ac perfectionem spectat, Deo pro peccatis commissis ex Sacerdotis imperio satisfacere; quod etiam concilia, & Ecclesiæ traditio confirmare videntur. Ad id vero in praxi inservire poterit Sententia Navarri, ut Confessarius nunquam dimittat pœnitentes sine Absolutione, si parati sint aliquam, quantumvis leviorem, quam peccata mereantur, pœnitentiam acceptare.

NB. Quod si pœnitentia confitenti nimis gravis, aut difficilis videatur, neque Confessarius eam moderari, vel mutare velit, tunc pœnitens saltem graviter non peccabit, si non accepta Absolutione abeat, & alium Confessarium quærat.

7 Obligatio implendi pœnitentiam injunctam ob mortale ex genere suo est gravis sub mortali, nisi levitas materiæ excuset, aut pars pœnitentiæ absque contemptu omittatur. Obligatio vero ad injunctam pœnitentiam ob venialia, & ob mortalia, a quibus ante etiam absolutus fuerat, non est sub mortali: Quia durum videtur fateri, tametsi culpa contracta levis sit, tamen obligationem pro ea satisfaciendi gravem effici posse, per se loquendo. Et durum videtur, obligatum esse sub mortali satisfacere pro mortalibus, pro quibus semel injuncta pœnitentia impleta est.

8 Pœnitentia rectius imponitur a Sacerdote ante Sacramentalem Absolutionem, quam postea, cum sit pars Sacramenti materialis, & ut ordo justitiæ vindicativæ melius servetur, si pœnitens satisfactionem prius spondeat, quam absolvatur.

9 Opera, quæ in pœnitentiam injunguntur, debent esse aliquo modo pœnalia, seu afflictiva: Quare plerumque convenit, esse externa, videlicet oratio vocalis, jejunium, eleemosyna &c. Talia enim opera magis satisfactoria sunt, quia magis afflictiva, quam interna. Expedit tamen interdum pœnitenti imponere piam aliquam meditationem, considerato statu illius, V. C. de morte, judicio, pœnis inferni.

10 Magis convenit, ut opera bona, quæ pœnitenti imponuntur, sint supererogationis; quamvis interdum non abs re faciet Confessarius, si homini V. C. negligenti in Missa audienda præcipiat Missæ auditionem, quæ alioquin sub præcepto est, frangenti jejunium loco pœnitentiæ etiam imponat Ecclesiæ jejunium alias mandatum. Si enim, ut aliqui solent, tali homini imperes, ut deinceps duas Missas festis diebus audiat, difficile obtemperabit, qui antea neque unam audire solebat. Denique magis convenit, opus bonum imperari, quod ab ipso pœnitente præstandum sit, videlicet, ut ipsemet oret, jejunet, eleemosynam ex propriis largiatur. Quare, si ejusmodi opus exequi non possit, liberatur ab obligatione, neque tenetur alium substituere, qui exequatur. Interdum tamen personis debilibus, vel morituris injungi potest, ut curent ab aliis pro tali V. C. necessitate orari, peregrinari; Tunc vero non opus illud, quod ab aliis perficitur, sed ipsa operis procuratio, quæ a pœnitente non sine labore, vel sumptu fit, pœnitentiæ Sacramentalis rationem habet.

11 Confessarius pœnitentiam imperaturus attendere debet tum ad peccatorum magnitudinem, tum ad statum pœnitentis. Unde, si pœnitens ex probabili allata causa de gravitate pœnitentiæ conqueratur, oportet mutare, aut moderari pœnitentiam. Caveat vero Sacerdos, ne talem pœnitentiam, V. C. gravia jejunia, &c. injungat, unde alii domestici suspicionem commissi criminis concipere possint. Nec consultum est, ut rudibus, & valde occupatis preces quotidianæ unius anni, aut mensis imponantur, sed interdum sub conditione: *Quotiescumque in hanc peccati speciem incideris, recites talem orationem*. Multum enim id momenti habet ad peccati emendationem. Doctis, & Studiosis quotidianæ preces imponi possunt.

12 Casus aliqui sunt, quibus Confessarius leviorem, quam peccata merentur, pœnitentiam imponere debet. 1. Infirma pœnitentis dispositio corporis. 2. Magnitudo contritionis. 3. Tempus Jubilæi, vel alterius indulgentiæ plenariæ; tunc enim non cogitur pœnitens nisi leviorem pœnitentiam acceptare, quæ se habeat per modum medicinæ ad tollendas peccatorum reliquias.

13 Infirmis, seu morituris plerumque alius saltem bonus motus in Deum, suspirium in Deum, invocatio Nominis Jesu, vel si id non possit, ut saltem hoc Sanctissimum Nomen mente concipiat, pœnitentiæ loco imperari potest. Deinde moneatur infirmus, ut pœnitentiæ loco ipsam infirmitatem, & mortem impendentem Deo offerat in satisfactionem peccatorum. NB. Aliis loco infirmi gravem pœnitentiam injungere continet violationem sigilli.

14 Opus injunctum in Confessione habet vim ex opere operato delendi pœnam temporalem peccatis debitam juxta Christi institutionem: Nam satisfactio virtute clavium imperata, ac veluti elevata, est pars Sacramenti Pœnitentiæ integralis, a Christo instituta, ut per eam peccatum perfecte, ac integre, videlicet quoad restantem etiam pœnam, destruatur. Ex quo tamen non sequitur, quod pœnitentia quæcunque omnem semper pœnam deleat, sed tanto majorem, quanto & ipsa major, & pœnitens eam implens melius dispositus est; sicuti etiam Sacramenta eo majorem gratiam sanctificantem conferunt, quo melius suscipiens dispositus est.

NB. 1. Plus valet modica pœnitentia a Sacerdote imposita, quam magna, quæ sponte assumitur: Quia hæc non, sicuti illa, vim Sacramentalem habet.

NB. 2. Peccatum veniale, quod aliquis in implenda pœnitentia committit, non impedit effectum satisfactionis; ut si quia injunctas preces negligenter oret. Prob. ex eo, quod suscipiens Sacramentum cum affectu peccati venialis fructus gratiæ particeps fiat, sicut dixi supra Tract. 4. C. 6. n. 1. Ergo simili ratione implens pœnitentiam cum peccato veniali particeps efficitur remissionis pœnæ; siquidem neuter fructus provenit ex virtute operantis, sed ex opere operato Sacramenti.

15 Qui opus pœnitentiæ in statu peccati mortalis implet, satisfacit quidem præcepto (eo quod substantiam operis præcepti impleat; modus autem operandi non cadere solet sub præceptum: Et licet imperetur modus a Confessario, differendo tamen pœnitentiam, cum substantiam præcepti servet, solum peccat venialiter ob violatam accidentalem ejus circumstantiam) satisfactionis tamen fructum tunc non consequitur: Quia generatim loquendo Deus non acceptat nostram satisfactionem pro pœnis temporalibus, nisi simus in gratia ejus constituti. Unde est irreverentia venialis, si quis in statu peccati mortalis pœnitentiam impleat; quia Sacramenti aliquam partem indigne suscipit, & ponit obicem consequendi effectus, quæ est remissio pœnæ: Remoto tamen postea obice peccati mortalis per novam pœnitentiam mox ex virtute Sacramenti per Christi merita sequitur remissio pœnæ temporalis, ut proinde necesse non sit, recuperato statu gratiæ, pœnitentiam repetere.

16 Pœnitentia imperata, & acceptata ob causam mutari

tari potest ab eodem Confessario; vel altero, videlicet peccata reservata non sint: Nam omnes Sacerdotes, ut Vicarii Christi, in ordine ad eas personas, & ea peccata, in quæ jurisdictionem habent, judicant, ac proinde in hac re æquales sunt. Nec est omnino improbabile, id fieri posse, tametsi peccata non repetantur, juxta Navarrum. Sylvester tamen, Sotus, Valentia, & Suarez docent contrarium, nimirum repetendam esse Confessionem, si ab altero Sacerdote, ignorante statum confitentis, petatur mutatio pœnitentiæ. Nam Judex, præsertim subordinatus, qualis est Sacerdos Christi personam gerens, congruentem sententiam ferre non potest incognita causa; impositio autem pœnitentiæ pertinet ad judicialis sententiæ, & absolutionis integritatem: Ergo imponi debet cognita causa, & secundum qualitatem, ac mensuram delicti.

17 Qui impotens factus est pœnitentiæ exequendæ, omnino liberatus est. Non enim tenetur loco illius aliud bonum opus præstare; cum non alia, sed ea determinata actio, V. G. jejunium, aut eleemosyna a Confessario imperata fuerit. Cognoscere autem, ac declarare, utrum Confessarius imponendo pœnitentiam erraverit, ad quemvis virum probum, ac doctum, adeoque etiam ipsum pœnitentem, si judicio polleat, pertinere potest.

NB Si pœnitens oblitus sit, qualis et pœnitentia injuncta fuerit, etiam tunc cessat obligatio implendi. Si tamen negligentia lata, seu morositas intervenit, necesse erit, hoc peccatum confiteri. Verumtamen consultum est, ut, qui pœnitentiam, præsertim gravem, oblitus fuit culpate, vel inculpate in proxima Confessione similem (videlicet talem, qualis pro gravibus peccatis decerni solet) a Confessario injungi sibi petat.

Regula in praxi observanda.

I. Observet Confessarius, dum vult convenientem satisfactionem imponere pœnitenti, duo respicere debere, nempe & quod possit convenientem satisfactionem dare pro pœna temporali debita peccatis, unaque deservire ad retrahendum pœnitentem a novis peccatis. Certe nunquam satis redargui possunt ignorantes illi, remissi, palponesque Confessarii, qui pro quibuscia peccatis leves imponunt satisfactiones, adeoque facillime pœnitentes ad nova scelere, & fortasse pejora patranda redeunt: quapropter alienorum peccatorum participes fieri, dicit Trident. *sess.* 14. c. 8. At valde criminandi etiam sunt illi Confessarii, qui licet satisfactiones non tam incongruas imponant, nihilominus non satis conducunt ad emendationem pœnitentis. Viro e. g. vel mulieri quam maxime peccatis carnis deditis pluries recitare Rosarium, vel Psalmos Pœnitentiales injungent. Hujusmodi satisfactio ab iis personis & facillime omittitur, & facillime adimpletur, & valde modica ab ea ad resipiscentiam impelluntur. Sicut ergo contraria contrariis curentur, iis aliquæ etiam pœnalitates sunt injungendæ, si ab eis possint præstari; & si ab eis præstari non possint, alia remedia, de quibus infra, imponenda. Videnda etiam quæ dixi, dum Tract. Secundo de peccatis capitalibus egi.

II. Notet Confessarius a rigidioribus pœnitentiis bene esse abstinere, quoties ægre acceptarentur a pœnitente; & fortasse ab eo, quamvis hic & nunc disposito, non adimplendæ prævideantur. Melius est tunc satisfactionem mitiorem imponere, vel ad eam sub gravi culpa non obligare, monendo tamen non ideo leviora ab eo judicanda sua peccata, sed mitius cum eo agi ob ipsius fragilitatem, ab eoque longe majores pœnas in altera vita sustinendas, si in ista pro suis peccatis non satisfaciat. Verum hanc regulam non propono respectu pœnitentium jam a longo tempore peccatis assuetorum. Istis rigidior imponenda est satisfactio, nec ab ea abstinendum, eo quod timeatur non adimpleturos. Hoc minus malum est, quam si ob leviores pœnitentias prosequantur parvipendere peccata, & sine legitimo dolore confiteri, quod valde de iis timendum est. *Continc. de Sacram. disp.* 10. *dub.* 8. *n.* 73.

III. Loquendo de particularibus pœnitentiis, quæ cum fructu imponi possunt, primo credo necesse esse in satisfactionem etiam injungere ea, ad quæ alias pœnitens tenetur, ut emendetur a peccatis. Ita si haberet pœnitenti imponere in satisfactionem, ne amplius per talem viam pertranseat, vel aliquam domum ingrediatur, ubi habet occasionem peccandi; ne amplius ludat, si consuetus sit blasphemare, vel ludo grave incommodum afferre suæ familiæ; ut quamprimum solvat debitas mercedes, seu satisfaciat Mercatoribus, aliisque Operariis. Bene etiam erit imponere novam pœnam, si hæc non adimpleantur, faciendi e. g. opus pœnale, vel dandi aliquam eleemosynam &c. Addantur semper aliquæ orationes; nam oratio est medium obtinendi a Deo auxilia ad resipiscendum. Optimum erit, si peccatori injungantur istæ orationes faciendæ ante Crucifixi Imaginem, vel ante Imaginem B. Virginis brachiis extensis, repetendo actum doloris, & propositi numquam peccandi. Item, si pœnitens capax sit, imponatur ipsi aliqua meditatio vel Passionis Christi, vel Novissimorum; experientia etenim constat hujusmodi mentalem orationem non parum ad emendationem conducere. Orationi, si fieri potest, bene erit addere lectionem alicujus pii libri faciendam coram universa familia, vel etiam audire Conciones. Valde pariter commendatur imponere in satisfactionem Sacramentorum frequentiam; ac ex fructu dignoscet Confessarius, si ad ea pœnitentes accedant cum convenienti dispositione. Non exigua etiam erit utilitas Pœnitentium, si illis, dum id facere possit, imponatur quotidie Missam audire. Eleemosyna etiam valde conducit ad gratiam impetrandam pro emendatione; adeoque non abstineat Confessarius ab ea in satisfactionem imponenda, si pœnitens possit eam facere. Videat ergo Confessarius quæ aptiora remedia prodesse possint pœnitenti, ex quibus eligat, ut consulat ipsius emendationi.

IV. Satisfactiones per aliquod tempus protrahendæ valde utiles sunt ad emendationem; nam ita non tam facile pœnitens gravitatis suorum criminum obliviscitur, & coactus sæpe aliquod bonum opus facere, assuescit se Deo commendare, & Christiane vivere. Dum autem imponuntur in satisfactionem aliqua opera, vel orationes per aliquod tempus protrahendæ, ordinarie non expedit esse aliquid grave, cum ne pœnitens tandem omittat; cum quia sæpe debere easdem repetere valde molestam reddit satisfactionem, si sæpe grave quid sit præstandum. Bene etiam faciet Confessarius, vel si non obliget ad hæc præstanda, dum pœnitens ipsorum obliviscitur; vel si dicat satis esse, si postea præstet, dum recordabitur. Consulerem etiam assignare tempus hujusmodi adimplendi, dum v. g. mane surgit e cubili, ut in decursu diei recordetur ab ipso a peccatis abstinendum, deinde post prandium, ac tertio dum dormitum vadit, ut cautus sit in nocte ab iisdem cavendi.

V. Expedit etiam multoties in satisfactionem diversa opera imponere, ut toties frequentare Sacramenta, imaginem B. Virginis invisere, quotidie recitare Rosarium &c. At Confessarius cavere debet, ne tot sint diversa opera, ut facile ipsorum pœnitens obliviscatur, vel, ut ita dicam, ab iisdem obruatur. Videat ergo hæc incommoda cavere, & variorum multiplicitatem operum non sine necessitate imponere.

VI. Non potest negari aliquando necesse esse imponere publicam pœnitentiam, quando nempe resarciendum est scandalum publice datum. Exemplum sit in eo, qui publice aliquem gravibus injuriis affecit, vel infamavit, huic certe imponendum est in satisfactionem, ut publice restituat honorem, & famam. Dum vero necessaria non est publica pœnitentia ad resarciendum scandalum, puto non debere Confessarios publicas pœnitentias imponere ob varia inconvenientia, quæ possunt exinde derivare. Tunc vero non est necessaria publica pœnitentia, quando ipsa vitæ emendatio sufficit ad scandalum datum removendum. Certa meretrix non peccat sine publico scandalo, at istud sufficienter compensat, si relicto statu peccati faciat se cognoscere emendatam; aliunde autem publicam injungendo pœnitentiam, quot orirentur irrisiones, quot detractiones &c.! Hinc S. Congregatio, teste Fagnano *in c. manifesta de pœnit. & remiss.*, noluit declarare, an in foro Sacramentali pro publicis peccatis imponendæ essent publicæ pœnitentiæ, ut ita magis consuleret quieti Confessariorum, & Pœnitentium.

VII. Dum Confessarius videt pœnitentem recusare sibi injunctam satisfactionem, quamvis non nimis gravem, non statim illud dimittat. Videat, an id oriatur defectu doloris suorum peccatorum, de quo valde timere potest, si ea, quamvis valde gravia, parvifaciat. Id ipsum timere potest, si recuset pœnitentiam medicinalem omnino necessariam ipsius emendationi; ut si nollet acceptare in satisfactionem dimittere proximas occasiones peccandi, aliquas facere orationes ad se præservandum, cum antea valde raro se Deo commendaret &c. Dum igitur Confessarius prudenter judicet a pœnitente recusari injunctam satisfactionem defectu doloris, & propositi, utique est sine absolutione dimittendus. Si vero videat recusare pœnitentiam, quia ex quadam ignavia, ac animi pusillanimitate nimis sibi gravem reputat, cupidus aliunde emendationis, tunc peramanter demonstret vere gravem non esse; illi gratum futurum potius in hac vita, quam in igne Purgatorii peccatorum pœnas luere; pœnitentiam non solum imponi ad pœnæ satisfaciendum, sed etiam ad emendationem obtinendam, qua etiam ratione aliquid incommodi afferre debere. Quod si adhuc difficilem videt ob sui pusillanimitatem in acceptanda pœnitentia, non recuset illam aliquantum moderari, ut aliae ex S. Thoma innuit capite 1. quæsito 5. Ac si adhuc, dum facilem reddidit, in ea recusanda perseveret, tunc crederem vere de suis peccatis non dolere, maxime si ipsi necessaria sit aliqua medicinalis satisfactio; ex vero etenim peccatorum dolore consurgeret aliqua animi promptitudo ad eam adimplendam, utpote qui scire debet teneri ad satisfactionem adimplendam, eamque aliquo pacto proportionatam debere esse peccatis.

VIII. Notet Confessarius aliquando expedire pœnitentiam gravem pro solis venialibus; & id non solum quando quis quamplura hujusmodi peccata, maxime plene voluntaria, habet, sed multo magis, si videt facile pœnitentem in gravia peccata ruiturum, quoties aliqua pœnitentia non illum refrænet a committendis peccatis venialibus. Id facillime evenit iis, qui non cavent a committendis cum plena advertentia peccatis venialibus in aliqua materia, quæ ex genere suo esset mortalis, quamvis peccatum leve sit ex parvitate materiæ. Exemplum sit in eo, qui non cavet a levibus furtis committendis. Idem dico de iis, qui, ut ita dicam, incipiunt a longe assuescere veneres: ut si quis libros non tam pudicos libenter legat; si aliquas æquivocationes proferat; si cum mulieribus aliquantum familiaritate agat. Quamvis hæc aliquando fieri possint cum sola culpa veniali, nihilominus experientia dictat valde ad mortalia disponere. Idem, experientia teste, judicandum de iis, qui plena advertentia ruunt in quodcumque peccatum veniale, non curantes de cavendis, nisi mortalibus. Semper cum ergo isti admoniti non resipiscant, aliqua non tam levi pœnitentia refrænandi sunt, ne postea Confessarius lugeat eos in gravia crimina prolapsos.

IX. Dum Confessarius videt Pœnitentem valde frequenter sine justa causa satisfactionis executionem differre, serio perpendat, an id evenire possit, quia indispositus accedat ad Sacramentum. Dum vero peccatorum dolore, & emendationis proposito recipit aliquis hujusmodi Sacramentum, solet in eo excitari quoddam desiderium cavendi a peccatis, & pro ipsis satisfaciendi, quod non apparet in eo, qui sine justa causa differt satisfactionem adimplere, quamvis dilatio tanta non sit, ut intercedat culpa gravis. Quod si talis dilatio ex quadam naturali ignavia, vel oblivione oriatur, pertinet ad Confessarium pœnitentem monere, ut statim post confessionem, si potest, pœnitentiam adimpleat, ne in culpabilem dilationem incurrat.

X. Quamvis Confessarius possit pœnitentiam ab alio injunctam commutare, imprudentissime tamen se gereret, quoties commutaret, non aliam habendo causam commutationis, nisi quia ita expoposcit pœnitens. Videat ergo primo Confessarius, an vere pœnitentia nimis rigida dici possit vel ex se, vel attenta conditione pœnitentis, & si talis non sit, suadeat quantum potest ipsius executionem, repræsentando pœnitentias debere peccatis proportionari, adeoque pro gravibus excessibus non esse injungendam

pœnæ-

pœnitentiam, nullam vel exiguam afferentem molestiam. Quod si his, aliisque motivis non videat pœnitentem omnino determinatum ad exequendam injunctam satisfactionem, timeatque ex ipsius fragilitate non adimpleturum, mitiorem reddere potest; & videat quantum potest, ne tam tenuem imponat satisfactionem, ut pœnitens peccata parvi faciat, ac ad eadem redire non detrectet.

Animadvertat etiam Confessarius; antequam commutet pœnitentiam, an imposita fuerit pro necessaria pœnitentis præservatione: ut si illi in pœnitentiam impositum fuisset ne luderet, quia ludus non erat sine gravi familiæ detrimento, vel sine pluribus blasphemiis. Eodem modo discurrendum, si in pœnitentiam impositum fuisset, ne accederet ad aliquam domum, ubi consuetus erat peccare: ut aliquoties in die quasdam breves faceret orationes ad extirpandam longam consuetudinem peccandi &c. Ergo puto istas medicinales satisfactiones pessime commutari, si non sint fere moraliter impossibiles. Pœnitens utique hujusmodi commutationem expostulando demonstrat vere de peccatis non dolere, cum respuat media sibi necessaria ad non peccandum. Hinc male agit etiam Confessarius & illum absolvendo, & pœnitentiam commutando, quoties alia æque utilia non darentur media, ut pœnitens a lapsu præservaretur. Certe Confessarii nimis faciles in pœnitentiis commutandis, quod alii ædificarunt destruunt, ac verificatur, quod dicitur Ecclesiast. 30. *Unus ædificans, & unus destruens, quid prodest illis, nisi labor?*

TRACTATUS VII.

DE

Indulgentiis.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Indulgentia?

1 INdulgentia est *pœnæ temporalis DEO debitæ remissio, extra Sacramentum, per applicationem satisfactionis Christi, & Sanctorum*. Pro cujus intellectu notandum est. Etsi Christus infinite pro peccatis totius mundi satisfecit Deo Patri, meruitque nobis gratiam, & gloriam, teste Apostolo ad Ephes. 2. tamen ex infinito isto thesauro meritorum Christi necesse est hominibus fieri efficacem applicationem, seu per ipsius Christi specialem intentionem, quomodo Luc. 7. Mariæ Magdalenæ, & c. 23. latroni peccata plene remisit; seu per usum Sacramentorum, præsertim Baptismi, in quo omnis culpæ, & pœnæ reatus extinguitur; seu denique per voluntatem Summi Pontificis, tanquam Christi in terris Vicarii, ac dispensatoris generalis, convenienter illi apud S. Matth. 16. *Et tibi dabo claves regni cælorum: Quodcunque solveris super terram, erit solutum & in cælis*. Quæ verba, cum gratiam, & beneficium contineant, Ecclesiæ a supremo ejus Principe sine cujusquam incommodo concessa, in sua generalitate relinquenda, & nullo modo restringenda sunt. Quare ita argumentari licet: Omne vinculum, quo homo impeditur ab ingressu cælorum, solvi potest a S. Petro, & Successoribus ejus per potestatem a Christo concessam; tale autem est etiam vinculum temporalis pœnæ, post remissionem culpæ sæpenumero restantis: Ergo illud quoque vinculum a Pastore Ecclesiæ remitti potest, quam remissionem indulgentiam appellamus.

2 Justi in hac vita non solum pro suis, sed etiam pro aliorum justorum peccatis ob charitatis unionem per Christi merita satisfacere possunt. Si autem, dum opera satisfactoria exercent, ipsimet tali fructu non indigeant (vel quia non peccarunt, sicut B. Virgo; vel etsi peccarunt, tamen plus doloris, ac pœnitentiæ sustinuerunt, quam pro peccatis merebantur, sicut S. Martyres) at vero ejusmodi satisfactiones, vel nemini speciali intentione applicent, vel applicent iis, qui fructus satisfactionis capaces non sunt, seu quia pro peccatis suis satisfecerunt, seu quia in peccato mortali constituti sunt: Tali casu nemo dicere debet, satisfactiones inanes abire; sed potius ex liberalissima voluntate Dei magis propensi ad miserendum, quam puniendum, ipsiusque etiam justi satisfacientis formali, aut virtuali intentione fructum satisfactionum redundantium committi Ecclesiæ, ut in communi quasi thesauro ejus repositus per Christi Vicarium fidelibus dispensetur. Nam bona Communitatis, ait S. Thomas, distribuuntur singulis e Communitate secundum arbitrium ejus, qui Communitati præest.

3 Satisfactiones Sanctorum abundantes concurrunt ad indulgentiam, seu remissionem culpæ temporalis per modum causæ particularis, & proximæ:, At vero satisfactiones Christi per modum causæ universalis, & primariæ; siquidem satisfactiones Sanctorum per se, atque intrinsece dependent ab infinita Christi satisfactione, & ab ea omnem vim accipiunt. Neque vero ea in re quidquam derogatur Christi potentiæ, & satisfactioni, quin magis illustratur, quando tanta esse ostenditur, ut non solum in re ipsa abundet, sed etiam in Sanctis, quibus per virtutem, & motionem suam uti solet, tanquam instrumentis, ad hominum spiritualem salutem.

4 Concessio indulgentiarum est actus Ecclesiasticæ jurisdictionis voluntariæ, cum sit gratia, & beneficium; quippe condonatio pœnæ in purgatorio: Quare ad illam non requiritur certus Ordo, sed tantum potestas jurisdictionis. Hinc etiam Episcopus potest indulgentias subditis suis concedere, licet nondum consecratus, aut Sacerdos sit.

5 Indulgentiæ non nisi subditis conceduntur: Quia sicuti a Judice non suo nemo ligari potest, ita nec absolvi. Exempti tamen participes se reddere possunt indulgentiarum Episcopalium; cum ea in re, sicut & in dispensationibus votorum, &c. subjicere se possint jurisdictioni Diœcesani sui, eo, quod ipsis gratiose concessum est privilegium exemptionis, in eorundem dispendium cedat. Adde, quod unus Episcopus subditis suis facultatem dare possit lucrandi indulgentias Episcopi alterius. Denique ipse etiam Papa, Episcopus, concedens indulgentias, fieri potest particeps indulgentiarum.

6 Concessio indulgentiæ, cum sit beneficium Principis nemini præjudicans, late interpretanda est, modo constet de potestate, & sufficiente causa concedendi. V. C. Si dubitetur de voluntate concedentis, utrum voluerit dare indulgentiam amplam, vel restrictam secundum personas, temporis durationem, &c. benignior interpretatio fieri debet. Unde, si Papa, vel Episcopus concedat indulgentiam alicui Ecclesiæ, intelligi debet de perpetua, nisi restrictio facta fuisset per regulas Cancellariæ.

NB. In materia favorabili, V. C. concessa indulgentia populo, venit etiam Clerus, & nomine Cleri etiam Episcopus, & Religiosi comprehenduntur: non item in materia odiosa. Quod si dubitetur de potestate concedentis indulgentiam tam amplam, tunc potius restringenda est; cum alioquin periculum sit, ne Juri divino derogetur, & per indiscretas indulgentias disciplina Ecclesiastica enervetur.

CAPUT II.

De antiquitate Indulgentiarum.

1 INdulgentiarum usus probari solet ex Apostolo 2. ad Cor 2. ubi Corinthium incestuosum, quem absens ante excommunicaverat, 1. Cor. 5. & pœnis Ecclesiasticis subjecerat, ne nimia tristitia absorberetur, rogantibus etiam pro illo Corinthiis, absolvit, remissa illi per clavium spiritualium potestatem pœna adhuc restante. Cujusmodi consuetudo deinceps etiam in Ecclesia viguit, ut peccatoribus ob scandalosa crimina publica pœnitentia imponeretur, non tantum ut Ecclesiæ satisfieret, sed etiam ut ipse pœnitens peccata sua apud Deum congrua satisfactione deleret.

2 Indulgentia, seu remissio pœnæ injunctæ non tantum est in ordine ad Ecclesiam, sed etiam in ordine ad Deum, ut, quod Martyrum desiderio, & Ecclesiasticorum Prælatorum authoritate remittitur, etiam apud Deum condonatum sit.

CAPUT III.

De divisionibus Indulgentiæ.

1 INdulgentia vel est totalis, seu plenaria (sic dicta, quia illimitate conceditur, ut omnem pœnam in purgatorio pro peccatis luendam remittat) vel partialis (quia limitate conceditur, ut partem aliquam pœnæ remittat). Talis est indulgentia tertiæ partis peccatorum, aut indulgentia unius anni, vel plurium annorum. Nam Ecclesiastica consuetudine olim receptum erat, ut pro gravioribus criminibus 7. annorum pœnitentia imponeretur. Alia partialis indulgentia etiam dicitur *Carena*, id est, carentia, sive jejunium in solo pane, & aqua per dies 40. Item *Quadragena*, quæ videtur esse indulgentia, sive remissio pœnitentiæ, quæ per Quadragesimam subeunda erat. Quapropter, cum indulgentia unius anni, indulgentia septennis, vel una Carena conceditur, sensus est, re-

mitti

mitti tantam pœnam peccatis debitam, quanta delere- tur per pœnitentiam unius anni, vel 7. annorum, aut per 40. dierum jejunium in pane, & aqua, secun- dum Canones pro peccatis imponi solitum.

2 Olim indulgentiæ ferme tantum concedebantur *de pœnitentiis injunctis*, nunc vero etiam de non injun- ctis; sicut probabile censent Palud. Suarez, Gabriel, Coninck. *Ubi majus conceditur, etiam minus conces- sum esse videtur*. Quæ Regula in iis locum habet, quæ ejusdem generis sunt, sive ad eandem potestatem spectantia; atqui plus, seu majus quiddam est, remit- tere pœnitentias a Sacerdote injunctas, quippe non divino tantum jure, sed humano etiam præcepto de- bitas, & determinatas; minor autem remissio est, si nulla pœnitentia Sacerdotis imperio exsolvenda restet: Quare talis indulgentia facilius conceditur, cum non sit enervans sit disciplinæ Ecclesiasticæ: Ergo indul- gentia data de injunctis extendenda etiam videtur ad non injunctas, idque spectata consuetudine, quæ nunc in Ecclesiis viget: Quia alioquin non ita magnam uti- litatem hodie indulgentiæ haberent; quandoquidem pœnitentiæ, quæ pro peccatis injungi solent, exiguæ sunt, & sæpe tantum loco medicinæ, seu alicujus cura- tionis peccati imperatæ, quas omnimode implere expedit.

NB. Si cui pœnitentia a Sacerdote imposita diffici- lis sit, ut appareat, non per modum medicinæ præ- caventis impositam fuisse, sed per modum satisfactio- nis, tunc non prohibetur aliquis uti indulgentia ad pœnitentiam diluendam; idque etiam Confessarii ob- servare possunt, ut pœnitentiam, de qua pœnitens queritur, commutent in aliam leviorem per modum medicinæ imponendam, præcipiendo pœnitenti, ut alicujus indulgentiæ se participem reddat (*a*).

„ (*a*) Attamen si jam suscepit impositam a Con- „ fessario pœnitentiam, & Sacramentum absolutum est, „ non potest propria auctoritate illam commutare in „ pœnas purgatorii; quia illa satisfactio in purgatorio „ non esset Sacramentalis, utpote a Confessario in „ actu Confessionis non imposita.

Porro indulgentia dividitur in personalem, quæ cer- tis personis conceditur sine determinatione ad certam rem materialem; & realem, quæ alicui rei materiali, V. C. Rosariis, imaginibus, &c. affixa est.

3 Si indulgentia localis (quæ loco affixa est) con- cessa est cum determinatione temporis, V. C. diei, tunc, qui sæpius in die Ecclesiam visitat, semel tan- tum lucratur indulgentiam: Secus, si sine determina- tione concessa est Ecclesiam visitantibus; cum non sit ratio restringendi ad unam vicem.

4 Nomine Ecclesiæ, cui indulgentia conceditur lo- cranda a visitantibus, etiam adjunctum Cœmeterium intelligi debet: Quia in favorabilibus verba late inter- pretanda sunt.

5 Loco diruto sine spe reædificandi, vel in alium locum sub eodem Patrono, & cum omnibus privile- giis transferendi, pereunt indulgentiæ concessæ locales. Quod si Ecclesia diruta in eodem loco reædificetur, retinet indulgentiam, sicut & alia privilegia; quippe cum moraliter eadem Ecclesia censeatur.

CAPUT IV.

Quinam Ecclesiæ Pastores, & quo Jure indulgentias concedere possint?

1 SUmmus Pontifex potestate a Christo accepta, adeoque divino Jure indulgentias tum generales, tum partiales ex rationabili causa omnibus fidelibus dispensare potest. Etiam Concilium generale, quatenus incluso Capite totum corpus Ecclesiæ repræsentat. At vero vacante Sede non potest Concilium indulgentias generales Christi fidelibus concedere, sed solum ea præstare, quæ præcise necessaria sunt ad regimen Ec- clesiæ, donec electio Pontificis facta sit. Inferiores ve- ro Papa, Archi-Episcopi, & Episcopi, ex concessione Summi Pontificis indulgentias largiuntur, idque ideo, quia illi immediate jurisdictionem a Christo non acci- piunt; ut dixi C. 7. n. 3. de Legibus. Et est una ex causis gravioribus, quæ ad summam potestatem, adeo- que supremum in Ecclesia Pastorem pertinere debet.

2 Episcopi communi Jure unius anni indulgentias dare possunt pro die anniversaria Dedicationis templi, & ob aliam justam causam dierum quadraginta. Ra- tio: Quia alioquin, sicuti legimus in c. cum ex eo, de pœnit. & remiss. *per superfluas indulgentias & cla- ves Ecclesiæ contemnuntur, & pœnitentialis satisfactio enervatur*.

NB. 1. Plures Episcopi non possunt uni Ecclesiæ singuli anni unius indulgentias largiri; possunt tamen plures singuli plures Quadragenas concedere: Talis enim concessio non excedit limites jurisdictionis; cum proprie non fiat loco, sed personis subditis in ordine ad talem locum. (*b*) Et potest postea Episcopus lo- ci proprius indulgentiam istam trahere ad suos etiam subditos, si ipsis licentiam det lucrandi.

„ (*b*) Cum tamen id modo sit contra consuetu- „ dinem Ecclesiæ, quin & sciverim vetitum esse „ Bulla quadam Pontificis, cujus modo non succur- „ rit; ideo plures istæ indulgentiæ partiales simul „ conjunctæ, nisi sint antiquæ, vel dari non possunt, „ vel non valent.

NB. 2. Episcopi vivis tantum, non etiam defunctis indulgentias concedere possunt: Quia solum concessum est Episcopis, quasdam indulgentias concedere subdi- tis suis: Ergo hæc facultas non extenditur ad defunctos.

3 Prælati Ecclesiastici, qui Episcopi non sunt, et- si non jure ordinario (sicut Episcopi, quibus id ma- xime convenit) tamen ex commissione Pontificis spe- ciali, aut generali per consuetudinem approbata indul- gentias interdum largiri possunt.

NB. Nemo per consuetudinem, sine tacito saltem consensu Pontificis, potest præscribere potestatem in- dulgentiarum: Nam, cum talis potestas se extendat ad tollendas pœnas Deo debitas, non potest ea sine vo- luntate ipsius Dei, aut ejus Vicarii alicui competere; ut docet Suarez.

4 Contrarium tamen probabiliter docent Hostiensis, & Abb. Nam etiam Parochus dispensationem in votis potest per consuetudinem præscribere, cum tamen dis- pensatio ista etiam solvat animas in foro Dei, ut pro- inde sine voluntate Christi, aut ejus Vicarii, nemini competere possit. Et licet Summus Pontifex specialiter nesciat consuetudinem, satis tamen eam approbare cen- setur, quando generali lege, ac praxi vult, & con- sentit, ut Ecclesiastica jurisdictio per longævam con- suetudinem bona fide præscriptam acquiratur; cum aliquin in Ecclesiæ perturbationem, & periculum ani- marum cedere possit, si, quæ per talem consuetudinem ab Ecclesiæ Prælatis fiunt, irrita forent. Idem sen- tiendum est de jurisdictione in foro Pœnitentiæ a pec- catis absolvendi, quæ cum bona fide usucapi potest.

5 Per communicationem bonorum operum, ac me- ritorum factam personis, ac si membra essent alicujus Religionis, proxime, ac directe non applicantur sa- tisfactiones subditorum, sed fructus ille communica- tionis præcipue provenit per modum impetrationis de congruo; quippe cum ratio amicitiæ postulet, ut Deus propter amicos suos etiam aliis benefaciat, qui illis amicitia conjuncti sunt. Communicatio vero operum bonorum, ac meritorum facta personis, ac si membra essent Religionis, non habet rationem indulgentiæ: Nam indulgentiæ vivis conceduntur per modum juris- dictionis, & absolutionis a pœnis Deo debitis per ap- plicationem satisfactionum Christi; Prælatis autem Or- dinum talis facultas non competit propter defectum jurisdictionis, & superabundantes satisfactiones justo- rum non colliguntur in particularibus quasi thesauris Ecclesiarum, vel Ordinum, sed veniunt in commu- nem thesaurum unius Ecclesiæ universalis, ut per uni- versalem ejus Pastorem dispensentur. Interim certum est, quod participantibus bonorum alicujus Religionis interdum per gratiam Sedis Apostolicæ eædem indul- gentiæ concedantur, quæ ipsismet Religiosis. Quod vero per ejusmodi generalem bonorum spiritualium com- municationem directe, & immediate non applicentur satisfactiones subditorum, probatur: Vel enim Præla- tus opera subditorum satisfactoria applicaret, antequam fiunt, vel postquam facta sunt? Neutrum dici potest: Non hoc posterius; quia fructus bonorum operum sa- tisfactorius, si vel nemini, vel inhabili applicatus su- perabundat, in communi thesauro Ecclesiæ permanet, ac Summi Pontificis, eorumque, qui ab ipso potesta- tem acceperunt, dispositioni subjacet. Nec primum dici potest; quia id cederet in perturbationem, & grava- men subditorum, dareturque locus præventioni, ita ut, si subditi pro suis, vel aliorum peccatis speciatim satisfacere intenderent, incerti essent, num forte Papa, vel Prælatus, ipsis insciis, & non consentientibus, fru- ctum omnem, vel partem ejus alteri jam applicasset.

6 Religiosus, qui contra præceptum Prælati fructum boni operis alteri applicat, licet male faciat (eo quod per obedientiæ votum ita suam voluntatem Superioris imperio subjecerit, ut contra justum ejus imperium nihil licite velle possit) tamen applicatio valet: Quia fructus, & opera bona Religiosi, dum fiunt, subjacent

parti-

particulari dominio ipsius; non enim ita Religiosi domini esse desinunt suorum liberorum actuum, sicut externarum substantiarum.

CAPUT V.

An, & qualis causa ad concedendas Indulgentias requiratur?

1 NOn tantum ut licite, sed etiam ut valide indulgentia concedatur, pia, & rationalis causa requiritur. Ratio est: Quia Minister non potest valide remittere, aut dispensare jura domini sui sine voluntate ejus rationabiliter præsumpta: Papa autem, aliique Episcopi, dando indulgentias peccatorum dispensant in jure Christi, ac Dei; partim, quia obligatio solvendæ pœnæ pro peccatis erga Deum est; partim, quia thesaurus satisfactionum sub Dei, ac Christi tantum dominio, Ministrorum autem ejus fideli dispensatione est: Ergo Papa, & Episcopi valide non concedunt indulgentias sine voluntate Dei, ac Christi, quæ nimirum est, ut pœna, secundum ordinariam justitiæ legem debita, non remittatur, atque thesaurus satisfactionum non dispensetur in destructionem, sed in ædificationem, id est, ita ut, ad majorem Dei gloriam dispensatio cedat: Hanc enim, uti Deus ipse in omnibus suis operibus intendit, Prov. 16. sic & Ministri ejus intendere debent. Quæ ratio sumitur ex Cap. 24. Matth. *Quis, putas, est fidelis servus, & prudens, &c.*

NB. Licet indulgentia, spectata præcise ut est remissio pœnarum Deo debitarum, tanto majorem, eamque publicam causam requirat, quanto majori Communitati, vel toti Ecclesiæ conceditur, quam si particulari personæ, vel Congregationi concederetur; quatenus tamen consideratur cum opere pio simul imposito, per quod fideles ad publicas orationes, Sacramentorum frequentationem, &c. alliciuntur, non parum ex hoc capite augetur causa indulgentiæ concedendæ.

2 Fieri solet, ut alii aliis plus de indulgentia V.C. plenaria consequantur; quia plus conatus, & devotionis adhibent. Nam si aliqui magnam pro peccatis commissis pœnam debentes opus injunctum tepide, ac minus utiliter ad propositum finem peragant, tunc causa tantæ remissionis ipsorum respectu deficit.

3 Tametsi accidat, indulgentiæ concessionem propter defectum causæ irritam esse, aliæ tamen per accidens adjunctæ facultates, V. C. absolvendi a reservatis, eligendi Confessarium, dispensandi in votis, sicut in Jubilæo fieri solet, subsistere possunt; quippe ejusmodi favores, cum ex solo humano jure pendeant, ideoque liberæ dispositioni Pontificis subjecti sint, non infirmantur. Quod non intelligas, quasi dispensatio in votis sine justa causa ad libitum Pontificis fieri possit, sed quod potestatem ex causa rationabili dispensandi in votis cuilibet arbitratu suo committere queat.

CAPUT VI.

Quænam conditiones requirantur in eo, qui Indulgentias lucraturus est?

1 INdulgentiæ proprie tantum dantur Christianis baptizatis, utpote super quos Ecclesia tanquam membra jurisdictionem habet. Est tamen probabile, prodesse etiam Catechumenis per modum suffragii, cum Catechumeni, revera per fidem, & charitatem Christo uniti, sint aliquo modo membra Ecclesiæ.

2 Cum homo indulgentiam lucraturus est (præconsiderato, quod debeat esse subditus concedentis, & non excommunicatus Excommunicationi majori) etiam in gratia Dei esse debet. Ratio: Quia reatus pœnæ nunquam aufertur, nisi ablata culpa. Unde infertur I. Non posse aliquem plenam omnium peccatorum indulgentiam consequi, nisi omni etiam culpa veniali liber sit; nam alioquin homo, quamvis justus, non consequetur indulgentiam pœnæ, iis venialibus peccatis respondentem, quibus adhuc affectus est. Infertur II. Licet absolute necessarium non sit ad indulgentiam lucrandam, ut aliquis opera præscripta in statu gratiæ impleat, tamen in Dei gratia homo esse debet, quando indulgentiam consequitur; quod probabiliter accidere existimatur, cum opus ad lucrandam indulgentiam requisitum omnino completur. Igitur opera danda est,

P. Layman P. II.

ut eo præsertim tempore homo ab omni peccato mortali liber sit; quin etiam a venialibus, si plenam omnium peccatorum indulgentiam obtinere velit. Cæterum, cum opus præscriptum perficiens in statu peccati mortalis minus gratum Deo obsequium præstet, ideoque non satis efficaciter ad finem ab Ecclesia intentum operetur, ut integram indulgentiam lucrari possit, valde consultum est, omnia opera in Dei gratia adimplere.

3 Nisi opus præscriptum impleatur, indulgentia obtineri non potest; excepto, si pars omissa sit tam parva, ut ejus omissio moraliter non æstimetur, vel si in Bulla concessionis justo impedimento impeditis alia ratione subventum sit; quod ex rationabili voluntate indulgentiam concedentis pendet.

4 Opus bonum præscriptum ita impleri debet, quatenus conducit ad justitiam causæ finalis, ob quam indulgentia conceditur.

5 Ad lucrandam indulgentiam non requiritur actualis intentio, sed sufficit habitualis, seu interpretativa: Cum enim unus justus alteri justo, etiam ignoranti, satisfactiones suas applicare possit, cur non etiam Pastor Ecclesiæ satisfactiones Christi, & Sanctorum per indulgentiam applicare queat homini V. C. a sensibus alieno, & mox morituro? Deinde natura indulgentiæ non postulat necessario actualem intentionem, nec Bullæ verba hoc significant, cum solum dicatur, indulgentiam V. C. plenariam consequendam fore a fidelibus, qui tali die Ecclesiam pie visitarint: Id totum autem fit, etsi quis actualem intentionem non habeat indulgentias lucrandi.

NB. Si alius, qui jussu, vel rogatu tuo opus perficit, sit causa ipsius operis, ut si jubeas famulum tuum orare, jejunare, vel similia opera personalia exercere, non lucraberis indulgentiam concessam orantibus, jejunantibus; cum vere, ac proprie tu non ores, nec jejunes. Sin vero ille alius non sit causa propria operis, sed nudum instrumentum materialiter tantum concurrens, ut si des eleemosynam per manum famuli, haud dubie lucraberis indulgentiam concessam iis, qui eleemosynam dederunt; nisi exprimatur in Bulla, ut tale opus reale in propria persona fiat.

6 Una oratione non potest aliquis plures indulgentias lucrari, quæ pluribus rebus similiter concessæ fuerunt: V. C. Si quis habeat duo numismata, quorum singulis indulgentia unius anni concessa est, dicto semel uno Pater & Ave, duorum annorum indulgentias non lucrabitur. Ratio: Quia hæc censetur esse mens Pontificis; cum opus bonum plerumque adjungi soleat ad supplendam justitiam, seu causam indulgentiæ, qui finis non ita obtinetur, si uno opere exhibito plures indulgentias similibus rebus promissas lucrari liceret. Confirm. Sicuti ad indulgentiam unam lucrandam requiritur opus semel fieri, ita ad indulgentiam duplam requiritur opus repetitum, seu duplicatum. Excipe: Nisi tale opus sit, quod eodem die repeti non possit; uti est S. Communio.

7 Si in Bulla fiat mentio Confessionis, intelligitur id juxta stylum Ecclesiæ de mortalibus, quæ sunt materia necessaria Confessionis, & non de venialibus: Nam Confessio peccatorum requiri solet, ut per eam certius, ac securius tollatur obex consequendæ indulgentiæ; talis autem obex non sunt peccata venialia.

NB. Contritio mortali peccatori non sufficit ad lucrandas indulgentias, nisi illi propter defectum Confessarii impossibile sit confiteri; tunc enim præsumi poterit, mentem Pontificis esse, ut sufficiat contritio: Alioquin Pontifex exigit Confessionem mortalium, ut per eam certius, & securius obex indulgentiæ lucrandæ tollatur, cum plerumque non satis certi simus, nos habere contritionem perfectam.

CAPUT VII.

De Indulgentiis; quæ Defunctis a Summo Pontifice applicantur.

1 CErtum est, quod Summus Pontifex defunctis animabus in purgatorio indulgentias impertiri possit; id enim ostendit praxis Ecclesiæ. Et cum quivis privatus satisfactiones suas defunctis applicare possit; cur non etiam Pastor Ecclesiæ applicare posset satisfactiones Christi, & Sanctorum?

NB. Lucrans indulgentias defunctis, non est necesse, ut sit in gratia Dei, cum indulgentia effectum consequatur.

2 Indulgentia concessa vivis non potest etiam defunctis applicari, nisi in concessione exprimatur: Quia indulgentia pendet, sicut ab authoritate, ita & a voluntate concedentis.

3 Summus Pontifex defunctis indulgentias dat per modum suffragii (exhibendo Deo satisfactionem, & quasi pretii solutionem adjunctis precibus, ut eam misericorditer acceptare dignetur ad liberationem animarum) nec applicat per modum judiciariæ absolutionis: Quia non habet jurisdictionem, ideoque nec potestatem absolvendi erga defunctos; quippe qui jam alieni fori sunt. Nec Indulgeotia pro defunctis concessa certum, & infallibilem effectum habet, sed tantum prodest per modum impetrationis secundum liberalem Dei acceptantis voluntatem: Quia Judex supremus non tenetur commutationem pœnæ sibi debitæ admittere, nisi ad id se promissione aliqua obligarit; sed Christus non obligavit se ad acceptandas satisfactiones ab Ecclesia pro liberatione defunctorum, sed pro vivis tantum. Matth. 16. Ergo &c.

Credibile est, quod Deus facilius acceptet indulgentias oblatas pro iis defunctis, qui ex hac vita decesserunt magis digni tali condonatione, puta, si pro peccatis suis ipsimet satisfacere, & indulgentias ab Ecclesiæ Pastoribus concessas lucrari studuerunt, & pro defunctis diligenter orarunt.

CAPUT VIII.

De Jubilæo;

1 Annus Jubilæi, ad imitationem veteris Testamenti sic dictus, Romæ cum plenissima peccatorum indulgentia magno gaudio, ac solemnitate celebrari solet. Eum Bonifacius VIII. ante annos 300. centesimo quoque anno celebrandum esse statuit, non quod ille primum introduxerit, sed quod veteri traditioni, & Majorum monumentis testatum confirmarit. Postea vero Clemens VI. Jubilæum ad annum 50. revocavit, eo quod paucorum hominum vita ad annum illum centesimum pertingebat. Denique Paulus II. Jubilæum ad annos XXV. reduxit. Eodem autem anno Jubilæi omnes indulgentiæ plenariæ extra Urbem per totum orbem suspenduntur; idque ob majorem celebrationem S. Jubilæi, ut, si ejus indulgentia sola vigeat, & floreat Romæ, fideles tanto avidius ad eam lucrandam accelerent.

2 Finito anno Jubilæi indulgentiæ plenariæ extra Urbem vim suam recuperant, interea irritæ existentes.

3 Suspensio indulgentiarum intelligitur quoad omnes vivos, etiam in mortis articulo constitutos (utpote non necessarium ad salutem) sed non quoad defunctos, quo minus ei prosint per modum suffragii concessæ indulgentiæ plenariæ.

4 In anno Jubilæi suspensæ sunt etiam aliæ facultates, V. C. absolvendi a peccatis &c. quæ a Sede Apostolica datæ sunt in ordine ad indulgentias plenarias consequendas.

5 Aliquæ plenissimæ indulgentiæ instar Jubilæi cum gratiis, & facultatibus annexis a Sede Apostolica interdum concedi solent (sicut factum est anno 1628.) durantes plerumque ad duas hebdomadas, seu 15. dies post promulgationem in quolibet loco factam.

6 Indulgentiam instar Jubilæi concessam lucratur, qui in Ssbbatho, vel Feria VI. antecedentem primam Dominicam de peccatis confitetur; tum, quia id Ecclesiarum praxis ostendit propter multitudinem confitentium; tum quia ex communiori Doctorum Sententia Confessio Sacramentalis necessaria non est ad lucrandum Jubilæum, si quis mortalia peccata non habeat.

7 Ad lucrandam Indulgentiam Jubilæi durantis per 15. dies, in quibus etiam tres Dominicæ, utpote materia favorabili, comprehenduntur, nihil referre videtur, utrum quis Sacram Communionem anteponat, aut postponat aliis in Bulla præscriptis operibus. Ratio: Quia id approbat Ecclesiarum consuetudo, optima legum, & privilegiorum interpres. Secundo: Quia beneficium Principis sine necessitate restringendum non est, sed, quatenus verba patiuntur, late interpretandum. Etsi vero in Bulla dicatur, ut, qui de peccatis confessi trina jejunia, eleemosynam, & Ecclesiæ visitationem peregerint, indulgentiam lucrentur; commodus tamen, & valde usitatus sensus est, ut, si hæc omnia quocunque tandem ordine impleta fuerint, indulgentiam consequi liceat. Consultum tamen est, prius confiteri, ut reliqua omnia opera, in gratia Dei peracta, majorem merendi, & impetrandi a Deo vim habeant.

8 Indulgentiam Jubilæi tantum semel aliquis intra 15. dies consequi potest, cum sit indulgentia non perpetua, sed ad tempus determinata. Videtur enim Prælatus tale temporis spatium definire, ut intra illud quivis, cum sibi opportunum fuerit, indulgentiam semel lucrari possit; interdum vero duplicatum tempus assignare, videlicet duarum hebdomadum; ut, quibus prima hebdomade opportunitas non fuit, altera consequi possint; non quod iidem sæpius.

Illi, qui in contraria etiam probabili Sententia sunt, probant ex eo: Quia beneficium Principis nemini præjudicans late interpretandum est, quatenus verba patiuntur. Nihil autem repugnat proprietati verborum, si dicamus, indulgentiam concessam omnibus prima, vel secunda hebdomade confitentibus, jejunantibus, &c. posse utraque hebdomade obtineri ab iis, qui opera præscripta repetunt. Sed respondetur ad hæc: Verba concessionis, quantumvis favorabilis, ita tamen interpretanda sunt, ut a voluntate concedentis rationabiliter præsumpta non recedamus. Præsumptionem autem illam unicæ tantum concessionis facimus tum ex consuetudine Ecclesiarum, tum ex incunvenientibus, quæ sequi possent, ex nimia facilitate, & frequentia indulgentiarum, præsertim cum earum concessio irrita sit, nisi sufficiente causa nitatur.

9 Si quis bona fide a peccatis reservatis absolutus fuerit animo lucrandi indulgentiam Jubilæi, rata est Absolutio, etsi postea animum mutet culpate, vel inculpate. Deinde, si aliquis bona fide tanquam lucraturus Jubilæum confiteatur sua peccata, unum, vel alterum reservatum per oblivionem, moraliter non culpabilem, omittens, is absolvitur, saltem indirecte, etiam a reservatis, ita ut, sublata reservatione vel eidem, vel alteri Confessario, etiam post tempus Jubilæi, confiteri possit. Alia ratio est de oblita commutatione votorum: Quia Absolutio, virtute Jubilæi facta, *non cadebat super absolutione votorum oblitorum*, ait Rodriquez.

10 Qui una hebdomade præstat opera, sed Sacramenta Pœnitentiæ, & Eucharistiæ altera hebdomade perficit, videtur lucrari indulgentias, si id faciat ob justam causam, aut necessitatem; idque secundum epikejam ex mente Pontificis, & quia etiam implentur verba Bullæ. Alioquin sine causa dividere opera, ita ut prima hebdomade jejunetur, altera communicetur, non lucrari indulgentias sensit probabiliter Henriquez: Quia Bulla Papalis significat, intra eandem hebdomadem opera omnia præstanda esse; concessio autem liberalis non subsistit, nisi conditio impleatur, sub qua fit. Quare ita in praxi observandum est, ut eadem hebdomade opera omnia præstentur: Quia id procul dubio securius est.

11 Credibile est, quod civis peregrinaturus opera etiam in alia Diœcesi perficere possit ad indulgentiam Jubilæi lucrandam: Quia, si Processioni intersit, vel in Ecclesia designata oret, nihil interesse videtur, ubi jejunet &c. imo etiam, ubi confiteatur, & communicet; cum hoc tempore cuivis ab ordinario cujusque loci exposito Sacerdoti confiteri licitum sit, sicut ex verbis Bullæ colligitur.

12 Senes, & adolescentes, alioquin excusati a jejunio, tamen jejunare debent, si indulgentiam Jubilæi lucraturi sint: Quia Jubilæum non continet præceptum jejunandi, sed solum consilium cum promissione indulgentiæ; sed etiam adolescentibus, sicut & senibus non infirmis, consultum est interdum jejunare: Ergo non poterunt Jubilæum consequi, nisi id opus consilii, seu supererogationis impleant. Infirmis, & non potentibus jejunare, item pauperibus, alia opera pia æquivalentia a Confessariis imponi debent.

13 Indulgentia Jubilæi ita hodie concedi solet, ut per opera V.C. jejunia alioquin sub præceptum cadentia satisfieri possit. Constat enim ex praxi, si promulgatio Jubilæi incidat in jejunium Quadragesimæ, vel 4. Temporum, jejunia illa, quamvis in præcepto sint, ita reputari ad lucrandum Jubilæum, ac si præcepta non essent. Idem sentiendum est de jejunio ex voto: Nihil enim repugnat, quo minus uno actu pluribus obligationibus satisfiat, dummodo & natura talium obligationum id patiatur, & intentio obligationis non repugnet.

TRACTATUS VIII.

De Sacramento extremæ Unctionis.

CAPUT PRIMUM.

De Natura, & Institutione hujus Sacramenti.

Extrema Unctio est novæ legis *Sacramentum, per unctionem olei benedicti, & orationem Sacerdotis, ad conferendam homini ægrotanti, ac de vita periclitanti salutem mentis, vel etiam corporis, a Christo institutum.* Colligitur ex traditione, & praxi Ecclesiæ tam Occidentalis, quam Orientalis, & ex S. Jacobo, Cap. 5. *Infirmatur quis in vobis, inducat Presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, ungentes eum oleo in nomine Domini: & oratio fidei salvabit infirmum, & alleviabit eum Dominus, & , si in peccatis sit, remittentur ei.* Ubi in primis habemus ritum externum Sacramenti, videlicet unctionem olei cum prece Sacerdotis. Secundo: Promissionem gratiæ, ac remissionis peccatorum. Ex quo colligitur tertium, videlicet Christi institutio: Quia cum Apostoli ex se ipsis collationem gratiæ certo alicui ritui, vel actioni annectere non possint, cum ipsi non sint auctores gratiæ, & Sacramentorum, S. Jacobus autem certo, & absolute promiserit remissionem peccatorum iis, qui tali ritu usi fuerint, colligere debemus, id ipsum fecisse ex Christi voluntate, ac institutione.

2 Sacramentum extremæ Unctionis est consummativum Pœnitentiæ; ideoque credibile est, hæc duo Sacramenta simul instituta fuisse, scilicet post Resurrectionem, Joan. 20.

3 SS. Patres, præcipue S. Chrysostomus, Origenes, Augustinus, Innocentius, Beda, Concilium Gabilonense, Concilium Aquisgranense, & Moguntinum de Sacramento extremæ Unctionis testimonia præbent.

CAPUT II.

De Materia hujus Sacramenti.

1 Materia remota hujus Sacramenti est oleum ex olivis, ab Episcopo prius benedictum. Prius patet ex S. Jacobo Cap. 5. Posterius ex Ecclesiæ traditione, & praxi, cujus congruam rationem attuli supra in Tract. 3. C. 2. n. 2.

2 Oleum extremæ Unctionis debet esse simplex, non mixtum balsamo, sicut in S. Chrismate: Quia balsamum significat odorem bonæ famæ, quam baptizati, dum vivunt, per bona opera, & exempla servare debent: Oleum autem simplex, quo bonæ conscientiæ tranquillitas significatur, mox morituris sufficit. Quod si mixto oleo, seu Chrismate conferatur hoc Sacramentum, incertum est, an valeat; tamen nihil repeti debet.

3 Tria Olea sacra in Cœna Domini Presbyteris dantur, Oleum Catechumenorum, Oleum Infirmorum, & Chrisma: Unde, cum singulare oleum detur pro infirmis, non est extra omnem dubitationem, utrum valeat Sacramentum extremæ Unctionis, si fiat sacro Chrismate; eo quod materia hæc non tantum diversam consecrationem habeat, sed etiam, saltem morali æstimatione, diversum usum, & applicationem sortiatur, cum sit mixtura artificialis. Nihilominus, si Sacerdos per errorem infirmum Chrismate unxit, non debet, ut dixi, repeti, tum propter scandalum, tum quia valde probabile est, Sacramentum extremæ Unctionis valide conferri in materia S. Chrismatis, seu quia olim consuetudo erat, talem materiam adhibere, ut Suarez existimat, seu quia mistio balsami tam exigua esse solet, ut oleum nec physice, nec omnino moraliter suam naturam exuisse censeatur. Quod vero hac, vel illa benedictione oleum consecratum sit, non videtur pertinere ad substantiam Sacramenti.

4 Oleum vetus, superveniente novo post Cœnam Domini, in lampadibus Ecclesiæ ante venerabile Sacramentum ponendum, & comburendum est; veteri tamen in necessitate Parochus uti potest, usquedum novum adveniat.

5 Materia proxima hujus Sacramenti est unctio, saltem quinque sensuum, facta manu Sacerdotis: Pedum vero, & renum unctiones non sunt de essentia Sacramenti. Sufficit quoque ad valorem Sacramenti,

P. Layman P. II.

unum oculum, unum aurem, &c. inungere; sed talis modus ungendi sine necessitate non est introducendus contra consuetudinem Ecclesiæ. Ratio autem congruentiæ, cur quinque sensuum unctio sit materia proxima, est. Quia quinque sensus sunt quasi origines, seu receptacula peccatorum per extremam Unctionem abstergenda.

6 Si infirmus manibus careat, ungenda est caro propinqua; item, si oculis careat, locus oculorum. Nam licet homo, qui caruit visu perpetuo, non potuit eo sensu peccare secundum effectum, potuit tamen peccare secundum concupiscentiam videndi.

7 Sacramenta omnia cum S. Crucis figura ministrari solent, sed non de necessitate Sacramenti, nisi in Confirmatione; quippe in qua speciatim fideles signari debent, tanquam militantes sub signo Crucifixi. Nec mortale peccatum est sine Crucis signatione inungere infirmum.

CAPUT III.

De Forma hujus Sacramenti.

1 Forma extremæ Unctionis deprecatoria esse debet, talis scilicet: *Per istam Unctionem, & suam piissimam misericordiam indulgeat tibi Dominus, quidquid deliquisti per visum.* Et similiter de aliis membris. Probatur ex Apost. Jacobo. *Orent super eum ungentes.* Tum ratione differentiæ, quæ est inter hoc, & reliqua Sacramenta, quæ modo verborum indicativo conficiuntur: Nam illa ferme habent effectum aliquem infallibilem, seu characteris, seu gratiæ sanctificantis; hujus autem Sacramenti effectus impediri potest, tum propter obicem recipientis, quod attinet ad spirituales effectus gratiæ, tum propter indifferentiam, quia non expedit, conferri sanitatem corporis. Deinde hoc Sacramentum institutum est, ut sit complementum Sacramenti Pœnitentiæ, si nimirum homo in pœnitentiæ, judicio non plene satisfecit pro peccatis suis, exoretur DEUS a Ministris Ecclesiæ, ut homini suis viribus destituto misericorditer indulgentiam dare dignetur.

2 Formam Sacramentorum Patres quandoque *precem* appellant. Nam licet efficacitas Sacramentorum non pendeat ex vi orationis, ut est opus operantis, sed ex virtute promissionis Christi, tamen etiam ea, quæ certo accepturos nos a Deo credimus, quandoque precamur, gratiam, & misericordiam ejus agnoscentes.

3 Non pertinet ad essentiam hujus Sacramenti, ut verborum forma ad singulos sensus repetatur; quare in necessitate, acceleratione mortis scilicet, aut si infirmus jamjam moriturus aliud Sacramentum non accepit, brevior forma usurpari potest. V. C. *Per istam S. Unctionem*, vel *per has S. Unctiones indulgeat tibi Deus, &c.*

NB. 1. Aliqui non improbabiliter docent, Sacramentum extremæ Unctionis substantialiter confici unica alicujus sensus unctione cum debita formula verborum.

NB. 2. Non omnia verba posita in forma consueta videntur essentialia; quamvis sine scelere omitti non possint. Ut, si quis dicat: *Per hanc Unctionem remittat tibi Deus, quidquid deliquisti per visum &c.* videter validum esse Sacramentum; quamvis Minister graviter peccet.

Denique NB. 3. Verba illa, *Quidquid deliquisti*, efficiunt sensum conditionalem: *Si quid peccasti*. Quamobrem ministrari potest hoc Sacramentum homini, etiamsi is nullum peccatum habeat, V.C. ei, qui immediate ante baptizatus fuit.

CAPUT VI.

De Subjecto, sive suscipiente hoc Sacramentum.

1 Subjectum capax hujus Sacramenti est solus homo baptizatus (nam Baptismus est *janua vitæ spiritualis, quia per ipsum de corpore efficimur Ecclesiæ*) qui rationis usum adeptus est, V. C. puer septennis, qui potest peccare; tunc enim peccati actualis capax, tanquam miles adversus extremos diaboli insultus pugnare, & ob id veluti ad luctam ungi potest.

2 Pueris extrema Unctio dari potest, etiam antequam ad S. Eucharistiam admittantur; eo quod nulla sit connexio inter S. Eucharistiam, & extremam Unctionem: Ergo, etiamsi aliquis dispositus non sit ad S. Eucharistiam suscipiendam, si tamen dispositus videatur ad Sacramentum extremæ Unctionis, non debet eo privari.

3 Morituris, si in phrenesin, aut amentiam incide-

H 2 runt,

runt, extrema Unctio danda est, si ante Christiane vixerunt, & salutis suæ memores fuerunt: Quod præsumendum est, nisi contrarium appareat. Nam si quis in peccato mortali notorie constitutus erat, tunc Sacramenti ministrationem non meretur, nisi conjecturis, vel saltem unius hominis testimonio probetur, absolutum fuisse, vel pœnitentiæ, aut alia pietatis signa edidisse. Ratio est: Quia semel malus semper præsumitur malus. Quare, si certum sit, hominem fuisse in statu peccati mortalis, nisi postea indicium aliquod mutatæ voluntatis præbeat, potius existimatur, in statu antiquo permansisse.

NB. 1. Quod si Sacerdos occultum peccatum sciret in homine incidente in amentiam, ordinarie debet illi porrigere Eucharistiam, & extremam Unctionem. Ratio: Quia phreneticus ex hac vita discessurus ordinarie se habet, ac si publice Sacramenta exeuntium peteret; peccatori autem occulto publice petenti Sacramenta ministrari debent, cum Sacerdos, tanquam ex officio administrans, publicam personam gerat, ideoque secundum publicam, non privatam, notitiam procedere debeat.

NB. 2. Perpetuo amentibus, perinde ac infantibus, extrema Unctio danda non est.

4 Expedit dare extremam Unctionem, cum periculum mortis ex infirmitate probabile est. Suspendendis, aut decapitandis non est porrigenda extrema Unctio, juxta illud Jacob. 5. *Infirmatur quis in vobis, &c.*

5 Extrema Unctio iterum conferri potest, si infirmus, postquam reconvaluisse videbatur, in periculum mortis reincidat. Nam sicut corporis ægritudo, ad mortem disponens, &, quæ conjuncta esse solet, animi depressio, iterum incurri potest; ita & spirituale hujus Sacramenti remedium, tum ad corporis, tum animi sublevationem institutum, repeti posse debet. Quod si vero idem periculum mortis duret, & non extra probabile periculum mortis constitutus sit homo, non potest repeti. Ratio: Quia hoc Sacramentum ex propria institutione conferri debet infirmo non cuicunque, sed qui secundum humanam æstimationem est in probabili statu moriendi: Ergo, dum idem status, quamvis diuturno tempore, durat, non est repetendum Sacramentum.

CAPUT V.

De Effectu hujus Sacramenti.

1 Sacramentum extremæ Unctionis principaliter institutum est contra peccatorum reliquias (nam alia, V. C. venialia, extinguuntur per pœnitentiam) Patet id ex Apostolo, qui remissionem peccatorum hujus Sacramenti effectum esse ait, non absolute, sed conditionate, *si in peccatis est*. Quo satis significat, alium præter hunc magis proprium, & principalius intentum effectum esse, quem antecedentibus verbis indicarat: *Alleviabit eum Dominus*. Minus tamen principaliter hoc Sacramentum institutum est ad salutem corporis, si animæ expediat, conferendam.

NB. Reliquiæ peccatorum sunt tepiditas, & torpor ex peccatis proveniens, quo animus hominis dejicitur, præsertim circa mortis ex infirmitate periculum.

2 Peccatori, quem Sacerdos existimat attritum fuisse, antequam in phrenesin incidit, potest administrari extrema Unctio; siquidem hoc Sacramentum in eum etiam finem specialiter a Christo institutum est, ut tollat, si quæ reliqua manserunt, peccata, pro quibus aliud remedium non suppetit.

NB. Pœna etiam temporalis remittitur in hoc Sacramento, sed non integra, si loquamur de effectu Sacramenti ex opere operato, sed secundum mensuram institutionis Christi.

3 Extrema Unctio est Sacramentum totius vitæ consummativum: Quia eo fine a Christo institutum est, ut tollat, si quæ adhuc restant, peccatorum reliquias, & salutis impedimenta, adeoque præparet hominem, atque expeditum reddat ad introitum regni cœlestis.

4 Effectus Sacramentalis confertur, cum Sacramentum essentialiter constitutum est: Id enim commune est Sacramentis, quod effectus eorum sequitur ex opere operato, id est, eo ipso, quod Sacramenti substantialis entitas posita est; idque secundum proportionem causæ physicæ, supposita capacitate subjecti.

5 Sacramentum extremæ Unctionis non videtur subsistere, & effectum operari, donec omnes quinque sensus uncti sint. Sumi id debet ex institutione Christi, quam accepimus per traditionem Ecclesiæ, communiter usurpantis quinque sensuum unctiones; tanquam necessarias ad valorem Sacramenti. Ratio congruentiæ est: Quia sic demum peccati reliquiarum abstersio, atque integra animæ sanatio significatur, si unctiones cum verborum formulis adhibeantur quinque sensibus; quippe quæ radices esse solent omnium peccatorum. Medina tamen ait, quamlibet unctionem, suam formam habentem, esse Sacramentum; ad eum modum, quo Ordo, & Eucharistia partibus integrantibus constant, seu materiam, & formam partialem habent: Quamobrem in susceptione cujuslibet sacri Ordinis V. C. gratiæ effectus confertur.

CAPUT VI.

De Ministro hujus Sacramenti.

1 Solus Sacerdos potest esse extremæ Unctionis Minister. Patet ex verbis Apostoli; *Inducat Presbyteros Ecclesiæ*.

2 Extremam Unctionem extra necessitatis casum licite non administrat Sacerdos, si nec Pastor sit, nec a Pastore, seu Ordinario licentiam habeat. Quod si vero Parochus absit, aut nolit Sacramentum ministrare, neque etiam hoc casu Superior ejus adiri queat pro petenda licentia, tunc in necessitate quilibet Sacerdos extremam Unctionem conferre potest ex præsumpto consensu Summi Pontificis: Cum hoc Sacramentum animæ in extrema lucta valde utile sit.

3 In casu necessitatis plures Ministri esse possunt, quorum unus unum, alter alterum sensum simul ungant, idque in necessitate, si incoatas absolvere non possit omnes unctiones, aut si infirmus ante moriturus videatur, quam unicus Minister omnes unctiones perficere possit.

CAPUT VII.

De obligatione suscipiendi, ac ministrandi hoc Sacramentum.

1 Nullum præceptum extat Sacram Unctionem accipiendi, cum ad salutem necessarium non sit: Veniale tamen est, per negligentiam intermittere, cum sit quædam incuria, seu prodigalitas spiritualis boni.

2 Propter contemptum, vel scandalum secuturum fieri potest, ut peccatum mortale sit, extremam Unctionem intermittere. V. C. Si infirmus sine causa renuat suscipere, poterunt alii moveri ad hujus Sacramenti vilipensionem.

NB. Non curantes inungi infirmum peccant venialiter: Secus, si cum scandalo, & contemptu.

3 Parochus ratione officii sub peccato mortali obligatur ad ministrandum extremæ Unctionis Sacramentum petentibus.

CAPUT VIII.

De Cæremoniis, seu ritibus ministrandi hoc Sacramentum.

1 Si periculum propter mortis accelerationem in mora sit, statim ad ipsas unctiones, quippe Sacramento essentiales, accedendum est; uti etiam tempore pestis propter periculum contagionis. Orationes vero possunt suppleri in Ecclesia. Inservire etiam poterit pestis tempore usus virgæ argenteæ oblongæ ad ungendum e loco remotiore causa vitandæ contagionis.

2 In dubio, num adhuc vivat, qui ungendus est; sub conditione Sacramentum ministrari potest: V. G. *Si non es mortuus.*

NB. Unctio immediate manu Sacerdotis facta, & in formam Crucis ad accidentales ritus pertinet.

3 Sacerdotes infra palmam, vel in exteriore manus parte ungi solent: Quamvis nihil referat, etiam in ipsis palmis inungi; cum hæc unctio ab altera diversa sit.

4 Nihil obstat, S. Viaticum dari etiam post acceptam extremam Unctionem, eo quod S. Eucharistia finis sit, ac perfectio reliquorum Sacramentorum, quam proinde decet animæ præbere, postquam aliis Sacramentis plene purgata est. Servanda tamen est consuetudo Ecclesiæ, cui nequaquam adversatur, quo minus post acceptam S. Eucharistiam, & extremam Unctionem, si infirmus aliquanto tempore vivat, & Viaticum iterum petat, ei ministrari debeat.

Regu-

Regulæ in praxi observandæ circa Sacramentum Extremæ Unctionis,

I. Parochus diligentissimus sit in hoc Sacramento administrando, nam alias privabit infirmum tot auxiliis, ac utilitatibus, quas consequi posset ratione hujus Sacramenti. Hinc S. Carolus ad excitandos Parochos illis proponit in V. Mediolanensi Concilio exemplum S. Malachiæ, cui tam grave fuit quamdam mulierem sine hoc Sacramento decessisse, ut jugibus lacrymis a Deo impetraverit tanto tempore ad vitam revocari, quantum necesse erat ad hoc Sacramentum administrandum.

Dum vero administrare debet hoc Sacramentum, vult infirmum hortandum ad abjiciendam omnem hujus mundi cogitationem, & ad mentem in Deum erigendam, sperando se in Æternam Vitam vocandum. Monet etiam Parochum in tertio Mediolanensi Concilio, ut ante administrationem hujus Sacramenti instruat infirmum, & adstantes de vi, & utilitate ipsius, tam respectu animæ, quam respectu corporis; adeoque & debet illos monere de necessariis dispositionibus ad illius effectus recipiendos. Debet præsertim excitare infirmo supernaturalem peccatorum dolorem, ne si forte non sit in statu gratiæ, possit mediante hoc Sacramento justificari. Optimam quoque dispositionem ad utilius recipiendum hoc Sacramentum esse dicit fiduciam in ejus virtute habere, & se ea fide ungendum præbere, qua se sistebant Christo, & Apostolis, qui ab eis animæ, corporisque sanitatem impetrare gestiebant. Ita monet S. Carolus *Act. p. 4. Quæ præparat. ad extr. unct. adhib.*

II. Summopere objurgandi sunt illi Parochi, qui ut morem gerant Medicis, seu domesticis, plus quam par est, de corporis salute solicitis, vel ex quadam criminanda erga infirmum Magnatem reverentia, vel ex timore infirmum contristandi, expectant ultima vitæ momenta ad administrandum hoc Sacramentum; seu ita protrahunt, ut sensibus sit destitutus. Ita agendo omnino impediunt corporis sanitatem fortasse consequendam virtute hujus Sacramenti; nam illam per manifestum miraculum non restituit. Deinde toto illo tempore privant infirmum illis spiritualibus viribus, quas consequutus fuisset virtute Sacramenti ad perferenda patienter infirmitatis incommoda, & ad resistendum Dæmoni; unde fortasse ipsi non restitit, dum nondum erat sensibus destitutus, & damnabitur, ita permittente Deo, quia & ipse infirmus de hoc recipiendo Sacramento non fuerit solicitus. Tertio, cum eo uberiores fructus ex Sacramentis recipiamus, quo major est nostra dispositio, expectando pro administratione hujus Sacramenti tempus, quo infirmus non potest se disponere, privatur majori gratia sanctificante &c. adeoque majori gloria. Demum expectando tale tempus, potest ex hoc oriri infirmi damnatio; nam forte non erat in gratia, & gratiam acquisivisset, si administratum illi fuisset hoc Sacramentum eo tempore, quo potuisset elicere actum doloris supernaturalis. Ex his omnibus puto graviter peccare Parochum administrantem ex sua negligentia hoc Sacramentum infirmo jamjam morituro, vel sensibus destituto, utpote graviter deficientem in munere Pastoris, & Medici animarum sibi commissarum.

TRACTATUS IX.

De Sacramento Ordinis.

CAPUT PRIMUM.

Quid sit Ordo?

1 ORdo est *parium, dispariumque rerum sua cuique loca distribuens dispositio*. Sic inter Angelos novem Ordines reperiuntur. Inter homines quoque in quovis exercitu bene instructo, in quavis civili Republica, status reperiuntur, quorum unus altero superior, aut inferior est; ut Ordo Senatorius, Equestris, plebejus. Similiterque in Christiana Republica duo sunt genera, seu status hominum, Clericorum videlicet, & Laicorum. Dicuntur autem Clerici, *quia de sorte Domini sunt*, videlicet ex gratia, & ordinatione Dei, ad divinum cultum specialiter consecrati, adeoque quasi sors, pars, seu hæreditas Domini.

NB. Inter Clericos quidam gradum nullum dignitatis, officii, aut potestatis Ecclesiasticæ obtinent, sed solum tonsurati sunt, & consecrati, ac deputati, ut ad gradum aliquem ascendere possint. Alii vero in Ecclesia gradum habent traditæ sibi potestatis, ac ministerii ad peragendum SS. Missæ Sacrificium: Atque hi proprie, & per antonomasiam appellari solent Ordines, id est, gradus Ecclesiastici Ministerii. Denique Ordinatio dicitur ipsa *actio consecratoria, qua gradus alicujus potestatis ad Altaris ministerium alicui confertur.*

2 Ordinatio Clerici non est mera deputatio personæ ad exercendum Ecclesiasticum Officium per potestatem ipsi ab Ecclesia traditam, quæ proinde ipsi iterum auferri potest, ut hæretici arbitrantur, sed est stabilis, & non iterabilis consecratio, ob quam collata semel potestas iterum amitti, vel auferri nequit, licet ejus exercitium alicui prohiberi possit per suspensionem, vel irregularitatem.

3 Hæretici nostri temporis, cum legitimis Episcopis careant, Sacerdotes nullos, aut Clericos ordinare possunt; idque, quia nullam successionem a tempore Apostolorum habent, ideo solum per meram extrinsecam deputationem Ministros pseudo-Ecclesiæ suæ creant, qui mox, si fortuna se vertat, iterum Laici,

P. Layman P. II.

seu e populo aliqui fiunt, uti Tertullianus, Hieronymus, S. Cyprianus annotarunt. Nec hæretici ullum Sacerdotem ostendere possunt, qui vel in veteri, vel in Catholica Ecclesia a laicis, seu sæculari potestate constitutus fuerit.

CAPUT II.

Utrum Sacra Ordinatio sit Sacramentum?

1 ALiud est Ordo, aliud Ordinatio. Nam Ordo significat gradum potestatis, ac ministerii Ecclesiastici, quia Sacramentum non est, sed effectus Sacramenti, videlicet sacræ Ordinationis, per quam ejusmodi potestas confertur.

2 Est autem Assertio de Fide, quod sit Sacramentum Ordinis, sive quod Ordinatio, per quam Ordinis potestas confertur, sit vere, ac proprie Sacramentum. Prob. Ubi est externum symbolum a Christo institutum cum annexa promissione gratiæ, ibi est Sacramentum; hic autem habemus externum symbolum, ac cæremoniam, videlicet manus impositionem. Secundo: Habemus promissionem gratiæ, teste Apostolo 1. Tim. 4. *Noli negligere gratiam, quæ in te est, quæ data est tibi per prophetiam cum impositione manuum Presbyterii*. Exinde colligitur etiam tertium, esse illam cæremoniam divinitus institutam. Neque enim Apostolus tam cito affirmasset, per eam gratiam conferri, & quidem sanctificantem, videlicet *Spiritum virtutis, & dilectionis*, 2. Tim. 1. nisi de ea Christi institutionem, ac promissionem cognovisset: Quare hæc ipsa cæremonia manus impositionis semper assumpta fuit in Ordinatione Diaconorum, & Sacerdotum; sicut videre est Act. 6. Accedit Patrum antiquorum authoritas, & traditio. Nam, per Ordinationem Sacerdotis gratiam fieri, testantur Dionysius, Ambrosius, Chrysostomus, Leo, S. Augustinus, Theodoretus, S. Gregorius, Beda.

CAPUT III.

Quot sint Ordines?

1 SEptem tantum sunt Ordines, videlicet Sacerdotum, Diaconorum, Subdiaconorum, Acolythorum, Exorcistarum, Lectorum, Ostiariorum. Inter quot primum locum tenet Sacerdos, quippe qui excellentissimum Missæ Sacrificium Deo Patri offert; ei vero proxime assistit, atque inservit Diaconus, postea Subdiaconus; deinde Acolythus, cujus officium est cereos deferre, ampullas præbere; Exorcista vero dæmones ab obsessis pellendo eos aptos reddit, ut Missæ Sacrificio interesse possint; Lector autem sacra lectione præsentium fidelium animos ad debitam huic Mysterio pietatem excitat; Ostiarius denique eos, qui digni censentur, ad Sacrificium admittit, indignos vero excludit. Proveniuntque isti Ordines ex Christi authoritate, sive quod omnes, & singulos per se speciatim instituerit, & per Apostolos Ecclesiæ tradiderit, ut multi existimant; sive quod præter majores quosdam, a se speciatim institutos, generalem insuper potestatem, ac mandatum dederit Ecclesiæ, alios inferiores Ordines, quatenus expedire visum fuerit, constituendi, ac consecrandi.

2 Inter septem hos Ordines quidam sacri sunt, videlicet majores, quibus annexum est votum continentiæ; quidam non sacri, sive minores, quibus initiati, licet Ordinem nunquam amittant, tamen ducendo uxorem viduam omne officium, ac privilegium Clericale deponere, ac veluti Laici fieri censentur.

3 Prima tonsura Ordo non est, sed fundamentum Ordinationis, cum sit nuda consecratio, seu adoptio personæ in Clerum sine ullius functionis, seu ministerii potestate, per quam in ascensu alicujus gradus, seu Ordine constituatur.

4 Sacerdotum Ordo bipartitus est, Episcoporum, & Presbyterorum.

5 Episcopi semper superarunt Presbyteros Ordinis potestate (utpote non solum habentes potestatem consecrandi Corpus Christi, sed etiam dandi aliis sacerdotium) non item jurisdictione.

6 Episcopatus includit in se Ordinem Presbyteratus: Quia nemo potest esse Episcopus, nisi Sacerdos; quæ causa est, cur tanquam distinctus Ordo numerari non soleat. Est igitur Episcopatus secundum divinam constitutionem perfectior Presbyteratu; sicut totum continens est perfectius qualibet parte contenta.

CAPUT IV.

Quorom Ordinum collatio sit vere, ac proprie Sacramentum?

1 DE fide est, Ordinationem Presbyteri esse Sacramentum. Ratio est: Quia per eam Ordinationem maximæ supernaturales potestates homini conferuntur, quarum prima, ac præcipua est super Corpus Christi verum, illud videlicet consecrandi, & offerendi; deinde super corpus Christi mysticum, id est, fideles absolvendi a peccatis per Sacramentum Pœnitentiæ, & mundandi a peccatorum reliquiis per extremam Unctionem. Ad suavem autem Dei providentiam spectat, ut, cum certa lege, & institutione ajusmodi potestates hominibus conferat, simul etiam sanctificantem gratiam eis sribuat, cujus beneficio tanti ministerii potestarem rite exercere possiot. Confirmatur ex verbis formæ partialis: *Accipite Spiritum Sanctum, &c.* Joan. 20. ubi per Spiritum Sanctum hic intelligitur gratia Sacramentalis.

2 Potestas absolvendi a peccatis necessario supponit potestatem S. Eucharistiam conficiendi; sed non vice versa. Volo dicere, quod potestas confiriendi Corpus, & Sanguinem Christi absolute conferatur novo Sacerdoti, ita, ut etiam ea uti possit consecrando cum Episcopo, antequam accipiat potestatem remittendi peccata: At vero hæc ipsa posterior potestas invalide alicui conferatur, nisi prius acceperit potestatem consecrandi. Idque confirmatur ex facto Christi, qui non eodem tempore utramque potestatem Apostolis contulit: Nam in Cœna ultima tribuit eis potestatem consecrandi; post Resurrectionem vero Joan. 20. potestatem remittendi peccata. Licet vero partialis illa Ordinario Presbyteri, per quam datur potestas remittendi peccata, Sacramentalis sit, non tamen est Sacramentum diversum, sed priorem partialem Ordinationem in esse Sacramenti moraliter perficit, & consummat; Sicut neque character distinctus per posteriorem Sacramentalem Ordinationem imprimitur, sed jam ante acceptus Sacerdotis character augetur, magisque perficitur; idque probabilissime cum accessione realis modi, seu perfectionis, & non extrinsecæ tantum denominationis a divina destinatione ad aliud officium exercendum: Cum enim character sit signum potestatis, ideo, si potestas augeatur, conveniens etiam est, ut signum jus mutetur, & perficiatur.

3 Certum est, quod Episcopatus sit vere Sacramentum. Prob. ex Apost. 1. Tim. 4. & 2. Timoth. 1. Quibus locis sermo est de Episcopatu. Secundo: Quia in Ordinatione Episcopi cum impositione manuum dicitur: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* qua cæremonia aperte significatur, conferri gratiam sanctificantem. Licet vero Ordinario Episcopi Sacramentalis sit, non tamen est distinctum Sacramentum a Presbyteratu, sed Ordinationem Presbyteri in esse Sacramenti habitudine morali magis perficit, & consummat; item characterem intrinsece auget, & perficit, ut ordinatus jam non tantum S. Eucharistiam conficere, sed etiam ad conficiendum alios ordinare possit.

4 De Diaconatu quoque dubitari non debet, quin Sacramentum sit; eo quod conferatur per manuum impositionem, dicente Episcopo: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* Sed de Subdiaconatu, & quatuor Minoribus minus certum est; quamvis probabile sit, omnes hos Ordines Sacramenta esse. Vasquez, & alii existimant, esse solum quædam Sacramentalia.

5 Sacramenta Ordinis, licet specie ultima non conveniant, cum neque eandem materiam, & formam, neque eundem effectum contineant; habent tamen unitatem Ordinis ad eundem finem principalem, quod est Sacrificium Missæ.

CAPUT V.

De Materia, & forma singularum Ordinationum.

COnveniunt Doctores, materiam Sacræ Ordinationis esse signum aliquod visibile; formam vero esse verba, quæ a Ministro materiam exhibente interim proferuntur.

1 Materia Sacræ Ordinationis substantialiter requisita, tam Episcopalis, quam Presbyteri, & Diaconi, est impositio manuum Episcoporum: Forma autem sunt verba, quæ ab iisdem proferuntur: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.*

NB. Episcopum a tribus Episcopis, non paucioribus ordinari, seu consecrari oportet; per commissionem tamen Summi Pontificis potest fieri, ut unicus Episcopus alium ordinet.

2 Ordinatio Presbyteri duas materias, & duas formas ad completam essentialem constitutionem requirit. Prioris Ordinationis materia est traditio Calicis cum vino, & Patenæ cum pane, forma vero: *Accipe potestatem offerendi sacrificium Deo, &c.* Posterioris Ordinationis materia est impositio manuum Episcopi; forma autem: *Accipe Spiritum Sanctum, quorum remiseris peccata, &c.*

NB. 1. Manuum impositio est de essentia Sacramenti: Quia significat gratiam Sacramentalem, & potestatem super corpus Christi mysticum.

NB. 2. Materia Ordinationis Diaconi est traditio libri Evangeliorum cum impositione manuum Episcopalium, essentialiter requisita. Colligitur tum ex forma: *Accipe Spiritum Sanctum, &c.* tum ex ordine Romano. Nec refert, quod olim Diaconis non fuerit exhibitus liber Evangeliorum; potuit enim olim alia materia exhiberi, per quam & Altaris ministerium, & alia annexa officia Diaconi significarentur.

3 Propria materia Ordinationis Subdiaconi est traditio Calicis vacui cum Patena superposita. Forma vero Subdiaconatus videtur esse verba Episcopi, quibus traditum Subdiaconis ministerium indicat: *Videte, cujusmodi ministerium vobis traditur.*

4 Physicus materiæ contactus non videtur esse necessarius ad substantiam, & valorem Ordinationis *(a)*. Nam rationes Sententiæ affirmantis, cui præsertim in re tam gravi onus probandi incumbit, non convincunt: Quia Sacramentum istud non consistit in contactu aliquo, sicut matrimonium; unde, licet Episcopus dicat: *Accipe*; non propterea necessario requiratur tactus, V. C. Calicis. Et si moralis acceptatio, actu symboli significata, ad valorem Sacramenti necessario requiritur, consequens est, quod parvuli, qui usum rationis nondum habentes ejusmodi acceptationis signum edere non possunt, invalide ordinantur; quod repugnat communi Sententiæ, ut dicam Cap. sequenti. Ex praxi quidem Ecclesiæ præcipitur tactus Calicis, vel materiæ, sed non inde colligitur, quod sit necessarius ad valorem Sacramenti.

„ *(a)* Licet hoc verum esse potest, adhuc tamen „ in usum redigi non potest, ut quis tangat materiam „ alio tactu, quam physico, cum ab Innoc. XI. sub „ num. 1. damnata sit opinio tenens licitum esse sequi „ opinionem probabilem de valore Sacramenti, relicta „ tutiore.

CAPUT VI.

De Subjecto Ordinum, seu de Ordinandis.

1 SUbjectum Ordinationis capax est mas baptizatus, non fœmina. Nam Ordines, sive gradus Ecclesiastici pro iis a Christo instituti sunt, qui eminentiam potestatis, dignitatis, ac officii præ aliis fidelibus in Ecclesia, præsertim in ordine ad Sacrosanctum Missæ Sacrificium convenienter obtinere possunt: Tales autem non sunt mulieres, quippe quæ ob sexus fragilitatem viris subditæ esse debent. Gen. 3. Deinde, si juxta Apost. 1. Cor. 11. turpe est, mulierem loqui in Ecclesia, magis turpe esset, mulierem in Ecclesia Sacrificium Deo offerre, aut sacrificanti ministrare.

2 Papa dispensare non potest, ut mulier primam tonsuram in Ecclesia accipiat. Ratio: Quia prima tonsura aliud non est, quam consecratio, & deputatio personæ ad eum statum, ex quo ad Ecclesiasticos Ordines, & gradus ascendi possit; cum igitur mulier ex divina institutione incapax sit hujus ascensus, sequitur, etiam incapacem esse primæ tonsuræ.

NB. Per donum Prophetiæ homo non constituitur in officio, aut statu Ecclesiæ eminente; sicuti Clerici ratione status sui eminent super alios fideles laicos tam viros, quam mulieres. Unde non est mirum, quod in veteri mulieres fuerint Prophetissæ. Deinde apud Deum non est discrimen inter masculum, & fœminam quoad adeptionem gratiæ per fidem: Est vero discrimen quoad officia, & ministeria templi.

3 Mulieres Diaconissæ ad nullum Ecclesiasticum ministerium ordinatæ erant, sed solum ad id olim electæ, ut edito continentiæ voto in viduarum Collegio ex Ecclesiæ bonis alerentur, orationibus die, ac nocte instantes.

4 Par-

4 Parvuli ante usum rationis, etsi non licite, tamen valide ordinantur. Ratio: Quia infans similiter capax est aliorum Sacramentorum, ut Baptismi, Confirmationis, Eucharistiæ. Sed alia ratio est de Sacramentis Pœnitentiæ, & Matrimonii, quæ secundum substantialia sua requirunt in suscipiente actualem operationem rationis; idcoque infans eorum capax non est, consequenter nec extremæ Unctionis, quippe quod principaliter etiam in remedium actualium peccatorum, & tanquam consummativum Pœnitentiæ a Christo constitutum est.

5 Ordo superior non includit essentialiter inferiorem, excepto Episcopatu, qui supponit Presbyteratum; unde Presbyter valide ordinatur, etsi ante nullum alium Ordinem acceperit. Constat ex praxi Ecclesiæ; nam si aliquis per saltum ordinari se passus est, non iterum ordinatur, sed Ordo, qui prætermissus erat, eidem confertur.

CAPUT VII.

De ætate, & qualitate Ordinandorum.

1 OLim Presbyter non ordinabatur ante expletum annum ætatis trigesimum (quæ ætas adhuc in Episcopis permanet) nunc vero sufficit annus vigesimus quintus inchoatus.

NB. Christus post exactum ætatis annum trigesimum Evangelium prædicare cœpit, ut patet ex Luc. 3. *Et ipse Jesus erat quasi annorum triginta, incipiens*, id est, cum inciperet se accingere ad exequendum mandatum Patris.

2 Diaconus debet incepisse annum trigesimum tertium, Subdiaconus vigesimum secundum, Minorum Ordinum ætas relinquitur judicio Ordinarii, dummodo servetur Constitutio Bonifacii VIII. *ut nullus infanti*, videlicet minori septem annis, *Clericalem tonsuram conferre præsumat*.

NB. Pro Sacerdotio non tanta scientia requiritur, quanta ad munus Confessarii. Ad primam tonsuram requiritur, ut possit initiandus scribere, & legere; item ut sit edoctus Fidei rudimenta. Minores Ordines iis saltem, qui latinam linguam non intelligunt, conferri non debent.

3 Qui in Minoribus ordinatus est, a Clericali statu recedere non prohibetur, si recedendi aliquam causam habeat. Ratio: Quia nulla incumbit ei obligatio promissionis, aut præcepti ad superiores Ordines ascendendi, seu in susceptis ministrandi. Videtur tamen esse culpa venialis inconstantiæ, si sine causa quis a statu Clericali recedat. Alia ratio est de ingrediente Ordinis Regularis Novitiatum determinato animo non permanendi: Quia talis in re gravi decipit Religionem, a qua alimenta accipit, & cujus institutum, atque secreta cognoscit.

CAPUT VIII.

De temporibus Ordinandorum.

1 PRima tonsura quovis die conferri potest; Ordines autem minores, etiam extra generales Ordinationes, quavis Dominica die, & Festo. Consuetudo etiam obtinet, ut in vespera Feriæ VI. conferantur, quasi hæc sit inchoatio quædam generalis Ordinationis in Sabbatho peragendæ.

2 Subdiaconatum, & alios Ordines majores extra quatuor Tempora, & duo Sabbatha Passionis, & Resurrectionis Christi conferre illicitum est. Regulares tamen, maxime Societas Jesu, habent privilegia, ut extra Tempora ordinari possint.

3 Pro Ordinatione Episcopi dies Dominica est assignata.

4 Duo Sacri Ordines eadem Ordinatione conferri eidem non possunt.

5 Episcopo permissum est ob rationabilem causam, V. C. multitudinem ordinandorum, jejunio Sabbathi continuato, Sacrorum Ordinum collationem ad mane Dominicæ sequentis differre, modo eo usque continuetur naturale, & exactum jejunium, ut Sabbathi, & Dominici matutini quasi unus dies reputetur. Verumtamen prohibitum est Episcopo, ne eidem, quem in Sabbatho inter Diaconos V. C. ordinavit, mane insequentis Dominicæ Presbyteratum conferat: *Cum propter continuationem jejunii, fictione Canonica, mane cum vespera ad eundem diem pertinere dicatur* c. litteras.

P. Layman T. II.

6 Qui in Sabbatho Presbyter ordinatus est, mane insequenti Episcopus ordinari potest, etiam jejunio non continuato.

7 Quibusdam in locis consuetudo viget, quatuor Minores, & Subdiaconatum simul eidem tribuendi.

CAPUT IX.

De Ministro Ordinationis.

1 MInister ordinarius Sacramenti Ordinationis solus est Episcopus, sed Ordinum Minorum collatio etiam Presbytero a Sede Apostolica committi potest.

2 Abbates Sacerdotes, benedicti ab Episcopo, non nisi Regularibus subditis suis Ordines Minores conferre possunt. Quo tamen nomine etiam Novitii comprehendi videntur, eo quod sit materia favorabilis.

3 Chorepiscopis, qui non ut Episcopi a tribus Episcopis, sed ab uno tantum Episcopo, tanquam Presbyteri, ordinati erant, non poterat committi potestas ordinandi Sacerdotes, & Diaconos.

NB. 1. Chorepiscoporum olim duo genera erant, quorum aliqui veri Episcopi (qui & Suffraganei hodie appellantur) alii simplices Sacerdotes ordinati erant, qui hodie vocantur Decani rurales, & Vicarii, & hi munera Episcopalia exercere non poterant.

NB. 2. Secundum Canones duo Episcopi in una civitate esse non debent; nec in villa, nec in modica civitate debet esse Episcopus, ne nomen ejus, & authoritas vilescat.

NB. 3. Suffraganei nostri non ad villam Ordinario suo subjectam, sed ad proprium alicujus ab hoste occupatæ Ecclesiæ titulum magis canonice ordinantur, adeo, ut cum ea Ecclesia spirituale etiam matrimonium contrahant.

4 Non satis constat, utrum potestas ordinandi Diaconos, & Subdiaconos simplici Sacerdoti committi possit: Nam privilegium ejusmodi concessum Abbatibus Ordinis Cisterciensis in dubium revocatur; uti & hodie ejusmodi privilegium nullum in usu est.

5 Episcopus excommunicatus, degradatus, hæreticus valide confert Ordines. Nam Patres de Baptismo, & Ordinationis Sacramento pari modo sentiunt, characterem per ea divinitus impressum nunquam amplius amitti, aut iterum auferri posse.

NB. Suffraganei neminem ordinare possunt sine commissione Ordinarii.

6 Qui per saltum Episcopus creatus est, omnes Ordines valide conferre potest, modo sit Presbyter, licet Diaconatum, aut Subdiaconatum non acceperit. Quicunque enim Episcopalem characterem accepit, ideoque vere Episcopus ordinatus est, is omnes Ordines valide conferre potest. Qui autem necdum aliis Ordinibus ordinatus est, valide Episcopus, aut Presbyter ordinatur; cum character sacerdotalis ab aliis essentialiter non dependeat.

7 Episcopi quamvis valide omnes capaces, tamen licite ordinare non possunt, nisi subditos suos, vel alienos cum licentia Ordinarii, etiam quoad primam tonsuram. Episcopus tamen familiarem suum non subditum ordinare potest, si per triennium secum fuerit conversatus, & beneficium cessante fraude statim ei conferat.

8 Triplex est Episcopus Ordinationis. Primus est Episcopus originis, id est, e cujus Diœcesi aliquis oriundus est. Non tamen sufficit ad domicilium originis acquirendum, matrem in itinere, aut alicubi ad breve tempus negotiorum causa morantem peperisse, si alibi domicilium habuerit. Secundus est Episcopus domicilii, id est, in cujus Diœcesi aliquis domicilium stabile fixit, animo scilicet perpetuo manendi: Unde excluduntur Scholares alibi studentes; illi enim non censentur figere domicilium ibi, ubi student. Tertius denique est Episcopus beneficii, id est in cujus Diœcesi aliquis beneficium Ecclesiasticum possidet.

9 Filiusfamilias sortitur domicilium patris, nisi, cum pubes sit, ipsemet domicilium constituat: Potest enim filius domicilium statuere, si pubes sit; non item, si impubes sit.

10 Licet in Ordinibus conferendis tam domicilium originis attendi possit, quam domicilium habitationis, attamen in acquirenda jurisdictionis subjectione magis attenditur ad habitationis domicilium.

Regulæ in praxi observandæ circa Sacramentum Ordinis.

I. Non sinat Confessarius Adolescentulos, seu Juvenes, quorum saluti incumbit, Statum Ecclesiasticum assumere, nisi in eis Divinæ Vocationis signa elucescant. Perversi Cleri mores totam inficiunt Ecclesiam, cum cæteri, juxta Ecclesiasticorum exempla vivendo, tuto salutem consequuturam sibi blandiantur. Hanc Ecclesiæ ministrorum pravitatem esse veluti quoddam præambulum etiam ad novas hæreses, non pauci docuerunt. At qualis est feculenta scaturigo illorum Ecclesiæ Ministrorum, in quibus non aliud esse dicerem veri Ecclesiæ Ministri, nisi Ordinis characterem? Non alia utique est nisi, quia non vocati fuerunt a Deo, sed Ecclesiasticum statum elegerunt ex. grat. ex amore sibi victum, & necessaria comparandi, unde spectare videntur Ecclesiastica ministeria, sicut quæcumque alia sordida artificia, quæ ex solo fine sibi necessaria acquirendi exercentur. Alios ad Ecclesiam vocavit amor divitiarum, seu ambitio dignitatum; unde postea ita vitam instituunt, ut apud fidelem populum nil ipsis sit contemptius, & abjectius, ut Catechismus conqueritur. Jam autem antea suas querelas alta extulerat D. Bernardus, seu potius Ganfridus Abbas IV. Claravallensis declamatione in Evangelium: *Ecce nos reliquimus omnia*. Postquam igitur observavit non paucos ex Ecclesiæ ministris non a Domino vocatos, sed ab amore ditescendi, & ambitione honorum, vel etiam voluntate Parentum, aut Consanguineorum in Ecclesiam intrusos, ita subdit: „ Honorati incedere volunt, placere student „ hominibus, delectari, & superbire, & huic sæculo per omnia „ conformari. Audi querelas Domini quid super hac tanta hominum temeritate loquatur patiens redditor, pœnitentiem „ potius cupiens quam vindictam: *Ipsi* (inquit Oseæ 8.) *regnaverunt, & non ex me: Principes extiterunt, & non vocavi eos*. Universis quidem in ordinibus Ecclesiasticis, cæterisque ad Sanctuarium pertinentibus, honorem quærentes proprium, aut divitias, seu corporis voluptatem, postremo quæ sua sunt, non quæ Jesu Christi, manifesta prorsus, & indubitanter, non ea, quæ in Deo est, Charitas, sed aliena a Deo, & omnium eadem malorum cupiditas introducit. Quid istud temeritatis, immo quid infamiæ est? Ubi timor Dei? Ubi mortis memoria? Ubi gehennæ metus, & terribilis expectatio illa judicii? Sponsa nec cubiculum, nec cellam ingredi, nisi Rege introducente præsumit: tu irreverenter irruis nec vocatus, nec introductus: *Trahe me post te*, ait illa Cant. 1. *in odorem unguentorum tuorum curremus*. Nunc autem trahit sua quemque voluptas, & odorem turpis lucri sectantes, quæstum æstimant pietatem, quorum certa est damnatio ".

II. Quamvis Tridentinum non explicet quos scientiæ gradus exposcat in Ordinando, solumque scientiam pro ratione Ordinum in eo exposcat; nihilominus dissuadeat Confessarius suo Pœnitenti inter Ecclesiæ ministros adnumerari, & maxime ad Sacerdotium ascendere, si studere nolit; vel si ita rudis sit ingenii, ut etiam studendo haud possit scientiam saltem mediocrem acquirere. Quidam qui vel studium abhorrent, vel studendi sunt incapaces, ea ratione etiam ad Presbyteratum admittuntur, quia dicuntur non habere voluntatem alios regendi, sed solum sibi vacandi. At instituti suntne a Christo Sacerdotes, & ab Ecclesia ordinati, ut sibi solis vacarent? Nonne ut dicitur *Malach.* 1., lex ex ipsorum ore requirenda est, & scientia ex ipsorum labiis? Certe vetus Ecclesiæ disciplina otiosos Sacerdotes nunquam admisit, ac proinde nec ipse Catechismus vult Sacerdotio initiandos, qui non possint populos instruere. Ratio adducta solum aptari posset in Religiosis, qui nullatenus curæ Animarum incumbunt, quales sunt Carthusiani &c. quamvis & ii ex defectu scientiæ possint proprio, & aliorum Religiosorum progressui non mediocriter obesse.

Ulterius quis spondere poterit, dicentem ante ordinationem velle sibi soli vacare adimpleturum postea promissa? Ego nullos indoctis audaciores vidi; atque ut obtineant facultatem confessiones saltem audiendi, nullum non movent lapidem. Interim quales futura sint ipsorum consilia, & responsa in gravissimum animarum detrimentum nemo non videt. Quædam desumo ex D. Bernardo, qui exponens illa verba: *Ecce nos reliquimus omnia*, ita insurgit in indoctos Sacerdotes: „ Quomodo excusare ignorantia possit hominem, qui se magistrum insipientium, Doctorem incipientium profitetur? Ignorans utique ignorabitur; immo & multos ignorare faciet, & ignorari. Quid enim periculi sit, ubi non invenit Pastor pascua, ignorat Dux itineris viam, Vicarius nescit Domini voluntatem, Ecclesia quotidie multipliciter, & miserabiliter experitur.... Itaque hac dote (*scientia nempe*) carens, frustra sibi, tamquam per Christum introierit, blanditur; Siquidem dicitur ignoranti: Si cæcus cæco ducatum præstet, ambo in foveam cadunt ".

III. Pius, & doctus Confessarius semper suadeat Ecclesiæ Prælatis, ne faciles sint in promovendo ad Ordines ob Ministrorum penuriam: ut enim scribit Gelasius Papa ad Episcopos Lucaniæ, „ Convenientia Ecclesiæ ministeria reparanda sunt, non inconvenientibus maritis ingerenda.... Ne per occasionem supplendæ penuriæ Clericalis, vitia potius Divinis cultibus intulisse, non legitimæ familiæ Domini putemur procurasse compendia ": *Ita can. Monachus dist.* 77. contrariam praxim deplorans S. Bernardus in Tractatu *de Conver. ad Cleric. c.* 20. hæc inter alia habet: „ Ditata videtur Ecclesia. Ipse etiam Sanctissimus Ordo, Fratrum numerus super numerum Clerici multiplicatus est. Verum etsi multiplicasti gentem, non multiplicasti lætitiam, dum nihil minus apparet decessisse meriti, quam numeri accessisse. Curritur passim ad S. Ordines, & reverenda ipsis quoque spiritibus Angelicis ministeria homines apprehendunt sine reverentia, sine consideratione ".

IV. Quamvis Ministrorum exiguus numerus, vel quia qui dantur Ministri minus sint idonei, inducere possint Ordinarium ad dispensandum in Interstitiis; id tamen non passim faciendum crederem, ut sufficienter vocatio, & Mores Ordinandorum probari possint. Minor quidem requiritur causa pro dispensando in Interstitiis a Subdiaconatu ad Diaconatum, quapropter Tridentinum *sess.* 23. *c.* 11. id arbitrio Episcopi relinquit: major nihilominus requiritur pro dispensando ab Interstitiis inter Ordines Minores, & Subdiaconatum, unde ad hanc dispensationem concedendam vult Concilium intervenire debere vel necessitatem, vel utilitatem Ecclesiæ. Et ratio est quia, cum ascendendo a Minoribus Ordinibus ad Subdiaconatum, status mutetur, nec liceat amplius ad sæcularem vitam redire, conveniens est Subdiaconatum majori cum ponderatione suscipere. Pro dispensando vero ab Interstitiis a Diaconatu ad Sacerdotium exposcit Concilium conjunctiva necessitatem, & utilitatem Ecclesiæ; cum etenim Sacerdotium sit Ordo tantæ excellentiæ, & dignitatis, exposcit longioris temporis præparationem. Inter alias dispensandi Interstitia causas ponitur causa studiorum, quæ reducitur ad utilitatem Ecclesiæ. Considerandum etiam ex Canonistis est, si ætas sit provecta, quod tamen intelligendum est, si simul cum ætate creverit etiam probitas vitæ. Innocent. XII. postquam in sua Constitutione *Speculatores*, commendavit in conferendis Ordinibus servere Ecclesiæ disciplinam quoad Interstitia, Tempora &c., inter alia hæc habet: „ Ante meritum laboris, ante tempus examinis, ante experientiam disciplinæ, Sacerdotalis honor non probatis minime tribuatur; nec umquam heri sacrilegi, hodie Sacerdotes, heri profani, hodie Sacrorum Antistites, veteres vitio, virtute rudes, & recentes, Discipuli simul, ac Magistri pietatis creentur; sed ii tantum, juxta constitutas a Majoribus leges, ab humili gradu fidelis populi ad sacrarum administrationum sublimitatem promoveantur, qui post mutatum habitum sæcularem diuturna conversatione inter Clericos fuerint comprobati, ac multo tempore didicerint, quæ postmodum alios docere tenentur.

CAPUT X.

De Suspensionibus Jure latis propter illegitimam Ordinationem, vel Ordinis executionem.

1 QUi ordinantur ab Episcopo (qui renuntiavit Episcopatui) non habente legitimam executionem Ordinis conferendi, Suspensionem, seu potius Irregularitatem, contrahunt: Si tamen ignorantia non crassa intercessit, potest Episcopus cum illis dispensare. Idem sentiendum est de ordinatis ab Episcopis schismaticis, hæreticis, simoniacis, denuntiatis excommunicatis. Quod si tamen quis a tali Episcopo ordinatus probabili ignorantia laborans celebret, non incurrit Irregularitatem.

2 Qui extra Tempora, vel ante legitimam ætatem, vel sine litteris dimissoriis Sacrum Ordinem accipiunt, suspensi sunt, donec ab Ordinario absolvantur. Requiritur autem ad incurrendam hanc Suspensionem dolus, aut culpa crassa in ordinato. Ordinatus tamen, existimans, se legitime ordinatum esse, non incurrit Irregularitatem exercens actum Ordinis: Quia, cum gravis sit pœna, requirit etiam gravem culpam, quæ non est in homine bona fide, & ignoranter agente.

NB. Illegitime ordinatus non est suspensus ab aliis Ordinibus, quos legitime accepit.

3 Qui ante ætatem legitimam ordinari se fecit, licet postea a Censura Suspensionis absolvatur, non tamen potest in suscepto Ordine ministrare, priusquam legitimam ætatem consecutus est. Si celebret in Ordine ante requisitam ætatem, peccat mortaliter, sed Irregularitatem non incurrit.

4 Episcopus, qui scienter alienum subditum ordinat, per annum a collatione Ordinum suspenditur.

5 Nemo sine titulo sustentationis ad Ordinem majorem promoveri debet, alioquin Episcopus illi providere cogitur; neque absque pœna Suspensionis a Papa absolvenda pacisci potest, ut talis provisio non exigatur.

6 Religiosi, etiam Societatis Jesu, solum tria vota simplicia edentes, sine alio titulo sustentationis ordinari debent.

7 Qui cum titulo sustentationis ficto Ordinationem impetrat, Suspensionem ab Ordine incurrit.

8 Beneficium, ad cujus titulum aliquis ordinatus fuit, resignari valide non potest, nisi aliunde habeatur sustentatio sufficiens: Neque patrimonium, vel pensio, cujus intuitu aliquis ordinatus fuit, sine licentia Episcopi ullatenus alienari, vel remitti potest, donec sustentatio ex alia causa acquiratur.

9 Qui per saltum ordinari se fecit, suspensus est ab Ordinis exercitio ita suscepti, donec per Episcopi dispensationem Ordinem intermissum accipiat.

10 Qui uno die duos sacros Ordines accepit, Suspensionem incurrisse censetur.

11 Episcopus, in aliena Diœcesi sine licentia Ordinarii Episcopalia exercens, Suspensionem incurrit.

12 Qui post nuptias, ante matrimonii consummationem, Sacrum Ordinem aliter suscepit, quam Sacri Canones permittunt (videlicet non cum consensu uxoris Religionem ingredientis, vel votum continentiæ edentis) veluti irregularis efficitur.

13 Qui in Excommunicatione Ordinem Sacrum suscepit, Suspensionem similem Irregularitati incurrit.

CAPUT XI.

De Cœlibatu Sacrorum Ministrorum.

1 SAcerdotes, & alii Ministri Sacri non lege divina, sed partim proprio voto, partim lege Ecclesiastica obligantur ad perpetuam continentiam: Quandoquidem talis lex nec ex Scriptura, nec ex Patrum traditione colligitur. Nec etiam lege naturali; cum Altaris ministerium non simpliciter repugnet usui conjugali, quippe per se bono, ac honesto. Quod ex proprio voto, & Ecclesiastico praecepto obligentur, colligitur ex c. 1. & seqq. distinct. 28. Ratio vero, cur Ecclesia id requirat, est, ut Sacris Ordinibus initiati in continentiæ statu, quem propriæ voluntatis lege, ac Religionis vinculo assumpserunt, tanto firmius, ac constantius perseverent.

2 Si Pontifex sine justa causa dispenset cum initiato Sacris Ordinibus, ut uxorem ducere possit, dispensatio irrita est; quamvis matrimonium ita celebratum valeat, ita tamen, ut contrahens debitum a conjuge non exigat, licet petenti reddere teneatur.

NB. Puer ante usum rationis Ordinem Sacrum accipiens, licet characterem arripiat, tamen non obligatur ad continentiam servandam.

3 Cœlibatus, seu continentia Sacerdotum ex Apostolira constitutione provenit. Patet ex Concilio Carthaginensi II. c. 2. Et confirmatur ex Apostolo 1. ad Tim. 5. Colligitur enim ibi, viduas, quæ ex Ecclesiæ substantia alebantur, non fuisse receptas, nisi continentiam Deo promisissent. Quanto magis credibile est, Altaris Ministros, videlicet Sacerdotes, ac Levitas aliter acceptos, & ordinatos non fuisse, nisi prius promissa continentia.

4 Plures causæ sunt, cur Sacerdotes, & Ecclesiæ Ministri continentes esse debeant. I. Quia Sacerdotes Deo, & divinis rebus perpetuo vacare debent: Ab hoc autem studio impediuntur, ac distrahuntur opere, ac fœdere conjugali. II. Quia necesse est, honorem, ac reverentiam servari sacerdotio; experientia autem constat, populum non tanto in honore habere eos, quos vident vitæ instituto pene nihil ab ipsis differre: Quamobrem Sacerdotes Græci conjugibus adhærentes in parvo honore sunt. III. Oportet Episcopos, aliosque Sacerdotes hospitales esse, & in pauperes misericordiam exercere: Quomodo autem id præstabunt, si uxorem, & liberos alere debeant? cum dicat Apostolus 2. Cor. 12. quod parentes filiis thesaurizare oporteat. IV. Reditus Ecclesiastici, quos fideles ad divinum cultum offerunt, passim ad causas profanas applicarentur, Episcopatus, Parochiæ, & alia beneficia frequenter quodam veluti hæreditatis jure ad filios Sacerdotum deferrentur, aut saltem Ecclesia Ministrorum suorum, tanquam bene meritorum, relictam prolem magno suo gravamine alere teneretur: Qua ratione proventus Ecclesiæ distraherentur, nec sufficerent ad tantum Ministrorum numerum alendum, qui populo Christiano instruendo, ac pascendo necessarius est.

5 In nulla unquam Ecclesia Catholica permissum fuit, ut Presbyter, aut Episcopus uxorem duceret. Signate loquor de Sacerdotibus; nam Diaconis quibusdam in locis permissum olim id fuit.

6 Presbyteri, & Episcopi conjugati lecto, & cella separati ab uxoribus in continentia vivere debebant secundum antiquos Canones.

7 Episcopæ, Presbyteræ, Diaconissæ olim a maritis suis dicebantur, a quorum tamen consortio conjugali abstinebant.

8 Falsum est, in Concilio I. Nicæno conjugii usum Sacerdotibus permissum fuisse: Si enim in Concilio Nicæno, cujus semper tanta authoritas fuit, tale aliquid decretum fuisset, quomodo fieri potuisset, ut Patres, & Ecclesiæ id ignorarent, & postea tam in Oriente, quam Occidente plurimis Conciliis conjugii usus Sacerdotibus tam severe interdiceretur, & quidem cum protestatione, esse hoc secundum priscos Canones?

9 Introducta ab Orientalibus consuetudo, ut Presbyteri uxoribus, quas ante duxerant, uti possint extra tempora vicis ministerii sui, neque rationi, neque SS. Canonibus consentanea est: Quia usus conjugii non satis convenit cum Altaris ministerio. Bonum enim est, frequenter, imo quotidie, Sacrificium DEO Patri offerri a Sacerdotibus; quod non satis reverenter, ac congrue ab iis fit, si conjugis carnalis commixtioni serviant.

10 Sacerdotes concubinarii suspensi non sunt ipso Jure novo, sed canonice puniendi sunt, si post monitionem non abstinuerint.

CAPUT XII.

De Tonsura Clericorum, & Sacerdotum unctione.

1 TOnsura Clericorum, & Monachorum est res antiquissima, a S. Petro Apostolo originem trahens. Ejus mysticæ significationes plures afferri solent. I. Propter memoriam Coronæ spineæ Christi, & ad irrisiones prompto animo ferendas. II. In figuram Regni Ecclesiæ. III. Ad resecanda vitia.

2 Tonsura Clericorum, & Monachorum olim non novacula, sed forfice fieri debebat; neque licitum erat illis comam nutrire. Sed in omnibus consuetudo patriæ servanda est.

3 Neglectus tonsuræ, & Habitus in Clerico sæculari non est mortale, si absit contumacia, & contemptus, & non nimius, ac inusitatus neglectus sit. Spectanda est in hoc etiam cujusque Diœcesis consuetudo.

4 Unctio Sacerdotum est accidentalis quædam cæremonia, eaque antiquissima; quippe cujus mentionem faciunt S. Dionysius Areopagita, Pacianus, Gregorius, Basilius Imperator.

CAPUT XIII.

De Sacris Benedictionibus.

1 BEnedictio (precatio alicujus boni) duplex est; publica, & privata. Hæc a quovis fideli fieri potest; illa ab Ecclesiæ Sacerdotibus.

NB. Ad majorem, seu sanctiorem pertinet, alteri benedictionem privatam impertiri; cum Deus deprecationem peccatoris pro alio fusam non ita exaudiat, sicut deprecationem sancti, & justi.

2 Semper in Ecclesia viguit consuetudo signandi se figura Crucis. Ita testatur Tertullianus, Lactantius, S. Antonius, Cyrillus, Chrysostomus, Hieronymus. Consuetudinem autem orandi manibus in Crucis formam expansis leges apud Eusebium.

3 Publicarum benedictionum (quæ sunt ritus quidam, seu formulæ orationum, a Ministris Ecclesiæ ex ejusdem institutione super personis, aut aliis rebus sensibilibus pronuntiari solitæ, ad impetrandum hominibus divinæ gratiæ auxilium, a malo dæmone liberationem, peccatorum remissionem, & alia Dei dona) effectus non est ex opere operato infallibilis propter defectum specialis Dei promissionis; sed per modum deprecationis, nomine Ecclesiæ Deo gratæ, maximam impetrandi vim habent.

NB. Benedictionum legitimum ritum confirmare possumus ex perpetua praxi Ecclesiæ, quæ haud dubie ab Apostolorum institutione initium sumpsit; tum ex facto Christi, panes ante multiplicationem benedicentis, Luc. 9. tum ex verbis S. Pauli 1. Timoth. 4. *Omnis creatura Dei bona est, & nihil abjiciendum, quod cum gratiarum actione percipitur: sanctificatur enim per verbum Dei, & orationem.*

4 Benedictiones Ecclesiasticæ aliæ sunt personarum, V. C. Abbatum, virginum, viduarum, sponsorum, populi. Aliæ rerum inanimatarum, aquæ, vini, olei, &c. inter quas hoc est discrimen, quod posteriores execrari possint, vel pollui, adeo, ut nova consecratione opus sit; priores non. Item aliæ benedictiones sunt constitutivæ, videlicet quibus res sacræ constituuntur, ut ad usum profanum sine irreverentia applicari non possint; cujusmodi sunt benedictiones olei, aquæ, vestium, Altaris, vasorum. Aliæ sunt invocativæ tantum, quibus res sacræ non constituuntur, neque ab usibus humanis secernuntur; ut benedictio domus, navis, ciborum, &c.

NB. Episcopi, & Abbates solum Dominicis diebus consecrari solent.

5 Quod Ecclesiastica benedictione sacrum effectum est, non potest, vel saltem non solet unquam ad profanos usus adhiberi, extra gravissimam necessitatem. Ratio: Quia Jus naturale, ac divinum postulat, ut sancta sancte, seu reverenter tractentur; sed calix V. C. consecratus, dum formam integram retinet, sanctificationem suam non amittit: Ergo contra Jus naturale, ac divinum erit, si profanetur. Nec Summus Pontifex potest licentiam dare, ut absque necessi-

necessitate ad humanum usum V. C. Calix consecratus adhibeatur, eum irreverentia sit, rem sacram, dum sacra manet, ad usum communem adhibere.

6 Partes avulsæ a re consecrata, destructa ejus forma, saltem cum Summi Pontificis licentia ad usus profanos adhiberi possunt, V. C. lapides, ligna Ecclesiæ, &c. Quia tunc talis materia desinit esse sacra. Quare idem sentiendum est de aliis rebus, quæ piis, & religiosis usibus inservierunt; cujusmodi sunt, Monasterium, Ecclesiæ utensilia, &c. idque cum Papæ dispensatione. Ligna tamen, & lapides possunt in necessitate de licentia Episcopi ad profanos usus applicari. Imo in Hispania talia ligna vendita fuisse sine licentia Episcopi, idque dissimulari potuisse, ait Navarrus.

7 Agnos cereos solus Pontifex consecrare potest pridie Dominicæ in Albis; reliquæ consecrationes, cum Chrismate fieri solitæ, propriæ Episcopis sunt.

8 De Ecclesiarum, & Altarium consecratione, atque unctione frequens mentio est apud SS. Patres, maxime Eusebium, Augustinum, Gregorium, Isidorum.

9 Benedictiones Episcopales, V. C. Altarium, vasorum, Ecclesiæ, requirunt, ut Episcopus consecratus sit. Potest tamen Papa dispensare, ut etiam a simplici Sacerdote fiant. Et Abbates quidem per præscriptionem consecrant Calices.

10 Vestes, & paramenta sacra Altaris a simplici Sacerdote benedici non possunt sine privilegio Sedis Apostolicæ, quod habent Superiores quidam Regularium. Abbates quoque, qui Pontificalia exercent, talia benedicere solent.

11 Benedictiones, quæ nec jure, nec consuetudine Episcopis reservatæ sunt, a Presbyteris fieri possunt, sed nunquam a Diacono. Quare, si Diaconus, quamvis jubente Sacerdote, aquam V. C. benedicat, irrita est benedictio, quia non facta ab habente potestatem.

12 Benedictio aquæ multiplex est. Primo: Aquæ, & salis pro Altaris consecratione; & illa pertinet ad Episcopum. Secundo: Aquæ baptismalis, quæ ad Presbyterum pertinet; uti & aqua benedicta diebus Dominicis, quæ Benedictio constituta est ab Alexandro, Papa V. a B. Petro, ad conspergendum populum, & habitacula eorum.

13 Si aqua, vel oleum non benedictum infundatur benedicto, totum benedictum erit, modo id, quod additur, non sit in quantitate notabiliter excedente. Contrarium tamen sentit Angelus, sed minus probabiliter: Quia Regula illa, quod *sacrum tanquam dignius trahere debeat ad se non sacrum*, cessare videtur, si non sacrum copiosius sit; alioquin, si guttam aquæ benedictæ fonti, aut puteo injicias, tota benedicta erit; quod & fidelium persuasioni, & Prælatorum Ecclesiæ voluntati repugnare videtur.

§. Unicus.

De Abbatibus, eorumque Benedictione.

14 Abbates alii sunt sæculares, qui Collegiatis Ecclesiis Canonicorum sæcularium, alii Regulares, qui Monachorum Conventibus præsunt. Horum alii infulati sunt, qui Insignibus Pontificalibus utuntur; alii non infulati, qui solum pastorale pedum gerunt. Deinde alii exempti a jurisdictione Episcopi; alii non exempti.

15 Ad Abbatis creationem tria concurrunt. I. Electio a Capitulo, seu Conventu per vota secreta, & eligendus debet esse annorum 25. & Sacerdos, vel intra annum sacerdotium accepturus. II. Confirmatio, per quam jus plenum acquiritur administrationis, & jurisdictionis exercendæ. Exemptus confirmandus est a Papa, vel a Legato a Latere; non exemptus ab Episcopo. III. Benedictio, seu Consecratio, per quam veluti spirituale matrimonium, quod inter ipsum, & Ecclesiam ejus electione inchoatum, ac confirmatione ratum erat, magis adhuc consummatur. Quare

16 Abbas confirmatus, aut benedictus, licet ad Episcopatum eligi possit, tamen transire illi non licet absque Superioris licentia.

17 Benedictio Abbatis ab Episcopo fit assistentibus duobus Abbatibus; quanquam consuetudo permittat, ut a tribus Abbatibus benedictio conferatur.

NB. Benedictio Abbatis potius ad solemnitatem spectat, quam ad substantiam, adeo, ut quibusdam casibus etiam sine accepta benedictione, quæ Ordinis sunt, exercere possit.

18 Abbas nomine Conventus non comprehenditur in odiosis: At in favorabilibus, V. C. privilegiis, comprehenditur; nisi ex adjunctis contraria mens concedentis appareat.

CAPUT XIV.

De Exorcismis.

1 Exorcismus est sermo increpationis per modum imperii, & adjurationis contra spiritum immundum, ad fugandum illum per virtutem Crucifixi.

2 Exorcismi in veteri Ecclesia usitatissimi fuerunt. Testatur id Justinus Martyr, Tertullianus, Cyprianus.

3 Res etiam inanimatæ quodammodo adjurari possunt, idque duobus modis. *Primo*: Ut adjuratio directe referatur ad Deum per modum obsecrationis, ad creaturam vero per modum imperii, quatenus necessario subditur motioni Dei Creatoris. Sic Christus Matth. 8. imperavit ventis, & mari. *Secundo*: Ut adjuratio directe tendat ad diabolum per modum imperii, ut ab hac, aut illa creatura, hoc, vel illo loco abscedat, vel accedere non præsumat. Et iste est proprie dictus Exorcismus, quo utimur V. C. in benedictione aquæ, salis, ita, ut eodem opere per Crucem, & merita Christi arceamus diabolum ab omni machinatione circa tales creaturas, & per usum earundem Dei circa nos auxilium, & protectionem impetremus. Huc etiam spectat Exorcismus tempestatum; item contra animalia venenosa.

4 Exorcismi ad pellendos dæmones ex corporibus obsessorum *semper* in Ecclesia usitati fuerunt; ut videre est in Concilio Carthaginensi IV. Can. 7.

5 Minister Exorcismos adhibens præparatus esse debet, & multa observare, ut bonus effectus sequatur. I. Ante omnia diligenter examinandum est, an homo vere a dæmone obsessus sit, ne frustra remedia Ecclesiæ adhibeantur ad alios fines, & effectus, quam ordinata sunt.

II. Si constet, hominem esse obsessum, Exorcista debet se munire scuto fidei, Ephes. 6. Matth. 17. Deinde pura conscientia, orationibus, & jejuniis per aliquot dies se exercere, sciens, quod sine ejusmodi præparationibus sæpe parum, aut nihil effecturus sit, juxta testimonium Christi Marc. 9. *Hoc genus in nullo potest exire, nisi in oratione, & jejunio.*

III. Personas, quæ dæmonis infestatione liberari desiderant, aut familiam, in cujus domo dæmonis præstigiæ advertuntur, serio hortetur, ut pœnitentiam, & Confessionem peccatorum instituant, orationibus apud Deum insistant, inque eum finem etiam alios pios, ac devotos Christianos tanquam comprecatores accersere potest; exclusis tamen ignotis, iisve, qui curiositatis gratia adventare videntur.

6 IV. Exorcismos non quoslibet, sed approbatos ab Ecclesia usurpare oportet; siquidem orationes, proprio ingenio compositæ, suspectæ esse solent, & non tam efficaces, quam si Ecclesiæ authoritate, & jussu instituantur. Quod si etiam Exorcista nihil efficiet, nihil ideo animo commoveri debet, sed consolari afflictos, ejusmodi molestias, ac detrimenta permitti a Deo, quia secundum sapientissimam ejus providentiam non expedit tolli, & ideo etiam, ut ad divinum auxilium, a diabolo diutius afflicti, majore fide, & animi fervore accurrant.

7 V. Dæmon non per modum obsecrationis ut aliquid discatur ab illo, sed per imperium pellendus est Exorcismis; alias est mortale: Quia cum dæmone, Christi, & humani generis hoste, nullum societatis cujuscunque colloquium, aut commercium instituere licitum est, sed tantum ut hostem eum persequi per modum imperii, coactionis, expulsionis. Neque ad vana, aut curiosa edicenda diabolum adjurare oportet, sed solum ad ea, quæ ad rem pertinent, videlicet de numero, nomine obsidentium, de tempore, quo ingressi sunt, & de causa ingrediendi, & aliis hujusmodi. Quibus autem sacris verbis, aut signis viderit Exorcista dæmonem magis urgeri, iis magis, ac crebrius instet; si autem viderit, obsessum aliqua parte corporis commoveri, pungi, vel tumorem apparere, ibi Crucis signum, & aquam benedictam, quæ semper in promptu esse debet, adhibere non intermittat.

Regulæ in praxi observandæ.

Superfedeo ab assignando regulas, quas exorcista debet in praxi observare; nam facile eas legere poterit in Rituali Romano, quod unicuique adamussim in laboriosa exorcizandi munere se exercenti, sequendum suadeo, relictis pluribus aliis libellis, qui si rigorosæ Theologorum Censuræ subjiciantur, forte non omnia in eis Veritati consona reperientur: sicut & quædam alia in iis considerare erit, quæ non omnem in exorcizando debitam decentiam præseferunt.

Unicam regulam hic appono; nam, ut dixi, facile ex dictis Exorcista, quæ facere, quæ cavere debeat, addiscet. Unicam autem hanc regulam desumo ex Vita S. Philippi Nerii *lib.* 3. *cap.* 10. *num.* 15. qui difficiliter permittebat suis Pœnitentibus adjurare. Idem ex ipsius monitis, Sacerdotibus, maxime nondum provectæ ætatis, & probatæ virtutis, quantum possum suadeo. Facillime hos nimis credulos videas, quando revera dantur multæ fœminæ; quas fortasse etiam jurejurando affirmarent arreptitias, ex fine non recto tales se esse simulare, vel tales credi ex pessima humorum qualitate. Interea frequentissime, & diu eas in Confessionario alloquuntur; non raro etiam domi invisunt; & si pauperes sint, copiose eleemosynis sublentant. Hæc omnia fovent familiaritatem, & quemdam affectum saltem sensibilem: quid ergo non timendum de Sacerdote juvene, & inexperto, cui notæ non sint mulierculorum artes, & Dæmonum insidiæ? Et quid, si superbia turgeat; si orationi, & carnis macerationibus, quibus armis Dæmon superatur, parum sit addictus?

TRACTATUS X.

De Matrimonii Sacramento.

PARS PRIMA.

De Sponsalibus.

CAPUT PRIMUM.

De Constitutione Sponsaliorum.

1 Sponsalia a spondendo dicta sunt, teste Ulpiano; quia moris erat veteribus Romanis, ut puellam is, sub cujus cura, & potestate erat, sponderet alteri uxorem dare: Quare ille *Sponsor*, hæc *Sponsa* appellata fuit, & it, cui desponsatio facta, *Sponsus*. Sunt autem sponsalia alia *de præsenti*, quæ non differunt a matrimonio rato, & nondum consummato; alia *de futuro*, quæ definiuntur, *Promissio mutua futurarum nuptiarum*. Quæ posterior acceptio magis propria est, ideoque Sponsorum nomine ferme in Jure utroque ii intelliguntur, qui matrimonium non contraxerunt, sed promiserunt. In dubio tamen in favorabilibus nomine Sponsæ etiam intelligitur uxor; non autem in materia odiosa. Quod si in aliqua dispositione Juris fiat mentio mariti, & uxoris, intelligi debet de iis, qui jam matrimonium contraxerunt. In materia tamen favorabili nomine mariti, & uxoris intelliguntur etiam sponsi de præsenti ante matrimonii consummationem; non item in materia odiosa, nisi ex adjunctis aliud colligi debeat.

2 Sponsalia non debent numerari inter simplices promissiones, sed inter contractus, qui ultro, citroque obligationem pariunt; ut patet ex Definitione. Hinc si Titius animo contrahendi sponsalia promittat nuptias Cajæ, hæc autem promissionem acceptet, sed sine proposito repromittendi, nec Titius, nec Caja ad nuptias obligantur in conscientiæ foro. Quod Caja obligationem non contrahat, clarum est; quia *actus agentium non operantur ultra intentionem eorum*. Caja autem, ut dixi, non voluit se obligare Titio, sed tantum Titium promittentem sibi obligatum habere. Neque etiam Titius obligatur; quia *verba contrahentium accipienda sunt secundam naturam contractus*. Sponsaliorum autem contractus respectivus est, & reciprocus, sicut ex ejus Definitione constat; ideo sponsionem continet non simplicem, sed virtute conditionatam: *Promitto, si tu repromiseris*. Quare dicere solent Doctores, quod *sponsaliorum contractus claudicare non potest*, videlicet ex una tantum parte contrahentium obligare. Dixi autem supra: Si Titius promittat *animo contrahendi sponsalia*. Sin vero absoluta, & gratuita promissione se obliget Cajæ ad ducendam ipsam, si aliquando voluerit, hancque promissionem Caja acceptet, nihil vicissim promittens, solus Titius obligatus erit: Sicut si quis alteri promittat equum tanto pretio venditurum, quandocumque intra annum ipsi emere libuerit, non erit quidam hæc pactio reciprocæ venditionis, & emptionis, sed simpliciter, & absolute in conscientiæ foro obligans promittentem, ut datam fidem servet.

NB. Si quis promittat puellæ, se aliam non ducturum, nisi ipsam, non est hæc obligatio sponsaliorum; oritur tamen inde obligatio conditionalis, ut vel hanc ducat, vel nullam: Sicut si quis promittat, se non alienaturum fundum extra familiam.

3 Sponsaliorum contractus, quamvis privatim, & sine testibus peractus sit, sub peccato mortali obligat promittentes; in ordine tamen ad forum externum requiritur probatio per testes, aut in defectum plenæ probationis juramentum, si deferatur; ut dixi Lib 4. Tract. 3. C. 5. Probatur Assertio. Nam omnis obligatio descendens ex reciproco contractu justitiæ est, ideoque sub mortali culpa obligans, si materia gravis sit, tantæque obligationis capax, ut in proposito.

4 Judex Ecclesiasticus a sponsalibus absque causa justa recedere volentem post Canonicam monitionem etiam Censuris ad nuptias compellere debet, juxta illud: *Puella prius monenda, postea cogenda est*. Ratio: Quia solus Papa, tanquam supremus spiritualis Princeps, per plenitudinem potestatis ex gravi causa dispensare potest in sponsalibus, non item Episcopus; cum talis dispensatio cedat in præjudicium tertiæ personæ: Quapropter ad Episcopum tanquam Judicem ordinarium in hujusmodi causa matrimoniali pertinet, parti postulanti jus dicere, & consequenter alterum, sententiæ parere pertinaciter renitentem, spiritualibus pœnis, seu Censuris compellere: Quæ licet maxime locum habeant, cum sponsalia jurata sunt, vel sponsa sub specie matrimonii corrupta; tamen etiam sine his compelli debet ad pactum sponsaliorum servandum, dummodo Ordinarius hac ratione spontaneum nuptiarum consensum se impetraturum speret; Sin minus, satius est, minus malum violatæ promissionis permittere, ut majus malum coacti matrimonii vitetur, atque Censuris supersedere, ubi nulla spes correctionis, & fructus affulget. Quo modo intelligi, & conciliari potest cap. requisivit, de sponsalibus, ubi dicitur: *Cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius* (puella) *quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus frequenter habere*. Id etiam observandum est in sponsalibus juratis. Imo addit Sanchez: Si Ordinarius post latam in hoc casu Excommunicationem videat sponsum pertinacem manere, quod denique eum absolvere debeat, quamvis non petentem.

5 Posteriora sponsalia contra priorem fidem inita, tametsi jurata, valorem nullum habent: Quia *juramentum non est vinculum iniquitatis*; sponsalia autem posterius inita iniquam promissionem continent: Ergo non firmantur juramento. Idemque sentiendum est, etsi posteriora sponsalia copulam annexam habeant. Excipe: Si Concilium Tridentinum in tali loco non sit receptum. Nam secundum Jus antiquum, si quis sponsam carnaliter cognoscat, censetur id agere affectu non fornicario, sed maritali, ideoque matrimonium clam consummare velle. Porro, si priora sponsalia clam, posteriora autem coram Parocho, & testibus celebrata fuerunt, etsi, per se loquendo, prioribus standum sit, per accidens tamen, si sponsus intelligat, sibi, & priori sponsæ omni probatione destitutis, etiam oblato juramento, fidem in Consistorio habendam non esse, sed Censuris compellendum ad posteriorem sponsam cum sui infamatione &c. tali casu prior sponsa rationabiliter contenta esse, & suo juri cedere debebit. Denique, si ex violatione priorum sponsaliorum exiguum incommodum futurum sit, ut quia clam celebrata sunt; contra vero grave infamiæ damnum timeatur secundæ sponsæ, quæ priorum sponsaliorum ignara in copulam consensit spe matrimonii, præsertim si etiam prolem concepit. Nam tali casu deceptor ex justitia obligatus est, damnum mulieris avertere, quod alia ratione non potest, quam ducendo illam: Et cum hæc obligatio gravior sit, alteriusque rationis, quam obligatio priorum sponsaliorum, præferenda sunt posteriora sponsalia propter Regulam: *Si duo vincula disparis potentiæ incompossibilia contrahuntur, fortius repellit minus forte*. Quamobrem ad Judicem pertinebit, cognito periculo gravis damni, interdum compellere deceptorem ad secundam ducendam. Cum autem Judex per sententiam non possit priorem jure suo privare, sed solum declarare, jus ejus in tali caso per naturalem æquitatem cessare, consequens est, si talis causa manifesta sit, deceptorem id ipsum exequi posse in conscientiæ foro, etiam ante Judicis sententiam declaratoriam.

Illud

Illud vero certum est, quod sponsalia de præsenti, seu matrimonium ratum, quamvis injuste contractum sit, deroget prioribus sponsalibus de futuro. Ratio: Quia contractus matrimonii fortioris vinculi est, quippe corporis traditionem continens, quæ in sponsalibus non est. Etenim, si quis hodie uni equum vendidit, sed non tradidit, cras alteri non tantum vendidit, sed etiam tradidit, quamvis injuste, rata est posterior venditio, tribuitque possessori dominium: Ita similiter, si post sponsalia cum una contrahatur matrimonium cum altera, posterior contractus, quamvis iniquus, tamen validus est, quo per traditionem quasi dominium corporis conjugis acquiritur, ut proinde Regula Juris, *Qui prior est tempore, potior est jure*, intelligi debeat inter eos, qui simili jure, seu titulo nituntur, ut prior tempore posteriori præferatur.

6 Fornicatio sponsæ cum altero viro soluto adulterii crimen non continet, juxta l. inter. ubi dicitur, *adulterium proprie in nupta committi*; cum sit alieni thori violatio: Unde proles, ex tali sponsa nata, non spuria, sed naturalis censeri debet. Imo neque talis fornicatio fortasse mortalem malitiam sub genere injustitiæ, sed solum sub genere luxuriæ continet: Quia injuria, licet aliqua sit, non tamen tam gravis videri alicui potest, præsertim si sponsus cum altera fornicetur, ut ad mortale crimen adversus justitiam pertingat: Secus est, si fornicatio in publicam notitiam ventura, aut periculum sit prolis generandæ, cum dedecore, & contristatione sponsæ, quæ fortasse idcirco a sponsalibus resilire cogetur. Quod si fornicatio occulta sit, potest talis circumstantia reticeri propter authoritatem Doctorum, & etiam ideo, quia, ut dixi, injuria gravis non est.

7 Contractus sponsaliorum magnam animi libertatem requirit. Ratio: Quia sponsalia sunt via, seu præparatio ad matrimonium; ideo sicut Jura omnia matrimonii libertatem requirunt (cum alioquin infelices exitus sequi soleant) ita & sponsaliorum.

8 Pœna adjecta ei, qui a sponsalibus recesserit, solvenda non est, si sponsus justam causam resiliendi habeat: Secus esse videtur, si sine justa causa recesserit. Nam unica ratio, cur pœna, sponsaliorum contractui adjecta, irrita censeri debeat, tum Civili, tum Canonico Jure hæc afferri solet, ne matrimonii libertas impediatur; si autem aliquis nullam justam causam resiliendi habeat, imo mortaliter peccaturus sit, si resiliat, tunc minime censendus est, libertatem matrimonii contrahendi retinere, quam leges Christianorum tueri debeant: Ergo hodierno Jure non obstat libertati matrimonii, si pœna conventionali compellatur; cum etiam gravioribus pœnis, ac Censuris Ecclesiasticis compelli possit; ut supra dictum est. Adde, quod ad majorem firmitatem etiam arrhæ intervenire possint, ut resiliens sine causa etiam duplicatas restituere cogatur; sin vero justa causa a nuptiis resiliendi subsit, sufficiat reddere arrhas: Arrhæ autem habent rationem pœnæ in eo, qui sine causa resilit. Quod si quis juste resiliat, tunc adjectio pœnæ irrita censenda est.

9 Pactum lucrativum sponso ab altero contrahente adjectum, si cum ipso matrimonium contraxerit, tanquam Jure invalidum rescindi debet; sicuti habetur in l. si ita stipulatus, §. si tibi, ff. de verborum oblig. *Si tibi nupsero, decem dare spondes? causa cognita denegandam actionem puto*. Quia non, ut par est, mutuo spontaneo amore, sed ex libidine, ac turpi quæstu matrimonia tali modo comparari censentur: Quare promissio tanquam contra bonos mores rescinditur. Valet tamen talis promissio, si nomine dotis promissum videatur. Deinde irrita est tantum promissio, si fiat ab ipso contrahente: Secus, si ab alio quocunque; ut si Cajus Titiæ promittat, vel leget 100. si cum Sempronio contraxerit. Talis enim non turpis quæstus, sed liberalis donatio sub conditione censetur, per quam neque libertas matrimonii aufertur, cum non agatur de pœna damni, cujus metu aliquis ad contrahendum contra voluntatem induci posset, sed solum de non acquirendo lucro, per quod aliquis ad matrimonium allicitur.

10 Qui simulato animo matrimonium promisit, per se loquendo non est obligatus ad nuptias contrahendas: Quia promissioni defuit consensus. Debet tamen puellæ deceptæ, si damnum passa fuit, secundum justitiæ æqualitatem facere compensationem vel per pecuniam, vel ducendo eam in matrimonium, deposita simulatione, si persona gravem infamiam passura sit, quæ alio modo aboleri non possit.

11 Qui ficta promissione puellam ad copulam induxit; debet illam ducere: Quia mulier copiam sui corporis faciendo instituit contractum innominatum: *Do tibi corpus meum ea lege, ut postea mecum matrimonium contrahas*. Quare, si mulier ex sua parte promissum impleat, alter acceptare non potest, nisi ex naturali æquitate, & justitia contrahendo obligationem implendi etiam id ipsum, cujus causa altera pars impleverat: Quamobrem deceptor in omni foro ad id compelli potest. Limitant autem Doctores: Nisi tales promittentis, vel promissionis circumstantiæ sint, ut mulier deceptionem advertere debeat. Alioquin, si mulier non habeat occasionem suspicandæ deceptionis, sola status, seu conditionis disparitas deceptorem non liberat a matrimonio. Ratio: Nam, si talis promisisset ex animo puellæ inferioris conditionis, deberet ei fidem servare, per se loquendo: Ergo etiam tenetur, quamvis ficte promiserit, si conditionem copulæ carnalis acceptavit; id enim facere non potuit, nisi contrahendo obligationem vicissim implendi id, cujus causa mulier promissum suum implevit; etsi enim talis apud animum suum protestetur, nolle se sponsionem facere; tamen externa illa spontanea acceptatio copulæ, tali, & non alia conditione oblatæ, est contraria protestationi, eamque morali æquitatis ratione elidit. Alioquin in quovis oneroso contractu libera decipiendi facultas daretur: Ut si quis bona fide permutanti vaccam pro decem ovibus, postquam vaccam tali conditione datam accepit, & absumpsit, nolit deinde dare oves (quia non ex animo promiserit) sed aliam damni compensationem facere; profecto is neque in externo, neque in interno conscientiæ foro audiri debet, quando vaccam, tali, & non alia conditione datam, libere accepit, & absumpsit; ideoque alteri semper damnum injustum infert, nisi ei det ipsum, cujus causa promissum suum impleverat.

Notant tamen Lessius, & Vasquez. Si fictus matrimonii promissor deprehendat, mulierem virginem non esse, quæ virgo videbatur, non obligari ad nuptias, aut ullam aliam compensationem faciendam, per se loquendo. Si tamen sciebat, puellam corruptam esse, & nihilominus ei ficte matrimonium promisit sub conditione copulæ, ea impleta obligatus est.

12 Liberi a parentibus neque ad contrahendum cogi, neque a contrahendo impediri possunt. Est communis Doctorum Sententia, sumpta ex c. sufficiat, 27. q. 1. *Qui liberum habet arbitrium in electione propositi, sequi parentum non cogitur voluntatem*.

NB. Leges civiles contrarium docentes a Jure Canonico correctæ sunt. Unde etiam colligitur, quod irrita sit desponsatio, quam pater facit nomine filii puberis, aut impuberis absque libero ejus consensu expresso, vel tacito. Quod pater filium impuberem matrimonio tradere possit, & filios adepta pubertate implere debeat, ut dicitur c. 1. §. potest de despons. impub. id intelligitur ita, ut necesse sit, filium post ætatis pubertatem consensu suo illud ratificare.

13 Si pater pro filio, aut filia præsente, & non contradicente spondeat, censetur is consentire. In foro tamen conscientiæ non attenditur hæc præsumptio, si puella dicat, sibi non fuisse animum consentiendi, sed ob reverentiam, V. C. non fuisse ausam contradicere. At in foro externo probationibus, aut saltem conjecturis puella ostendere debet, se consensum liberum non præstitisse; alioquin cogetur matrimonium contrahere, ipsaque justæ Judicis sententiæ obtemperare debebit. Cavendum tamen est, ne ex matrimonio coacto infelices exitus sequantur.

NB. Quod ad Tutorem attinet, pro puella præsente, & non contradicente spondente, arbitror, etiam id locum habere, si talis persona sit, quæ in commodum, & favorem puellæ spondere videatur, ut, si ipsa contradicere nollet, aperte exprimere deberet, juxta ea, quæ dixi Lib. 1. Tract. 2. Cap. 3. num. 5.

14 Liberi quidem peccant, si parentibus insciis, & non consultis matrimonium spondeant: Quia parentum cura, & potestas postulat, ut sine eorum consilio nihil statuatur in re tanti momenti. Non tamen semper obligantur ad consilium, vel jussum sequendum: cum in contrahendo matrimonio sui juris, ac libertatis existant. Si parentes filios ab omni matrimonio avocare, vel impedire conentur cum periculo incontinentiæ, aut ad certum matrimonium cogere velint, tunc sequendi non sunt, nisi in casu speciali, V. C. ad graves inimicitias tollendas; dum-

modo

modo matrimonium honestum sit, & filius velit statum conjugalem amplecti. Quod si filii invitis parentibus contraxerint, nihilominus obligantur ad servandam fidem, & parentes, quia obligatio gravis est, si velint impedire, peccant mortaliter. Excipe: Nisi ex tali matrimonio scandala essent oritura, & dedecus familiæ. Idque etiam locum habet post contracta sponsalia; Quia promissio non obligat, quæ versatur circa rem illicitam, videlicet matrimonium cum scandalo, & peccato contrahendum. Quare locum habet Juris Regulæ 69. in 6. *In malis promissis fidem non expedit servari.*

15 Filia inconsultis, aut invitis parentibus nubens exhæreditari non potest, spectato communi Cæsareo Jure, cum non sit una ex caufis quatuordecim. Sed limitatur primo: Nisi *parentibus volentibus*, & non differentibus usque ad annum ætatis 25. *filiæ maritum dare, & dotem secundum vires substantiæ, illa non consenserit, sed luxuriosam vitam degere elegerit.* Secundo: Nisi absque parentum consensu mancipio nubat. Deinde per consuetudinem, vel statutum filia inconsultis parentibus nubens exhæreditari potest; idque in commissi criminis pœnam. Ratio est: Quod delicta, quæ in contrahendo matrimonio committi solent, etiam ad sæcularem Magistratum pertineat prohibere, & punire. Contrariam Sententiam amplexus est Sanchez propterea, quod talis pœna libertati matrimonii repugnare videatur. Sed respondetur, talem libertatem, quæ ad peccatum tendit, a Sacris Canonibus minime defendi.

16 Canonico Jure tam mas, quam fœmina ante expletum ætatis septennium ad sponsalia inhabiles censentur. Causa est: Quia ea ferme ætate rationis, ac liberi arbitrii usum consequuntur, ut voluntariam in se obligationem suscipere possint. Quapropter, si certis indiciis ostendatur, defectum ætatis malitia, & præcoci ingenio suppleri, valida sponsalia censeri debent: Sicuti & vice versa invalida sponsalia censentur, quæ post legitimam septennii ætatem celebrata fuerunt, si sufficientem rationis discretionem tunc abfuisse ostendi possit. Ratio est: Quia, cum de veritate constat, præsumptio, quæ ex ætate secundum Juris præsumptionem sumitur, merito cedere debet. Sponsalia tamen irrita propter defectum ætatis superveniente rationis discretione per ratificationem expressam, vel tacitam convalescunt.

17 Sponsalia ab uno, vel utroque impubere contracta partim rata sunt, partim non rata, sed suspensa. Rata sunt: Quia & impedimentum publicæ honestatis inducunt, & durante minore illa ætate a sponsalibus resilire non possunt. Suspensa autem sunt: Quia, quamprimum impubes annos pubertatis assecutus fuit, datur ei optio vel resiliendi, vel sponsalia ratificandi, seu expresse, seu tacite: Pubes autem, qui cum impubere contraxit, neque ante, neque post hujus pubertatem resilire potest, nisi alter pubes factus dissolutioni consentiat. Excipe tamen: Nisi ante legitimam ætatem se carnaliter cognoverint; tunc enim spectato Jure antiquo matrimonium consummare censentur; Jure autem novo sponsalia. Siquidem Canonico Jure pubes censetur, qui generare potest, etsi annorum numerum nondum impleverit. Præterea, si impubes pubertati propinquus sponsalia juramento confirmavit, resilire non potest adepta pubertate.

18 Matrimonium clandestine contractum post Concilium Tridentinum videtur habere vim sponsaliorum de futuro; cum ad horum valorem nulla testium solemnitas requiratur.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Cum inter Sponsalia, & Matrimonium multum temporis aliquando intercedat, Confessarius, seu Parochus moneant Sponsos retentos vacare debere orationi, eiusque pietatis operibus, ut ita dispositi accedant ad hoc Sacramentum recipiendum, ac Deum propitium habeant in oneribus matrimonii tolerandis: addendo insuper matrimonia, quibus via peccatis paratur, infelices exitus non raro habere. Id autem eo magis præstare debent quo magis tempus contrahendi matrimonii approximatur; unde S. Carolus in Instructionibus de Matrimonio hæc habet: „ Parochus agat omni cohortatione cum Sponsis, ut ad Matrimonii celebrationem non accedant prius, quam peccata diligenter confessi, Sacramentum Communionis sumpserint, saltem triduo ante Matrimonii consummationem: omnino autem & jejunio, & aliis piis præparationibus ad hujusmodi Sacramentum pura mente accedant.

II. Noret Confessarius, quod si aliquis ex Sponsis ficte promisit, vel nescisset ex promissione Sponsalitia oriri gravem obligationem, vel noluisset se obligare sub gravi, sed tantum ex quadam honestate, seu decentia, si postea cogeretur in judicio stare sponsalibus, posset etiam juramento affirmare se sponsalia non contraxisse; nam quocumque ex prædictis modis intervenerit promissio, non est vera promissio, adeoque nec ex ea consurgere potuerunt vera sponsalia. Inter signa, quibus dignoscitur aliquem noluisse se sub gravi obligare, non solum est, si responderet negative, interrogatus, an vellet sub gravi obligari, sed etiam si renueret promissioni addere juramentum, putando ita eludere gravem obligationem.

III. Ut Sponsi removeantur ab insimul peccando, in nostra Diœcesi *sub numer.* 10. sequens casus reservatur: *Copula carnalis actu consummata inter Sponsos de futuro.* Ad incurrendam autem istam reservationem necesse primo est copulam fuisse consummatam, hoc est, cum actuali pollutione intra vas Sponsæ. Deinde necesse est intervenisse vera sponsalia, neque fat est relie solum fuisse reputate, nam ex sponsalibus solum putative veris, non sequitur dari veros Sponsos. Demum oportet Sponsalia esse absolute, non conditionata; nam non dantur veri sponsi, nisi post adventum conditionis. Hinc non incurrerat reservationem, qui cognoscerat Bertam, quam promisit ducere sub conditione, quod consentiat in copulam. Ratio est, quia ante copulam ex defectu conditionis non erant adhuc absolute Sponsi, & solum tales facti sunt post ipsam copulam.

CAPUT II.

De dissolutione Sponsaliorum.

1 SPonsalia mutuo contrahentium consensu dissolvi possunt, etiamsi jurata fuerint. Prius probatur: Quia omnis res, per quas causas nascitur, per easdem dissolvitur. Et §. ult. tit. de Instit. Quibus modis tollitur obligatio. *Obligationes, quæ consensu contrahuntur, contraria voluntate dissolvuntur.* Excipe contractum matrimonii propter rationem Sacramenti. Posterius probatur. Quia juramentum sortitur conditiones actus, cui apponitur; sponsalibus autem (sicut & aliis promissionibus) hæc tacita conditio inest: Nisi postea remissa, aut mutuo consensu soluta fuerint. Quare juramentum, in favorem alicujus præstitum, ab eodem remitti potest.

2 Sponsalia solvuntur per Religionis ingressum secuta Professione: Cum enim matrimonium ratum ita solvatur, multo magis sponsalia.

3 Si unus sponsorum Religionem ingreditur, censetur renuntiare sponsalibus, ut alteri resilire statim liceat. Ratio: Quia sponsus ingrediendo Religionem ipso facto significat, se voluntatem mutasse, & sponsalibus renuntiare. Quod si exspectare malit, & alter, non secuta Professione, e Religione egrediatur, tunc egressus e Novitiatu cogendus est, ut sponsaliorum fidem olim datam præstet volenti sponsæ, & huc usque exspectanti.

4 Sponsalia per votum ingrediendæ, & profitendæ Religionis penitus solvuntur. Ratio: Cum enim sponsus licite Religionem quamcunque profiteri possit, sequitur, quod licite etiam Religionem, rescissis sponsalibus, vovere possit. Excipe: Nisi sponsa gravida facta sit; tunc enim votum, quatenus in sponsæ injustum detrimentum cedit, Deo gratum, atque obligatorium non est.

5 Post votum Religionis sponsalia valide celebrari non possunt: Cum Deo prius jus acquisitum in hominem transferri nequeat; unde per dispensationem Episcopi remitti potest votum. Moriente tamen sponsa vovens tenetur implere votum.

6 Sponsalia legitime contracta non videntur dirimi per subsequens continentiæ votum simplex: Cum tale votum Deo gratum non sit, quod in hominis injuriam cedit; sicut si quis Deo voveat equum, quem ante promiserat Sempronio, non valet votum, quatenus injuriosum est Sempronio. Dissolutis tamen sponsalibus votum Deo servandum est.

7 Nihilominus tutus esse videtur in conscientia, qui a sponsalibus, præsertim clam celebratis, sincero animo amplectendi statum perfectiorem continentiæ, resilierit; idque propter gravium Doctorum authoritatem.

NB. Quod si sponsalia palam celebrata fuerint, non potest sponsus propria authoritate resilire; Judex tamen debet esse contentus, si velit Ordinem Sacrum suscipere.

8 Qui post contracta sponsalia inscia, vel invita sponsa Religionem ingreditur, vel Ordinem Sacrum suscipit, obligatus esse videtur ad resarcienda illa damna, quæ ob eam causam passa fuit sponsa, V. C. in nuptiarum præparatione.

9 Qui voto continentiæ obstrictus matrimonium licite, vel illicite contraxit, a petitione debiti abstinere debet, priusquam ab Episcopo dispensationem impetret, quæ in hoc casu ob periculum incontinentiæ facile concedenda est. Quod si vovens dispensationem ante matrimonium non impetret, alter sponsus,

sus, intellecto ejus voto continentiæ, resilire potest; cum conditione illa, ut conjux ejus conjugii debitum nunquam petat, gravis videri possit.

10 Si sponsus, vel sponsa fornicationem committat, alter sponsus resilire potest: Quia sponsus sub ea conditione matrimonium promisisse censetur, si & altera contra fidem sponsaliorum non egerit. Nam alioquin fidem frangenti fides servanda non est.

NB. Sponsalia ista solvuntur ex parte, innocentis videlicet, non nocentis, ne ex iniquitate sua commodum ferat. Quare sponsus fornicarius ad nuptias compelli potest, si alter velit: Quia, *quod in gratiam alicujus conceditur, non est in ejus dispendium retorquendum*. regul. 61. in 6.

11 Si sponsa oscula, vel similes tactus impudicos ab altero viro admittat, possunt sponsalia rescindi; quia censetur vivere impudice, a quo proinde vir merito abhorrere incipit: Sed non vice versa ob sola sponsi oscula, vel tactus impudicos alterius fœminæ sponsa resilire potest; quia non propterea viro aliqua impudicitiæ infamia apud homines aspergi solet. Excipe: Nisi sint tactus frequentes, ut merito timeri possit, ne sponsam minus sit amaturus, aut fidem non servaturus. Quod si etiam sponsa post sponsalia vim passa sit ab altero, merito repudiatur: Quia sponsa notabiliter fit vilior, ut ab ea sponsus merito abhorrere incipiat, ne & ipse infamiam subire debeat. Secus, si in somno sit oppressa sine omni culpa; nam exinde sponsa tam magnum dedecus non contrahit.

12 Si uterque sponsorum fornicatus fuerit, non compensatur delictum delicto: Quia turpior censetur fornicatio sponsæ, quam sponsi. Et colligitur ex eo, quod filia luxuriose vivens ante ætatis annum decimum quintum exhæreditari possit non a matre, quæ in pari turpitudine est, sed a patre, etsi is impudice vivat: Quia turpitudo utriusque non censetur æqualis. Neque his obstat, quod de adulteriis dicitur, paria fornicationis delicta inter conjuges mutua compensatione tolli: Nam sponsaliorum solutio facilius permittitur, videlicet ob quamvis notabilem rerum mutationem; matrimonium non item.

NB. Si sponsi, aut sponsæ fornicatio occulta sit, & sponsalia coram Parocho, & testibus contracta, tunc sponsa privatim debet monere sponsum, adhibitis etiam parentibus, si opus sit, ut ipsam liberam pronunciet a sponsalibus, & quidem publice coram Parocho ratione scandali vitandi, suppressa tamen causa dissolvendi. Quod si sponsus monitus nolit sponsalibus renuntiare, & sponsa habeat oculatum testem fornicationis sponsi, propria auctoritate a sponsalibus resilire potest, quando putat, ob defectum plenæ probationis se in judicio nihil obtenturam esse. Si tamen crimen sponsi ad judicium deferatur, & semiplene, videlicet per unum testem, probetur, ordinarie non potest Judex sponsalia dissolvere. Quia unicus testis non sufficit, si agatur de alterius præjudicio. Si tamen sponsa ita comparata sit, ut difficulter a se ipsa consensum liberum in nuptias impetrare possit, ideoque infelices exitus, ac scandala timeantur, ad Judicis officium pertinebit, pro dissolutione sponsaliorum pronunciare: Quia minus malum, quale est præjudicium aliquod sponsi non plene convicti, permitti potest, ut evitetur majus malum, quod ex coacto matrimonio timetur.

13 Si sponsus post sponsalia in longinquam terram abeat, ut brevi tempore rediturus non censeatur, sponsa liberatur obligatione: Quia sponsus tam longe discedens juri suo renuntiare censetur. Excipe: Nisi ob justam causam necessariam discesserit, nullumque sponsæ incontinentiæ periculum, aliave matrimonii necessitas immineat; tunc enim gravis mutatio supervenit, ad quam sponsa non censetur se obligare voluisse.

14 Si sponsus ob causam voluntariam justam discessit, biennio exspectandus est, si intra Provinciam, triennio, si extra Provinciam moretur. Quæ juris Cæsarei decisio etiam in foro conscientiæ locum habet, hac tamen limitatione, quod Judex Ecclesiasticus, si incontinentiæ periculum sponsæ imminere videat, tempus moderari possit, eo quod interdum non expediat mulieri, ut tamdiu sponsum exspectet, ideoque, quia Canones ad salutem animæ attendunt, civiles vero leges præcipue ad publicam politiam, Judex Ecclesiasticus illud arbitrari debet.

15 Si sponsus in alienam terram (non studiorum causa) domicilium mutaturus se conferat, sponsa sponsalibus liberatur: Quia sponsa de futuro virum alio commigrantem, vel vagabundum sequi non cogitur, cum ad hunc eventum non se obligare censeatur.

16 Sponsalia solvuntur, si elapsus est terminus temporis, qui statutus erat ad obligationem finiendam, ita ut, nisi intra tale tempus nuptiæ celebrentur, resilire liceat.

17 Si unus sponsorum paratus fuit nuptias ante elapsum terminum celebrare, alter vero non paratus, tunc contractus sponsaliorum claudicat & manet obligatio tantum ex parte ejus, per quem stetit. Neque refert, tametsi is culpa vacet, si terminus finiendæ obligationis per modum conditionis, & non per modum pœnæ adjectus fuit. Regula illa Juris 66. in 6. sumpta ex l. in Jure civili, ff. eod. tit. (*Cum non stat per eum, ad quem pertinet, quo minus conditio impleatur, haberi debet perinde, ac si impleta esset*) locum habet in libertate promissa, in legatis, aliisque institutionibus, quibus favoris causa ita specialiter constitutum est, ideoque extendi non debet ad contractus.

Regula etiam illa 41. in 6. (*Imputari non debet ei, per quem non stat, si non faciat, quod per eum fuerat faciendum*) intelligitur de pœna conventionali, item de Juris, seu facultatis alicujus privatione, quæ per legem decreta est, nisi aliquid intra tale tempus fiat. V. C. Parochus, si justa causa impediatur, quo minus ad Ordinem Presbyteratus accedat, Parochia non privatur. Item *tempus* ad eligendum, agendum &c. lege definitum, *non currit legitime impedito*. Quamobrem, si ex verbis appareat, nuptiarum tempus in sponsalibus non ut puram conditionem adjectum fuisse, sed in pœnam ejus, per quem steterit, ut alter idcirco resilire possit, tum locus non erit dissolutioni, si nulla culpa intervenerit.

18 Notabilis mutatio superveniens justam dat causam sponsalia solvendi, V. C. si sponsus, aut sponsa morbum incurabilem, V. C. lepram, &c. contrahat, si oculi, aut nasi amissionem, &c. incurrat, præsertim sponsa; item, si alterutter sponsorum notabilem famæ, vel gravissimam bonorum jacturam patiatur, vel si graves inter sponsos, aut eorum parentes inimicitiæ incidant; præterea, si sponsa dotem promissam afferre non possit, &c. Ratio: Quia sponsalibus, quæ suapte natura, & Ecclesiæ praxi magnam animi libertatem postulant, ea tacita conditio inesse censetur; si res in eodem statu permaneant, seu notabilis rerum mutatio non incidat. Neque refert, etsi sponsalia jurata fuerint; nam juramentum sortitur naturam, & conditionem actus, cui adjungitur.

19 Tametsi tempore sponsaliorum extiterit causa, ob quam sponsalia displicerent (V. C. morbi contagiosi, æris alieni, infamiæ, violatæ pudicitiæ in sponsa, magnæ sævitiæ, crebræ ebrietatis in sponso) sed probabiliter ignorata ab altero sponso, ea cognita jus datur sponsalia rescindendi: Cum enim sponsaliorum tempore defectus non apparebat, perinde erat, acsi non esset; cum vero postea apparere incipit, perinde est, acsi de novo existat: Nam *paria censentur non esse, & non apparere*. Argum. l. in lege fundi, ff. de contrahend. emptione.

20 Si sponsus cognita causa a sponsalibus resiliendi sponsam carnaliter cognoscat, censetur renuntiare juri suo, & sponsalia ratificare. Quamobrem etiam sponsa non nisi sub tali conditione in copulam consentire censenda est, ideoque non audiendus sponsus, si postea resilire velit; sicut neque conjux, si cognito adulterio conjugis suæ ad eam accedat, divortium instituere permittitur. Necesse tamen est, ut dixi, sponsam scire, sibi jus resiliendi competere: Si enim nesciat, non potest ei renuntiare, aut sponsaliorum valorem ratificare velle; præterquam eo casu, si sponsus clare significet, tali animo se ad sponsam accedere, ut, tametsi jus sponsalia solvendi haberet, tamen ea rata esse vellet.

21 Sponsalia solvuntur per supervenientem affinitatem, spiritualem cognationem, vel simile impedimentum dirimens.

22 Si uxor, cum qua Titius contra fidem priorum sponsaliorum contraxit, moriatur, & prior sponsa in proposito suo permaneat, non videtur Titius obligatus ad eam ducendam: Cum obligatio semel extincta non reviviscat. Sponsalia autem per matrimonium cum altera contractum solvuntur: Quia obligatio

gatio fortior ſuperveniens extinguit obligationem præcedentem minus fortem, ſi obligationes ejuſdem rationis, & ordinis ſint: Quod dicitur propter votum ſimplex Religionis Ingrediendæ, quod per ſubſequens matrimonium non diſſolvitur, ſed differtur; quia diverſæ rationis eſt. Obligatus tamen eſt Titius ad compenſandum damnum Cajæ, quod illi intulit violando ſponſaliorum fidem; quod interdum alia ratione fieri non poterit, quam eandem in matrimonium ducendo, ut ſi eam violaverat.

23 Licet ſpectato jure communi, ſi cauſa diſſolvendi ſponſalia manifeſta ſit, Ordinarii conſenſus non requiratur; tamen ratione ſcandali, præſertim ſi ſponſalia publica ſint, in multis Diœceſibus obſervatur, ut neque liceat ſponſis a ſponſalibus publice notis recedere, niſi cauſa prius ad Ordinarium delata. Quam conſuetudinem approbat D. Thomas in 4. diſt. 27. qu. 2. art. 3.

Regula in praxi obſervanda.

I. Obſervet Confeſſarius ideo quandoque ſponſum, vel ſponſam ſponſalibus contractis renuntiare, quia ad id adiguntur precibus non raro importunis, vel factis a perſona, quæ inducat timorem reverentialem. Si hac ratione una pars inducatur ad renunciandum juri in ſponſalibus acquiſito, utique altera pars non poteſt in conſcientia aliam, vel alium ducere; nam hujuſmodi renunciatio non fuit ſufficienter libera. Id non tam raro in praxi evenit, adeoque bene notandum eſt.

II. Solet etiam accidere ſponſum aliquando pertæſum ſponſæ ducendæ, vel in longinquas regiones abire, ac reditum ex induſtria differre, vel irrationabiles dilationes apponere ad contrahendum matrimonium. Ita agendo intendit inducere ſponſam ad renunciandum ſponſalibus, ut ita ipſe in ſua libertate permaneat. At id omnino illicite fieri clarum eſt, neque revera in foro conſcientiæ ſponſum aſſequi propriam libertatem. Ulterius tenetur ad quodcumque damnum, quod ex hac agendi ratione ſponſa pateretur.

III. Confeſſarius ſemper vigilet, ne diuturnum ſit tempus ſponſalium, & quod cito matrimonium celebretur. Periculoſiſſima eſt ſponſorum converſatio, ac ſine peccato difficillime erit, ſi ſit diuturna. Hac ratione S. Carolus *in Conc. Med. 6. quæ ad matrim. pertin.* voluit cenſuris compeſcendos ſponſos, ne ante matrimonium *ullo quidem modo mutua conſuetudine, commercione utantur*. Alii item Præſules decrevere, ne poſt contracta ſponſalia ſponſus ad domum ſponſæ accedat. Alii conceſſere ſolummodo per tres vices tempore ſponſalium poſſe ſponſos ſe inviſere, & alloqui, & id per modicum tempus, parentibus tamen, ſeu conſanguineis præſentibus. Alii voluerunt intra ſex hebdomadas ad matrimonii celebrationem procedendum. Videatur Genet. *de Sacram. matrim. c. 1. q. 9.*

IV Quandoque etiam evenit in praxi ſponſum cum altera fornicati ipſique etiam matrimonium promittere. In hoc caſu Confeſſarius ſemper ſuadeat priori ſponſæ juri ſuo renunciare, & permittere ſponſo ducere eam, cum qua peccavit ſponſus: qui ita ſe gerit, peſſimam demonſtrat inclinationem, pravoſque mores, unde gratum debet eſſe ſponſa illum in plena libertate dimittere: quod ſi gravis diffamatio fœminæ violatæ immineat, puta ob impraegnationem, tunc ego ſine abſolutione dimitterem ſponſam, quæ ſine gravi ſuo incommodo poſſet cedere juri ſuo, & nollet; ita etenim, ni mea me fallat opinio, certiſſime obligant leges Charitatis.

V. Frequenter ob motivum diſſolvendi contracta ſponſalia adducuntur graves, & capitales inimicitiæ &c. oriturae inter Parentes, & Conſanguineos ſponſorum, multe minitantes ob tale impediendum matrimonium. Si, omnibus compenſatis, perſonæ prudentes judicent vere magna odia, & gravia ſcandala poſſe oriri, certe talia ſponſalia eſſent diſſolvenda. At bene advertendum in praxi ut plurimum gravia minitari, & ſcandala pariter magni fieri, ut ſponſi deſiſtant a matrimonio contrahendo; at videmus nil mali de facto oriri, ſi his non obſtantibus matrimonium contrahatur. Ob hæc igitur pericula ſcandalorum, diſcordiarum, &c. non facile pars, quæ non contradicit, certo jure, quod habet, privanda eſt.

VI. Sicut bene agunt Ordinarii diſpenſando a denunciationibus, quando Parentes, vel Conſanguinei injuſte contradicunt, ne malitioſe impediant matrimonium; ita male agerent ab eis diſpenſando, dum juſte contradicunt. Ratio eſt, quia cum in tali caſu Parentes jus habeant impediendi tale matrimonium, & implorare etiam Judicis authoritatem, jam diſpenſando a denunciationibus, ut ita matrimonium occulte contrahatur, læderetur jus eorumdem parentum.

VII. Cum pro certo teneam debere reſilire a ſponſalibus, qui habet occultum defectum, ex quo matrimonium reddendum ſit valde difficilius, deberent ex hoc capite quærere diſſolutionem ſponſalium ſponſi laborantes lepra, paralypſi, morbo gallico, vel alio contagioſo; habentes perditos mores ſine animo ſe corrigendi; laborantes ex aliquo delicto, vel alia ratione gravi infamia, quæ facile detegi poſſit, ſponſa ſterilis, prægnans ex copula cum alio habita. Quod ſi altera pars inſtet pro ſponſalium executione, & quæ habet aliquem ex his defectibus, alia via non poſſet a ſponſalibus reſilire, niſi illos manifeſtando, & aliunde manifeſtare non poſſit ſine graviſſimo periculo, ut ſi ſponſa ſine periculo vitæ manifeſtare non poſſet ſe laborare morbo gallico, vel eſſe prægnantem, tunc ratione juris fortioris conſervandi vitam videtur poſſe diſſimulare, & contrahere matrimonium.

Cum e contra ſponſi non teneantur reſilire a ſponſalibus propter defectus non reddentes valde difficile matrimonium, neuter ſponſorum tenebitur manifeſtare morbum gallicum, ſi talis ſit, ut poſſint perfecte ſanari, antequam contrahant matrimonium; nec pravos mores, ſi animum ſinceræ emendationis habeant, ſicut ignobilitatem, ſeu infamiam leviter tantum deturpantes honeſtam familiam. Item ſponſa non tenetur reſilire a ſponſalibus, quia ab alio fuit corrupta, quod tamen limitarem in duplici caſu, quando nempe juſte timeret poſt matrimonium detegendum ſuum vitium, & ex hoc graves jurgia, & odia oritura; nam tunc ratione charitatis deberet quærere reſciſſionem ſponſalium. Item quando ſponſa ſe fingendo virginem induxiſſet ſponſum ad fidem matrimonialem: is etenim tunc cogere vellet ad matrimonium, continuaret injuriam illi factam.

VIII. Inter excommunicationes, quæ in noſtra Diœceſi Archiepiſcopo reſervantur, hæc etiam habetur: *Sponſi de futuro ſub eodem tecto pernoctantes ſine noſtra, vel Vicarii Generalis licentia*. Finis hujus excommunicationis eſt removere, quod de ſue natura affert periculum peccandi, & quia de ſua natura tale periculum eſt in pernoctatione hic prohibita, ſequitur, etiſi per accidens reſpectu aliquorum ceſſet, nihilominus adhuc vigere hanc prohibitionem, ut dicimus alibi. Ita inciderent in hanc cenſuram ſponſi, qui ſimul pernoctarent, ſed cum aſſiſtentia domeſticorum ad periculum removendum. Item incidunt in cenſuram ſponſi in tertia domo pernoctantes, quia ſemper verificatur fieri, quod ſub cenſura prohibetur. Idem dicas de ſponſo, qui inſcia ſponſa in eadem domo pernoctat. Quod ſi etiam ſponſa ſciat, & non poſſit ſponſum ejicere, vel decenter, aut ſine gravi incommodo ad aliam domum pergere; immunis erit a cenſura, ut de ſe patet. Debet tamen itaque quantum poteſt, ut removeat peccandi periculum.

Cæterum ille in præſenti pernoctare diceretur, qui in domo ſponſæ veluti per totam noctem cohabitaret, non vero qui ibi degeret choreas ducendo, ſeu vacando ludis, aut confabulationibus; ita enim pernoctare ut ſæpe etiam evenit inter non ſponſos ex conſuetudine optima legum interprete, non cenſetur in præſenti prohibitum. Item pernoctare ſignificat fere totam noctem in domo ſponſæ cohabitare, unde non incideret in hanc reſervationem, qui duobus, vel tribus horis in nocte cum ſponſa cohabitaſſet, bene vero qui cum ea ita pernoctaſſet, ut ſolum diſceſſiſſet duabus, aut tribus horis ante auroram; nam ille pernoctaſſe moraliter diceretur. Addendum demum in litera textus ſub cenſura prohiberi pernoctationem ſub eodem tecto, pro quo intellige domum deſtinatam habitationi ejuſdem familiæ, non vero ſi ſponſus e. g. pernoctaret in Superioribus ejuſdem ædificii, & ſponſa inferioribus, quando ea quod diverſæ familiæ iis locis habitent, nulla eſt inter eas communicatio. Et ratio eſt, quia ſi nulla adſit inter hujuſmodi habitationes communicatio, non adeſt illud periculum, quod præſens cenſura intenditur prohibere, adeoque dicendum eſt ſub ea hunc caſum non comprehendi. Demum advertendum hanc cenſuram non habere locum, quoties ex cauſa vere juſta ſponſus in domo ſponſæ pernoctaret, & e contra; ut ſi ibi morbo corriperetur, unde non poſſet ſine gravi incommodo ad ſuam domum redire, vel ſi ingenti pluvia domum redire impediretur, quod accidere poſſet rure, dum ſponſi domus non eſſet valde propinqua domui ſponſæ. Hæc omnia de ſe patent.

Quia tamen in Synodo *p. 2. cap. 4. num. 16.* conceditur Parochis alterutrius ſponſi audientis ipſorum confeſſionem pridie, vel ipſa die, qua celebrandum eſt matrimonium, abſolvere ab hac cenſura, hinc conſurgere poteſt dubium, an ſub nomine Parochi veniat in præſenti rigoroſus Parochus, cui nempe ex titulo beneficii competat habitu, & actu exercere curam animarum, an vero etiam Cappellanus curatus, cui etiam de licentia ſui principalis competit generaliter adminiſtrare curam animarum. Ego autem omnino puto hujuſmodi facultatem reſidere etiam apud Cappellanos curatos. Ratio mihi eſt, quia etiam iſti in lata quadam ſignificatione dicuntur Parochi; & cum Synodus præfatam licentiam conceſſerit in favorem ſponſorum, ne ſcilicet cogerentur cum cenſura contrahere matrimonium, talis diſpoſitio venit late interpretanda, adeoque intelligenda etiam de Parocho, qui minus proprie ſit talis, ex dictis alibi. Præterea, dum conſtat de mente Legiſlatoris, recedendum eſt ab omnimoda rigoroſa ſignificatione verborum; atque de ejus mente hic potiſſimum conſtet ex motivo, ſeu ratione promulgandæ legis, quæ ipſius legis anima dicitur, ut conſtet ex dictis alibi. Cum igitur ratio impertiendi Parocho facultatem ſponſis a cenſura abſolvendi, ea fuerit, ne deberent contrahere matrimonium cum tali cenſura, oportet dicere talem facultatem etiam Cappellano Curato competere; cum etiam & coram ipſo frequenter contrahantur matrimonia; vel quia Parochus non vult intereſſe, vel quia abeſt, vel quia eſt infirmus, valde diminute providiſſent Epiſcopi ſupradicto inconvenienti, niſi etiam Cappellano Curato intellexiſſent licentiam prælatam abſolvendi concedere. Accedit quod, dum conceditur Parocho præfata licentia, non conceditur aliquod, quod ſpecialiter exigat induſtriam Perſonæ; qua ratione non ſoli rigoroſo Parocho poſſit competere; unde non habemus fundamentum dicendi eamdem licentiam non extendi ad quemcumque curam animarum exercentem.

PARS SECUNDA.

De Matrimonio ſecundum ſe.

CAPUT PRIMUM.

Quid, & quotuplex Matrimonium ſit?

1 MAtrimonium a præcipuo fine, qui eſt prolis generatio, nomen accepit: Dictum eſt enim, ait Gloſſ. inſtitut. de patr. poteſtate lit. O. *Quia mulier nubit, ut mater fiat*. Definitur vero, *maris, & fœminæ conjunctio, individuam vitæ ſocietatem retinens*. Senſus eſt, quod matrimonium ſit perpetua, & indiſſolubilis conjunctio, ſeu mutua obligatio viri, & mulieris, orta ex conſenſu eorum, verbis, aliiſve ſignis expreſſo. Ejuſdem obligationis meminit Apoſtolus 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat; ſimiliter*

liter autem & uxor viro. Cujus rationem subjungit: *Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir; similiter autem & vir sui corporis potestatem non habet, sed mulier*. Ubi notandum est, hanc potestatem in corpus conjugis esse quidem jus in rem, sed non proprie dominium; ne fateri cogamur, alterum alterius mancipium, seu servum esse. Est igitur jus utendi corpore conjugis ad opus generationis ad eum modum, quo alicui jus utendi alieno horto ad certum finem concedi solet. Dicitur vero in Definitione: *Individua vitæ societas*, id est, indissolubilis; idque ob commodum prolis generandæ, meliusque educandæ.

2 Triplex est matrimonium. I. Legitimum, quod legitimo consensu inter personas non impeditas constitutum est; quale etiam inter infideles esse solet. II. Ratum, quod in se includit legitimum, & addit rationem Sacramenti, per quam majorem firmitatem, & indissolubilitatem acquirit: Unde infidelium matrimonium dissolvi potest. III. Consummatum, seu carnali copula perfectum.

3 B. Virgo verum cum B. Josepho matrimonium contraxit, juxta Matth. 1. *Noli timere accipere Mariam conjugem tuam*. Nam licet B. Virgo continentiæ voto obstricta fuerit, tamen, cum consensus, & obligatio ad copulam sit de essentia matrimonii, dicitur B. Virgo consensisse in copulam carnis quoad potestatem, sive actum primum, non autem consensisse quoad actum secundum, seu actualem usum ejus potestatis. Etenim licet, quatenus erat ex parte contractus matrimonialis, quem vere cum B. Josepho iniarat, obligata fuerit ad reddendum debitum carnis, si ille exigeret; ex altera tamen parte ex certa Dei revelatione cognovit, B. Josephum hujusce debitum nunquam exacturum esse. Quare castissima Virgo, a voti sui violatione secura, volente, ac præcipiente DEO in conjugium consensit; sed in actualem ejus usum simpliciter, ac directe non consensit.

4 Si conjuges post legitimam in Religione Professionem carnaliter copulantur, sacrilegium committunt, sed non fornicationem. Hinc, si per dispensationem absolvantur a votis continentiæ, sine ulla nova pactione matrimonio uti possunt: Nam obligatio, sive vinculum matrimonii permansit radicaliter, sive quoad actum primum; licet per accidens impeditum fuerit quoad actum secundum.

CAPUT II.

De Matrimonio, quatenus est Sacramentum.

1 MAtrimonium in lege nova inter fideles est Sacramentum a Christo institutum. Dixi: *In lege nova*. Licet enim in veteri fuerit figura & sacrum signum; efficax tamen, ex opere operato sanctificantem gratiam conferens, non fuit, sicut in nova lege: Nam *gratia, & veritas per Jesum Christum facta est*. Joan. 1. Porro dixi: *Inter fideles*. Nam, qui fidem in Baptismo professi non sunt, nullius Sacramenti capaces sunt. Unde sequitur, si baptizatus cum Catechumena ex dispensatione Papæ matrimonium contrahat, neutra parte Sacramentum fore: Cum enim contractus matrimonii inter virum, & uxorem unicus sit, & Sacramentum unicum, significans unam conjunctionem Christi cum Ecclesia, sequitur, utramque personam Sacramenti capacem esse oportere; quemadmodum & utraque persona ad contrahendum habilis esse debet. Nunc probatur Assertio primo ex Apostolo ad Ephes. 5. *Sacramentum hoc magnum est; ego autem dico, in Christo, & Ecclesia*. Quare paulo ante dixerat: *Viri, diligite uxores vestras, sicuti & Christus dilexit Ecclesiam, & seipsum tradidit pro ea, ut illam sanctificaret*. Cum igitur Deus instituerit, ut per matrimonium propter mutuam conjugum dilectionem significaretur spiritualis unio, atque dilectio, quæ est inter Christum, & Ecclesiam, convenienter sequitur, eum etiam instituisse, ut matrimonium contrahentibus spiritualis gratia conferretur, sine qua recta, & debita animorum conjunctio consistere nequit. Probatur secundo. Nam Christus Matth. 5. & 19. matrimonium ad primævam originem revocans, unius cum una perpetuum, & indissolubile corporum, atque animorum vinculum præcepit: Esset autem hoc jugum in nova lege persistendi cum conjuge etiam sterili, morbida, &c. valde grave, nisi idem Christus Dominus gratiæ promissionem annexuisset ad onera matrimonii sustinenda, mutuum amorem fovendum, concupiscentiæ fomitem extinguendum, liberos in cultu Dei educandos, &c. Tertio probatur ex Apostolo, qui 1. Cor. 7. permittit in certo casu dissolutionem matrimonii fidelis cum infideli. Sed fidelibus ita loquitur: *Iis, qui matrimonio juncti sunt, præcipio non ego, sed Dominus, uxorem a viro non discedere* (sine justa causa); *quod si discesserit* (ex quacunque causa) *manere innuptam, aut viro suo reconciliari*. Hujus vero discriminis non alia ratio afferri potest, nisi quod matrimonium fidelium ratione Sacramenti majorem ex Christi institutione firmitatem obtineat. Deinde probatur ex testimoniis SS. Patrum, Ambrosii, Augustini, Cyrilli.

2 Ipsi conjuges sunt hujus Sacramenti ministri, & non Sacerdotes. Probatur. Minister cujusque Sacramenti dicitur is, qui verborum formam profert, quibus Sacramentum perficitur; verba autem, quibus matrimonii Sacramentum perficitur, conjuges proferunt, sive per se, sive per procuratorem, nuntium, epistolam: Ergo. Confirmatur. Nam ante Concilium Tridentinum ad matrimonium non requirebatur Sacerdos: Ergo Sacerdos non est minister.

NB. Ratio Sacramenti ex Christi institutione adeo annexa est matrimonio, ut ab eo separari non possit: Quare, quicunque ex baptizatis matrimonium contrahere volunt, etiam virtualiter Sacramentum accipere intendunt. Contra vero, si nollent, absolute loquendo, Sacramentum recipere, consequens esset, ut neque matrimonium contrahere intenderent, ideoque contractus irritus esset. Dico: *Si absolute nollent*; propter hæreticos, qui nolunt Sacramentum suscipere ex hypothesi erroris speculativi, quia falso existimant, non esse Sacramentum, interim tamen volentes matrimonium contrahere, sicuti fideles solent, & in Ecclesia Christi consuetum est.

3 Materia Sacramenti matrimonii sunt corpora conjugum invicem tradenda; forma vero sunt verba contrahentium conjugum. Probatur. Cujusque contractus materia dicitur ea res, quæ in commutationem venit, sive de qua contractus instituitur; atqui matrimonii contractus est de corporibus viri, ac fœminæ inter se tradendis: Ergo hæc sunt materia contractus matrimonii.

4 Matrimonium non tantum est Sacramentum, cum fit, sed etiam factum manet; quemadmodum Sacramentum S. Eucharistiæ. Nam sicut peracta verborum consecratione circa materiam panis ipsæ species manent externum symbolum sacrum internæ spiritualis refectionis, ideoque pars Sacramenti materialis; sic etiam peracta verborum conventione circa corpora conjugum ipsi conjuges inter se in perpetuum copulati manent externum spirituale symbolum perpetuæ conjunctionis Christi cum Ecclesia.

NB. 1. Corpora conjugum sunt pars Sacramenti, non quatenus est in fieri, sed quatenus est in facto esse. Nec dicimus, corpora conjugum esse partem contractus matrimonii.

NB. 2. Præterea conjuges sunt ministri Sacramenti, quatenus verbis expressis inter se dant corporum potestatem; suscipientes vero, quatenus corporum potestatem inter se accipiunt; materia denique sunt eorundem conjugum corpora inter se tradenda. Cum enim Sacramentum matrimonii in contractu naturali fundatum sit, mirum non est, multa peculiaria habere, quæ in aliis Sacramentis simili modo non reperiuntur.

5. Mutus, & surdus a nativitate, si rationis compos sit, a matrimonii Sacramento prohiberi non potest: Quia, *quod verbis non potest, signis declarare valet*. Quod si simul etiam cæcus sit, matrimonium contrahere non potest, nisi, antequam cæcus factus esset, noverit, quid esset matrimonium.

NB. Fatui, seu perpetuo amentes admittendi non sunt, nisi lucida intervalla rationis habeant. Quamvis etiam tunc a matrimonio contrahendo arcendi essent, si periculum sit, ne furoris tempore prolem conceptam, vel matrem enecent.

Regula in praxi observanda.

I. Advertat Parochus, quod etsi Matrimonium nutibus clare designantibus consensum contrahi posset, nihilominus a Rituali Romano præscribitur, ut si contrahentes muti non sint, debeat ab ipsis exigere, ut verbis suum consensum manifestent: nimis etenim refert, ut clarissime constet de ipsius validitate, & nil contra ipsum opponi valeat.

CAPUT III.

De Matrimonio Infidelium, quorum unus, vel uterque ad Fidem convertitur.

1 LIcet in primitiva Ecclesia ob Fidem propagandam consultius visum sit Apostolo 1. Cor. 7. ut conjux ad Fidem conversus cohabitet cum conjuge infideli, si is sine Creatoris contumelia, & inductione ad peccatum cohabitare velit; postea tamen crescente Fide, & numero fidelium visum fuit Ecclesiæ, ad cavenda perversionis pericula, aliaque incommoda, universim prohibere cohabitationem conjugis fidelis cum infideli, si is ad Fidem pariter se convertere recuset. Quare testantur Doctores, cum Romæ Judæus, vel Judæa ad Fidem Christianam convertitur, quadraginta dies assignari ejus conjugi ad deliberandum; his elapsis, si conversionem respuat, etsi absque Fidei injuria cohabitare vellet, separationem instrui quoad thorum, & cohabitationem.

2 Non ideo statim matrimonii vinculum solvitur, quod unus ad Fidem Christi convertatur, & alter converti, aut sine Creatoris contumelia cohabitare recuset. Probatur ex c. gaudemus, de divortiis, ubi definitur: Si marito ad Fidem converso postea etiam uxor convertatur, cogendum esse virum, qui ad alias nuptias non transierat, recipere uxorem suam: Non posset autem cogi, si matrimonii vinculum ante solutum fuisset (*a*).

„ (*a*) Hoc ipsum mirifice confirmat epistola Bene„ dicti XIV. *Postremo mense* Bullar. t. II. n. 18. in qua „ declaratur conjugium infidelium in infidelitate con„ tractum non statim resolvi, ex quo alteruter conju„ gum baptizetur, & alter nolit, sed tunc cum ba„ ptizatus ad altera vota transit.

NB. 1. Si uxor infidelis, marito ad Fidem converso, alias nuptias celebravit, ille autem postea ad infidelitatem revertatur, restituenda est ipsi uxor sua, si aliam post Baptismum non duxit. Quia alterum matrimonium, nondum soluto priore, ab uxore invalide contractum est, propterea quod facultas solvendi matrimonium per transitum ad alias nuptias a Christo Domino concessa sit in gratiam conjugis fidelis, non infidelis. Quamvis in hoc casu dispentatio fieri potest; cum matrimonium in infidelitate contractum perfectam Sacramenti rationem non participet.

NB. 2. Si uxor infidelis, a marito ad Fidem converso separata, cum alio fornicetur, postea ipsa quoque convertatur, tametsi hoc casu vir eam repellere non prohibeatur propter violatam conjugii fidem, tamen neuter ad alias nuptias transire potest.

3 Si infidelis conjux sponte recedat, vel sine injuria Creatoris cohabitare non vult, alter ad Fidem conversus alias nuptias contrahere jure suo potest, quibus prius matrimonium penitus dissolvitur. Ita habetur in c. quanto, de divortiis.

4 Si infidelis cum fideli conjuge cohabitare cupiat sine fidei contumelia, quamvis Ecclesia propter perversionis periculum non permittat, ideoque probabile sit, conjugem conversum ad alias nuptias nihilominus transire posse, eo quod ratio, cur Apostolus in fidei favorem permittat conjugi conversæ aliud matrimonium contrahere, ne scilicet conjux fidelis servituti subjectus sit, si a conjugio non sine incontinentiæ periculo abstinere debeat, etiam locum habeat, quotiescunque infidelis post convenientem admonitionem ad Fidem se convertere recusat; tamen in hoc casu prius Sedes Apostolica consulenda erit, quam fideli permittatur transitus ad aliud matrimonium (*b*).

„ (*b*) Hunc ipsum casum excutiens Bened. XIV. de „ Synodo diœc. lib. XIII. c. XXI. §. 1. docet sacram „ Congregationem ea de re consultam decrevisse non „ posse conversum ad fidem aliam sibi conjugem ad„ sciscere. Monet ibi tamen cum Cabassutio hujus du„ bii solutionem petendam esse ex moribus regionum, „ & rerum circumstantiis.

5 Si alter conjugum in apostasiam labatur, neque nocenti, neque innocenti unquam licitum est, aliud matrimonium contrahere: Quia matrimonium inter fideles est ratum, ac indissolubile propter rationem Sacramenti.

6 Si ambo conjuges infideles Christi Fidem, & Baptismum suscipiant, eorum matrimonium fit ratum, & indissolubile. Ratio: Quia hoc ipso, quod post Baptismum consentiant inter se cohabitare, cumque consensum signo quocunque declarent, contractum antecedentem matrimonii confirmant, & ratificant, ipsique modo incipiunt esse sacrum symbolum conjunctionis Christi cum Ecclesia. Neque tamen assentior Thomæ Sanchez, dicenti, *eo ipso, quod baptizantur, consentire eos in matrimonium, ut fit insolubile, signetque Ecclesiæ cum Christo unionem*. Hoc enim universim verum non est, quia potest conjux baptizari cum proposito discedendi a conjuge suo fideli per dispensationem Summi Pontificis.

NB. Si infideles matrimonium contraxerunt cum impedimento V. C. consanguinitatis, aut affinitatis, Jure tantum Ecclesiastico dirimente, verum, ac ratum censeri debet post eorum ad Fidem conversionem; quia in infidelitate contrahentes Canonicis Constitutionibus non obstringebantur. Secus vero est, si impedimentum matrimonii ex Jure naturali fuit; V. C. si pater filiam, vel frater sororem duxerat.

CAPUT IV.

De Matrimonio clandestino.

1 CLandestinum matrimonium dicitur, quod sine Parocho, testibus, & publicationibus celebratur. Illud olim severe prohibitum, & illicitum propter multa damna & peccata, quæ plerumque ex eo Veneris potius, quam DEI causa contrahi solito oriebantur, validum tamen erat: Et infideles etiam clam ita contrahentes, cum Ecclesiasticis legibus non adstringantur, de peccato damnari non possunt, per se loquendo.

2 Jure autem novo Concil. Trident Sess. 24. c. 4. de reform. matrim. irrita sunt matrimonia clandestina: Nam Ecclesia potest formam contractui matrimonii præscribere, qua non servata irritum sit. Sicut quævis Respublica ob justam causam certum personarum genus, V. C. pupillos, prodigos, &c. ad contrahendum inhabiles reddere, & contractus aliquos, vel ultimas voluntates certa solemnitate destitutas ipso jure infirmare potest. Unde sequitur, quod Respublica Ecclesiastica etiam infirmare possit clandestinum matrimonium propter annexam rationem Sacramenti ob publicam animarum utilitatem. Neque tamen inde concluditur, quod Ecclesia materiam, & formam Sacramenti matrimonii mutaverit per se, & directe, sed solum indirecte, & per accidens mutat, vel potius impedit Sacramentum, si immutet, vel destruat ipsam materiam, in qua Sacramentum fundatur. Quemadmodum si quis vinum physice corrumpat, V. C. multam aquam infundendo, ut jam non sit materia Sacramenti Eucharistiæ; ita etiam Ecclesia mutavit, & infirmavit contractum naturalem matrimonii clandestini, & consequenter rationem Sacramenti abstulit, quippe quod ex Christi institutione in legitima viri, ac fœminæ conjunctione, seu contractu fundatur.

3 Parochus, aliusve Ordinarius matrimonio assistens debet esse proprius vel utriusque, vel saltem alterius sponsorum, etiam vagabundorum in loco, ubi morantur. Quod verum est, si loquamur de matrimonii valore. At vero licite non potest Parochus quilibet vagorum matrimoniis assistere, nisi prius ab Ordinario licentiam obtinuerit. Imo Parochus extra Parochiam valide assistit matrimonio suorum; V. C. si cum cive Augustana civis Monacensis præsente Parocho Monacensi matrimonium contrahat Augustæ, vel Ratisbonæ; nam lex correctoria strictæ interpretationis esse debet; Tridentina autem Constitutio correctoria est Juris antiqui: Ergo non extendenda, sed potius stricte interpretanda est, salva proprietate verborum, quæ hic servatur; quandoquidem Concilium tantum requirit proprii Parochi præsentiam, quæ in hoc casu etiam extra ejus Parochiam bene consistit, cum non agatur de exercenda jurisdictione contentiosa. Peccat tamen Parochus, si in aliena Parochia sponsis suis solemniter, ac publice assistat.

4 Parochus matrimonio assistere potest, licet Sacerdos non sit; sed alteri, quam Sacerdoti, assistendi facultatem committere nequit. Patet ex verbis Concilii.

5 Parochus matrimonio valide assistit, licet excommunicatus non toleratus sit; modo titulum, ac possessionem Parochiæ obtineat. Ratio: Quia assistere matrimonio non est actus jurisdictionis, vel administrationis, cum etiam ab invito, seu coacto valide præstari possit; sed est actus testimonii ex Juris dispositione ad matrimonii substantiam requisitus. Deinde, etsi sit excommunicatus, tamen, ut ponimus, vere manet Parochus; quod Concilium requirit. Volunt tamen aliqui,

quod non possit Parochus excommunicatus non toleratus alteri Sacerdoti assistendi licentiam dare: Quia dare alteri licentiam, qua is, alioquin non qualificatus, idoneus reddatur ad actus legitimum valorem, videtur esse exercitium jurisdictionis. Contra vero Parochus non excommunicatus potest excommunicato dare licentiam, saltem valide, imo etiam licite in necessitate assistendi.

6 Præsentia testium, uti & ipsius Parochi, debet esse moralis, ut intelligant, quod agitur, & testari possint; adeoque infantes, amentes, dormientes non possunt esse testes. Necesse tamen non est ad matrimonii contractum, ut habeant qualitates, quæ in aliis causis civilibus, aut criminalibus requiruntur, & nihil interest, si sint impuberes, fœminæ, infames, excommunicati, infideles, parentes, liberi, servi. Nam Tridentina Constitutio veteris Juris correctoria extendi non debet, præsertim cum procedat contra valorem matrimonii, cujus causa favorabilis est: Sicuti eadem ratione in fidei favorem ejusmodi testes admitti solent. Imo, si de matrimonii valore postea lis in judicio oriatur, ordinarie sufficere tales testes ad fidem rei gestæ faciendam, notavit Sanchez.

7 Decretum Concilii Tridentini, requirentis ad matrimonii valorem proprii Parochi, ac testium præsentiam, non obligat in locis, ubi ea Constitutio nunquam promulgata, aut recepta est post triginta dies a die publicationis. Quare Catholici valide matrimonium contrahunt V. C. in Saxonia coram Prædicante. Sed etsi in aliqua civitate Decretum promulgatum fuerit, modo tamen expulsis Catholicis Sacerdotibus non adsint proprii Pastores, valide, sicut prius, coram Prædicante, vel sine Prædicante matrimonia contrahi poterunt. Cum enim his in locis tali rerum statu Decretum Tridentini servari non possit, non est existimandum, libertatem matrimonii valide contrahendi impeditam esse. Denique, licet in civitatibus Germaniæ, quibus Lutherani cum Catholicis permixti vivunt, V. C. Augustani cives, revera in spiritualibus subsint Episcopo suo, imo etiam Parocho Augustano; tamen existimandum haud est, Summorum Pontificum voluntatem esse, ut Tridentinum Decretum se extendat ad matrimonia illorum sine legitimo Pastore celebrata, ne multa incommoda oriantur, si eorum filii legitime nati non sint, neque capaces officiorum, dignitatum, Sacrorum Ordinum *(a)*.

„ *(a)* Id ipsum de conjugiis in Belgio confœderato celebratis inter Catholicum, & Protestantem „ conjuges in casu quo celebrata sint coram Parocho „ Protestante declaravit Bened. XIV. in Epist. ad „ Duc. Eborec. data 9. Febr. 1749.

8 Sacerdos Catholicus non prohibetur assistere matrimoniis hæreticorum, quos in sua Parochia habet; nam post Concilium Constantiense hæretici non denuntiati non sunt vitandi, ne quidem in Sacris: Neque irreverentia irrogatur Sacramento, cum Parochus non sit Minister, sed testis.

9 Ante matrimonium trinæ denuntiationes publicæ tribus diebus etiam non festis, dummodo concio coram populo frequenti habeatur, saltem duorum dierum intervallo intercedente (excipe consuetudinem loci) fieri debent, idque sub mortali, cum materia præcepta gravis sit. Quæ tamen denuntiationes ad substantiam matrimonii non pertinent, quasi iis intermissis irritum existat.

10 Denuntiationes in utriusque sponsi Parochia fieri debent, quamvis id non ubique observetur; unde ad consuetudinem loci attendendum est.

11 Denuntiationes ob justam causam (V. C. si Magnates contrahant, si ob senium, status disparitatem, denuntiationes cum pudore sponsorum, vel familiæ junctæ essent, aut si timeatur, matrimonium a consanguineis malitiose impediendum) remitti debent, vel una sola denuntiatio pro trina fieri, imminente V. C. tempore Adventus, Quadragesimæ.

12 Si Episcopus accedi non possit, etiam Parochus poterit denuntiationes remittere: Quia, licet Parocho non competat jus dispensandi in denuntiationibus, nisi ex delegatione Episcopi, pertinet tamen ad illum in casu necessitatis declarare, legem de præmittendis denuntiationibus per Epikejam cessare: Cujus exemplum manifestum est, si quis mortis vicinus cum concubina contrahere velit, ut securiore animo decedat, proles legitimetur, &c.

NB. Nulla culpa est, per se loquendo, matrimonium ante benedictionem consummare.

13 Primæ nuptiæ secundum antiquissimam Ecclesiæ consuetudinem benedici debent. Secundæ non item; quia benedictio alicui rei semel collata iterari non debet. Consuetudo tamen jam obtinuit, ut nuptiæ virginis cum viduo benedicantur; etiam primi viri non vidui cum vidua. Sed servanda est consuetudo regionis.

14 Clandestina sponsalia omni jure valida, & obligatoria sunt, & Parochi præsentia nequaquam requiritur. Quod si Parochus adhibeatur, monendi sunt homines rudes, ob talem desponsationem de futuro non esse matrimonium inter eos contractum, ut sciant, fornicationem mortalem fore, si carnaliter conjungantur ante nuptias; ideoque non permittendum est, ut post talem desponsationem ad eandem domum commigrent.

15 Si sponsi in solemni sponsaliorum contractu utantur verbis de præsenti, non debet idcirco matrimonium ratum censeri. Ratio: Quia præsumi non debet, sponsos voluisse nondum præmissis denuntiationibus matrimonium cum mortali scelere contrahere. Quare, licet usi sint verbis de præsenti, videntur tamen voluisse contrahere sponsalia, sicut alii solent, licet aliis verbis externis usi fuerint. Nam verba intelligi debent secundum naturam contractus, qui instituitur, & *intelligentia verborum ex causis est sumenda dicendi: Quia non sermoni res, sed sermo rei subjectus est*, id est, inserviens. c. Intelligentia, de verbor. signific. Secundo: Tametsi ponamus, sponsorum expressam intentionem fuisse matrimonium contrahendi, non tamen id efficere potuerunt, si hanc suam voluntatem Parocho, & reliquis testibus non significarunt: Suppono enim, eos existimasse, non matrimonii, sed sponsaliorum tantum contractui se interesse, ideoque, quod tunc inter sponsos ageretur, ignorasse. Sin vero statuamus, eos probe scivisse, quid agere intenderent sponsi, tunc dubitari non potest, esse matrimonium validum, quamvis illicite contractum, ideoque & pœnis quibusdam Canonicis subjectum, juxta caput ult. de clandest. desponsat.

16 Ob intermissas matrimonii denuntiationes Canonicæ pœnæ incurruntur. Prima. Cum alioquin proles nata ex matrimonio cum occulto impedimento, bona fide alterius saltem conjugis in facie Ecclesiæ celebrato, ex Juris dispositione, ac privilegio legitima censeatur; si tamen publicæ matrimonii denuntiationes non sine crimine intermissæ fuerunt, tali privilegio proles privatur. Secunda. Si quis alioquin intra gradum prohibitum ignoranter contraxit præmissis denuntiationibus, facile, detecto postea impedimento, dispensationem a Papa obtinere potest. Sin vero dictas solemnitates in contrahendo matrimonio neglexerit, spe consequendæ dispensationis in pœnam criminis carere debet: Quia dignus non est, ut Ecclesiæ benignitatem facile experiatur, cujus salubria præcepta temere contempsit.

Regulæ in praxi observandæ.

Improbanda utique praxis illorum Parochorum, quibus dum inopinato aliqui se præsentes sistunt pro Matrimonio contrahendo, vocem elevando, vel alio modo curant non audire. Ita agendo Matrimonii valorem non impediunt, cum Ecclesiæ satis sit eos tunc testificari eo modo, quo possunt, de Matrimonio, quod cognoverunt, virum, & fœminam contraxisse. Solum ergo ita agendo possunt occasionem præbere multis inconvenientibus. Et quidem si contrahentes dubitent, an Parochus audiverit, forsasse & dubitabunt de valore sui Matrimonii, & nihilominus cum tali dubio, libidine impellente, Matrimonium consummabunt. Deinde exinde oriri possent lites circa talis Matrimonii valorem; at dum a consanguineis fortasse ex industria in longum protrahuntur, quis facile credet hujusmodi conjuges separatos vivere? Addendum quod expleta libidine, forte & ipsos contrahentes tædebit contracti Matrimonii, adeoque & ansa ipsis dabitur illius invaliditatem falsitatibus prosequi.

Suaderem ergo isti Parocho, ut patienter audito contrahentium consensu, illos serio admoneret de sacrilegio patrato in contrahendo Matrimonio sine denunciationibus: merito timere posse ipsorum Matrimonium infelicem exitum habiturum, si tanti sceleris pœnitentiam non agant: separatos vivere debere usque dum fiant denunciationes, vel usque dum Ordinarius ab eis non dispenset.

CAPUT V.

De Matrimonio coacto.

1 MAtrimonium gravi metu ad id injuste incusso celebratum Jure Ecclesiastico irritum est. Ratio peti debet ex discrimine inter matrimonium, & alios contractus; quod hi, si causa metus injusti celebrati sint, postea per exceptionem, vel Judicis sententiam rescindi possint: At vero matrimonium, si semel per

mutuum

mutuum consensum valide contractum sit, præsertim si etiam consummatum, rescindi nunquam potest ob sui indissolubilitatem: Ergo necesse erat, ut ab initio ipsa Juris Constitutione vis injusta matrimonio impedimentum valoris afferret. Dixi autem 1. *Gravi metu*. Nam levis metus non solet æstimari a Juribus: Quia alioquin plurimæ dispositiones, & contractus in controversiam vocarentur, cum levia metus facile intervenire, vel quasi intervenerit, allegari, probarique possit. Idemque sentiendum est de Professione Religionis.

Dixi 2. *Metu ad id injuste incusso*. Nam metus, ut matrimonium infirmet, debet esse per se, ac directe incussus ad extorquendum consensum. Secus est, si passus aliam aliquam injuriam, aut vim sponte eligat matrimonium, tanquam medium ad se liberandum; ut si injuste in carcere conclusus, vel injusto bello pressus ad se liberandum matrimonium contrahat cum filia Judicis ad conciliandum ejus animum, omni Jure validum erit: Quia metus injuste incussus non est per se, ac directe causa matrimonii, sed solum per accidens, quatenus ipsemet injuriam passus ad se liberandum tale remedium deligit; quod Jura ipsi haud adimere debuerunt.

2 Nihil refert hoc loco, utrum metus injustus ab ipso contrahente, an ab alio incussus sit: Quia Jura non in odium metum incutientis, sed in favorem libertatis matrimonii metus impedimentum statuerunt.

NB. 1. Matrimonium metu juste incusso a Judice stupratori V. C. minime infirmatur.

NB. 2 Si teneamus, quod docui Lib. 3. Tr. 4. C. 6. n. 3. sponsalia metu gravi celebrata ipso jure irrita esse, dicendum est, eum, qui metu gravi alterum coegit ad matrimonium, ante Judicis sententiam non obligari ad illud ratificandum; modo pro damno ea occasione illato, alio modo satisfieri possit. Ratio: Quia contractus onerosus, & reciprocus non potest claudicare, seu ex una tantum parte obligare, si ex altera parte obligatio nulla subsistat: Secus est in contractibus, qui ipso jure irriti non sunt, quamvis rescindendi; hi enim possunt claudicare, videlicet ex una tantum parte obligationem habere efficacem, ex parte altera vero inefficacem, quia per exceptionem elidi potest.

3 Metus reverentiæ non censetur esse justa, & sufficiens causa ad infirmandum matrimonium; nisi alia juncta sint, V. C. sævitia, & minæ patris.

In dubio, utrum metus gravis in matrimonii contractu intervenerit, pro parte negativa, adeoque pro valore matrimonii judicari debet; eademque ratio est de Religionis Professione. Ratio: Quia, licet maximopere curandum sit, ut matrimonium, in perpetua conjunctione consistens, libera voluntate contrahatur, ideoque sponsalia, si quocumque etiam leviore metu per vim extrinsecam injuste incusso celebrata sint, facile dissolvi possint, seu propria metum patientis opposita exceptione, seu Judicis implorata authoritate; postquam tamen semel matrimonium contractum est, potius est, ut validum, quam ut invalidum judicetur, cum matrimonii causa favorabilis sit, idque partim propter reverentiam Sacramenti, partim quia Reipublicæ, & prolis educandæ interest, ut matrimonia non solvantur, nisi eorum infirmitas, seu impedimentum dirimens appareat.

Cæterum, si matrimonium gravi metu cogente contrahatur inter infideles, qui neque Cæsareis legibus subjecti sunt, validum censeri debet; quippe cum consensus metum patientis, licet involuntarium mixtum habeat, absolute tamen voluntarius, & liber sit, sicut dixi Lib. 1. Tract. 1. C. 6. o. 7.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Non raro accidit Amasium cum Amasia copulam habere; quod cum postea ex imprægnatione, vel alia causa deprehendatur, Parentes, vel Consanguinei nullum non movent lapidem, ut eamdem Amasiam ducat. Advertat ergo Parochus, quod si Amasius cogatur a Parentibus, vel Consanguineis puellæ, illi mortem, vel aliud grave malum minitando, matrimonium esset nullum, quia timor esset injustus, nempe incussus ab his, qui non possunt hujusmodi mala legitime inferre. Si vero inducatur ad matrimonium contrahendum ob timorem legitimæ accusationis apud Judicem, tunc quia metus esset omnino juste incussus, nullatenus invalidaret matrimonium.

II. Facile etiam accidit Amasium damnari quidem secundum allegata, & probata ad ducendam Amasiam, quando revera hujusmodi pœna in falsa fundatur præsumptione. Id intervenit dum istam a se ipso primo cognitam asserit, nec alios postea admisisse, quando revera utrumque falsum est. Cum igitur hoc matrimonium initum Judice compellente, probabile sit esse validum, videat Parochus, ne post ipsum initum, affirmet invalide fuisse contractum, si mulier ipsi detegat suas fraudes; constat eam ex ipsius dissolutione quamplurima mala eventura.

P. Layman P, II.

CAPUT VI.

De Matrimonio simulato.

1 Si unus contrahentium animum simulatum habeat, omni Jure irritum est matrimonium: Quia sine vero consensu non subsistit contractus matrimonii; simulatus autem consensus non est verus consensus: Ergo. Verum deceptor (sacrilegus) graviter contra reverentiam Sacramenti peccans, & injuriam inferens, damnum injuste illatum compensare debet, deponendo animum simulatum, & vere consentiendo.

2 Quibusdam casibus vero deceptor non obligatur ad verum matrimonium contrahendum, sed aliam puellæ compensationem facere potest. I. Si decepta pro virgine se falso jactavit: Nam deceptio deceptione tollitur. II. Si ex tali matrimonio infelices exitus timeantur. III. Si deceptor aliud postea matrimonium vero consensu contraxit.

3 Conjugi affirmanti, quamvis jurato, *se ficte contraxisse*, fides habenda non est, donec clare id demonstret: Quia præsumi debet, idem fuisse in corde, quod fuit in ore, juxta l. labeo, ff. de supellectile legata ibi. *Non arbitror, quemquam dicere, quod non sit*. Alia vero ratio est in foro Pœnitentiæ. Est enim discrimen hoc: *In foro judiciali creditur homini contra se, sed non pro se simpliciter asserenti: In foro autem Pœnitentiæ creditur homini pro se, & contra se*, ait S. Thomas Quodlib. 1. a. 12.

CAPUT VII.

De Matrimonio conditionali.

1 Matrimonium contractum sub conditione relata in præsens, vel præteritum, V. C. *Contraho tecum, si filia Titii es, si virgo es, si pater mortuus est*, statim valet, si conditio vera est; & non valet, si conditio falsa est. Ratio: Quia contractus quilibet ex convenientium voluntate legem, & conditionem accipit: Si igitur ea sit contrahentium voluntas, ut, si hoc existat, stipulatio rata sit, si hoc non existat, stipulatio irrita existat, ita statim erit, sicut inter se contraxerunt. Quare dicitur, *quod nulla sit venditio, quæ in præteritum confertur, vel in præsens*. Idque propterea, quia non suspendit actum, sed facit, ut statim valeat, vel non valeat. Neque vero interest, etsi contrahentes ignorent, positam conditionem esse. Si V. C. ita conveniatur: *Si pater tuus adhuc vivit, tu uxor mea sis*; quis non videt, contractum secundum contrahentium voluntatem ratum esse oportere, si conditio in se vera est, etsi contrahentes veritatem adhuc ignorent?

2 Probabile est, quod matrimonium contractum sub conditione honesta, relata in futurum, suspendatur usque ad conditionis eventum, ea eveniente perficiatur absque novo contrahentium consensu: *Accipio te in meam, si pater tuus consenserit, si 1000. in dotem dederit*. Idem sentiendum est de matrimonio spirituali, quæ est Religiosa Professio; non item de electione, aut assumptione ad Episcopatum: Nam electionis vota conditionata irrita habentur, c. 2. de elect. in 6. Nunc probatur Assertionis prior pars: Quia conditio proprie dicta, & in futurum collata suspendit actum, cui apponitur. Quod tamen intelligi debet, si conditio apponatur in ipso contractu: Sin vero contractus semel absoluto consensu perfectus sit, conditio deinde illi apponi non potest, juxta l. 4. cod. de donat. *Perfecta donatio conditiones postea non recipit*. Quamvis vero aliæ stipulationes, & contractus absolute initi postea nova stipulatione, vel contractu per mutuum consensum sub conditione infirmari possint; V. C. *Nisi hoc fiat; aut nisi hoc feceris*; ut donatio, venditio rescindi queat: Secus tamen est in matrimonio, quod semel validum nulla voluntate contraria dissolvitur. Posterior pars Assertionis probatur: Quia contractus celebratus sub conditione honesta pendente in futurum ea impleta purificatur, & perficitur; sicuti habetur in l. potior, ff. qui priores in pignore: *Cum semel conditio extitit, perinde habetur, ac si illo tempore, quo stipulatio interposita est, sine conditione facta esset*.

NB. Cum Christus Dominus matrimonii contractum ad Sacramenti dignitatem elevavit, non mutavit ejus naturam: Quare sicut in aliis contractibus, ipsisque sponsalibus, sic etiam in matrimonio, ii conditionalis consensus usque ad conditionis eventum continuetur, seu

non revocetur, ipsa eveniente purus; & absolutus efficitur morali rerum æstimatione. Profecto, si infideles inter se matrimonium contrahant sub conditione honesta pendente in futurum, vix negari potest, quin ea eveniente purificetur: Ergo idem dicendum est de matrimonio fidelium, cum nullum in hac re probabile discrimen afferri possit inter matrimonium, & alios contractus, neque inter matrimonium fidelium, & infidelium.

3 Necesse est ad matrimonii valorem, ut Parochus, ac testes sciant appositæ conditionis eventum. Ratio: Quia Parochus, aliique testes a Concilio Tridentino requiruntur, ut intelligant, matrimonium vere, & substantialiter contractum esse, de eoque in externo foro ad multa vitanda incommoda testificari possint; nisi autem intersint eventui, sive impletioni conditionis, nesciunt, utrum matrimonium vere, & substantialiter contractum sit, neque de eo in foro externo testificari possunt, sed tantum de contractu inchoato, & adhuc in futurum pendente, & dissolubili: Ergo. Sufficit autem, si ipsi contrahentes coram Parocho, & testibus postea affirment, conditionem, quam contractui apposuerant, esse impletam: Nam hoc ipso censentur purificare contractum.

4 Per se loquendo non peccant consanguinei, vel aliter impediti impedimento Juris humani, si matrimonium verbis de futuro spondeant sub conditione dispensationis Papalis. Nam talis promissio versatur circa rem licitam, videlicet matrimonium contrahendum post datam dispensationem; per accidens tamen illicita potest fieri talis dispensatio, seu ratione scandali, si nesciatur, qua conditione inter se promiserint, vel ratione damni, V. C. alicujus infamiæ, quam sponsi passuri sunt, si a Papa ipsis dispensatio non concedatur.

5 Si impediti matrimonium contrahere spondeant verbis de præsenti sub conditione relata in futuram dispensationem Papæ, ea impetrata non videtur matrimonium consistere absque novo consensu coram Parocho, & testibus expresso: Quia nunquam præsumendum est, voluntatem dispensantis Pontificis esse, ut matrimonium præterito tempore contractum valeat, sed ut post collatam dispensationem præmissis denuntiationibus in facie Ecclesiæ contrahere liceat; sicut aperte ex Bullis Pontificiis colligitur.

6 Si quis sponsalia cum duabus contraxit sub conditione in futurum, potior habenda est ratio prioris desponsationis, ut, quandocunque conditio evenerit, illi standum sit. Quia, *quod semel placuit, amplius displicere non potest*. reg. 21. in 6.

7 Si quis matrimonium cum duabus contraxit sub conditione in futurum, illud validum est, cujus conditio prius impletur. Est enim discrimen inter sponsalia, & matrimonium, quod illa non ita pendent a voluntatis continuatione; quia, quantumvis aliquis injuste consensum revocet, nihilominus obligatus erit conditione eveniente. At vero matrimonium eveniente conditione perfici non potest, si consensus revocatus fuerat, sive simpliciter, & omnimode, sive ex parte; ita videlicet, ut, si posterioris matrimonii conditio prius eveniat, velit illud ratum, ac firmum esse, non obstante promissione priore. Etsi enim hoc iniquum est, tamen validum; quandoquidem matrimonium pure contractum, vel eventu conditionis purificatum præjudicat primo matrimonio, cujus conditio adhuc pendet.

NB. Si conditiones utriusque matrimonii simul eveniant, neutrum validum erit: Quia incertitudo vitiat matrimonium. c. de literis, 2. de sponsalibus.

8 Matrimonium contractum sub conditione, quæ ejus substantiæ, vel substantiali proprietati repugnat, ipso jure irritum est: V. C. *Contraho tecum, si generationem prolis evites, aut si pro quæstu adulterandam te tradas, &c.*

Coroll. 1. Valide contrahitur matrimonium cum intentione adulterandi, a conjuge sine justa causa se separandi, item prolis generationem impediendi. Sed non valide contrahitur matrimonium, si talia in pactum deducantur, quæ substantiali obligationi status matrimonii directe adversantur: V. C. *Contraho tecum, si generationem evites, &c.* ideoque eam eludunt, & infirmant (a).

„ (a) Huc pertinet dubii cujusdam resolutio facta „ a S. Congreg. die vii. Julii 1724. vir & femina „ convenerunt in celebratione matrimonii coram Ec„ clesia hac tamen pactione inter se inita, scriptis „ signata, & significata testibus ac parocho, coram „ quibus celebranda erant sponsalia de præsenti, ut „ matrimonium illud nequaquam consummare de„ berent, sed post XV. dies mulier monasterium „ ingrederetur, & post annum probationis profite„ retur; interim vero omni juri renuntiabat quod „ sibi obvenire poterat ex matrimonio in corpus „ mariti; conveneratque ut si ab his pactis de„ fecisset, matrimonium nullum irritumque decla„ raretur. Ita rebus compositis processum est ad „ matrimonium rite celebrandum. Sac. Congreg. „ declaravit conjugium istud irritum est; etsi „ enim pactiones istæ declaratæ non fuissent in „ celebratione matrimonii ex antecedentibus & con„ sequentibus, satis constabat, conjuges in actu dandi „ consensus in his permansisse.

9 Quo loco resolvitur quæstio. Nam Calvinistæ aliqui, persuasi ob conjugis adulterium alteri conjugi jus competere matrimonii dissolvendi, contrahunt ea ipsa conditione, si uxor V. C. fidem matrimonii violaverit, ut liceat marito ea repudiata aliam ducere. Verumtamen, quia hæc iniqua, & impia intentio non in pactum matrimonii deducitur, dicendum est, nihilominus validum, & indissolubile esse (b).

„ (b) Benedictus XIV. in sua Bulla: *Et si pa„ storalis* Bullar. Tom. I. num. 57. ita describit, & „ nulla pronunciat conjugia Calvinistarum: mini„ ster sponsum interrogat: *Accipis ne hanc in uxo„ rem:* respondet ille: *Accipio*. Tantumdem ex „ sponsa quærit, & illa annuit. Iterum minister „ ad sponsum: Personam, quam manu tenes & ac„ cipis in perpetuam uxorem, nec in ulla illius „ ærumna deseres quoadusque in sua honestate & „ puritate permanserit. Idem repetit sponsæ, il„ la paria cum marito respondente. Reprobat hoc „ conjugium tamquam celebratum cum conditione „ substantiæ matrimonii oppositæ S. Cong. S. Officii „ die xx. Maji 1754.

Coroll. 2. Valet matrimonium, si quis contrahat cum intentione, eo nunquam utendi petendo, aut reddendo debitum; sicut constat ex iis, quæ dixi. Non tamen valet matrimonium, si conditio, sive pactum adjiciatur, quo jus, seu potestas matrimonii impeditur: V. C. *Accipio te ea lege, ut in perpetua continentia mecum vivas*. Nam matrimonii substantia quam maxime consistit in jure utendi, & obligatione præstandi corpus conjugi; tale autem jus, & obligatio tollitur dictis pactis, & conditionibus.

NB. 1. Jus reale, quod per matrimonii contractum acquiritur, aliud non est, quam jus utendi corpore conjugis ad usum generationis.

6 NB. 2. Id commune est contractui, ut apponi non possit in ipso contractu aliquid ejus substantiæ repugnans; licet postea apponi possit per modum novi contractus priori ex parte repugnantis. Ita matrimonio licet a principio apponi nequeat conditio ejus substantiæ repugnans; potest tamen postea apponi per novam mutuam pactionem continendi ad tempus, vel in perpetuum, permanente interim vinculo matrimonii quoad alia, V. C. mutuam cohabitationem, prolis educationem, fidem servandam, ut cum alia persona copula carnalis non habeatur.

NB. 3. Nunquam petere debitum non est contra fidem matrimonii, & bonum prolis, sed obligare se ad nunquam petendum; quod proinde fieri non potest.

10 Conditio adjecta contractui suspendit ejus valorem; sed non modus adjectus. Exemplum prioris est, si alicui fundus legetur sub conditione, si navis ex India venerit, & non impleta conditione legatarius moriatur, corruit legatum. Quoad modum vero adjectum valorem suum habet contractus, etiam antequam modus impleatur, ita, ut res legata, vel donata sub tali modo ante ejus impletionem ad hæredes transmittatur. Si tamen modus tempore debito non impleatur, interdum revocari potest, quod sub tali modo promissum est: Quamobrem cavendum est, fore, ut modus impleatur. Exempla sunt: Lego Titio centum, ita tamen, ut mihi sepulchrum ædificet. Dono tibi 100. ut tamen Baptismum suscipias.

11 Conditio impossibilis adjecta contractui, V. C. *Dono tibi equum, si digito cælum attigeris*, statim eum vitiat: Quoad modum impossibilis, *Dono tibi equum, ut hæreticus fias*, vel *ut cælum digito tangas*, non vitiat, sed habetur pro non adjecto (quia modus dispositionem, cui adjicitur, non suspendit, sed validam esse supponit) præter-

quam

quam si modus repugnet substantiæ contractus: V. C. *Contraho tecum, si generationem prolis evites*, vel *donec inveniam aliam ditiorem*. Hæ enim verborum formulæ indicant non conditionem proprie dictam, & suspensivam, sed potius modum, quem contrahens post matrimonii contractum observari velit. Nihilominus tali adjecto modo matrimonium irritari respondit Gregorius IX. Ratio est: Quod id commune sit omnibus contractibus; quippe, dum contrahens inter ipsum contrahendum vult alterum obligari ad quippiam repugnans ipsi substantiæ contractus, satis significat, se non habere voluntatem vere celebrandi talem contractum: Sine voluntate autem contractus non efficitur.

NB. Idem etiam locum habet in Professione Religionis, videlicet matrimonio spirituali: V. C. *Spondeo Deo paupertatem, ita tamen, ut proprium possidere liceat*. Satis enim tunc apparet, non esse animum vere vovendi.

12 In dubio, num conditio impossibilis, sed non repugnans substantiæ matrimonii, V. C. *si patrem occidas*, apposita fuerit tanquam proprie dicta, & suspensiva conditio, an vero tanquam modus non suspensivus, hoc posterius præsumi debet ob favorem matrimonii.

Regula in praxi observanda.

Numquam Parochi admittere debent Matrimonia conditionalia propter quamplura inconvenientia, & difficultates, quæ circa hujusmodi Matrimonii validitatem possent oriri. Praterea, cum Matrimonium ita contractum non transeat in absolutum, nisi purificata conditione, cur expectari prius non poterit adventus conditionis, & tunc illud absolute per verba de præsenti celebrare? Non nego dari posse casum, in quo possit expedire hujusmodi Matrimonium conditionatum celebrare, ut si aliquis peccasset cum Consanguinea, & ad ipsius vitandam infamiam necesse esset, ut illam duceret: interim tamen timere esset, ne mutaret voluntatem eam ducendi, si protraheretur Matrimonii celebratio ad adventum conditionis. Tunc igitur videretur expedire, ut statim celebraretur Matrimonium sub conditione: *si nempe ii, ad quos pertinet, dispensabunt*. Dum tamen possit, Parochus in similibus casibus semper consulat Ordinarium.

Caterum disseruisse de conditionibus, quæ apponi possunt consensui Contrahentium Matrimonium, deservire potest ad elucidanda quæ pertinent ad consensum conditionatum Sponsalium, facilius est etenim hæc contrahi sub conditione.

PARS TERTIA.

DE

Bonis Matrimonii.

Etsi matrimonii contractus, ejusque usus per se honestus sit, quippe a Deo institutus; tamen per accidens ob depravatam hominis naturam ex lapsu in peccatum quædam incommoda, ac detrimenta habet. I. Quod conjugalis copula secundum speciem naturæ convenit cum opere fornicationis turpi. II. Quod propter concupiscentiæ ardorem, & immoderatam voluptatem hominis ratio absorbetur in opere conjugii. III. Quod veluti speciem servitutis perpetuæ secum affert, a qua homo suapte natura abhorret, libertatis amans; ut Apostolus significat 1. Cor. 7. *Alligatus est uxori, solicitus est, quæ sunt mundi, quomodo placeat uxori*. Eapropter Theologi tria bona observarunt in conjugio, quibus triplex illud malum, seu incommodum compensetur, Fidem, Prolem, & Sacramentum, sumpta doctrina ex S Augustino de bono conjugii c. 24. & Lib. 9. super Genesio ad lit. c. 7. ubi hæc bona explicans ait: *In fide attenditur, ne præter vinculum conjugale cum altero concumbatur: In prole, ut amanter suscipiatur, benigne nutriatur, religiose educetur: In Sacramento, ut conjugium non separetur, & dimissus, aut dimissa, ne causa quidem prolis, alteri conjungatur.*

CAPUT PRIMUM.

De Debiti conjugalis redditione.

1 HÆc obligatio pertinet ad bonum fidei conjugalis, secundum quam conjuges inter se conjugii usum præstare debent, teste Apostolo 1. Cor. 7. *Uxori vir debitum reddat, similiter autem & uxor viro.* Idque, sive expresse petatur, sive tacite, ut cum uxor præ verecundia verbis expressis petere non audet. Estque hæc obligatio reddendi sub mortali, quippe circa rem gravem, si alter serio, instanter, & rationabiliter petat; ut proinde Confessarius interdum conjuges de præstatione hujus debiti commonefacere debeat. Dixi: *Serio*. Nam tergiversatione, & precibus aliquem avertere, si id non valde ægre laturus sit, nulla, vel levis est injuria. Dixi etiam: *Si rationabiliter exigatur*, videlicet tempore, loco opportuno; non item, si nimis frequenter, & importune petatur, aut si in loco sacro non decente, V. C. in Ecclesia, ubi sine sacrilegio conjugalis actus exerceri non potest; excepto casu necessitatis, si nimirum conjuges diu in loco sacro inclusi ob humanam fragilitatem in periculo incontinentiæ versentur.

T. Layman T. II.

2 Conjuges non peccant mortaliter, si intra vas naturale modo, aut situ indebito conjugii actum exercere aggrediantur; nisi probabile pollutionis periculum timeatur. Nam, hoc seposito, non peccatur in substantia actus conjugalis, sed tantum in modo accidentali. Qua de re dixi Lib. 3. s. 4. n. 14.

NB. Conjux contra justitiam delinquit, si immoderatis jejuniis, aliisque carnis afflictionibus notabiliter se impotentem reddat ad usum conjugalem.

3 Conjugi adultero, si ejus adulterium cognitum est, juste conjugii debitum negatur, non quod usus conjugalis post adulterium illicitus sit, sed quod conjux innocens conjugi adultero juste negare possit; quia frangenti fidem fides merito non servatur.

4 Conjux adulter, dum ejus adulterium incognitum est, debitum exigere non prohibetur, etiam conjugem ad id compellere potest. Quod enim conjux propter adulterium privetur jure petendi debitum, pœna quædam est, ad quam adulter se ipsum condemnare non debet, nemine agente, aut excipiente, præsertim cum conjux a debiti petitione abstinere plerumque non possit, quin criminis commissi suspicio, aliave incommoda oritura sint.

5 Si debitum reddituro grave salutis corporalis periculum timeatur, justa est causa denegandi; ut si petens peste infectus, vel febri hectica laboret. Ratio: Quia conjuges in matrimonii contractu corporum potestatem in se dant salva suarum personarum, seu individuorum incolumitate. Excipe: Nisi rationabilis necessitas cohonestet; ut si periculum infectionis propter conjugis lepram, vel morbum gallicum diuturnum sit: Nam valde difficile quibusdam accidit in perpetua lucta contra motus carnales perseverare. Non tamen tenetur, conjux sanus cum periculo infectionis leproso, aut infecto reddere debitum, etiamsi periculum incontinentiæ leproso immineat: Quia nemo tenetur propriam sui corporis vitam, aut incolumitatem pro privati hominis peccato vitando exponere, cum is in necessitate simpliciter positus non sit, sed alia concupiscentiæ remedia adhibere possit.

6 Si conjux leprosus fiat, alter conjux sanus non omnino liberatur obligatione debiti, exceptis quibusdam casibus. I. Nisi leprosus conjux in hac se jure suo cedat. II. Nisi conjux sanus maximum a lepra horrorem sentiat. III. Nisi uxor ultima, & perfecta specie lepræ, quæ leonina dicitur, infecta sit. Ubi nota, quod viro ex congressu cum leprosa majus periculum immineat, quam vice versa. IV. Nisi loci consuetudo talem frequentem accessum ad leprosos propter contagionis publicæ periculum prohibeat.

NB. Nullo casu licitum est potione medica, seu pharmaco generationem, seu conceptionem prolis impedire. Nam id directe repugnat principali fini matrimonii, & mulieres mire abuterentur, si haberent licentiam impediendi generationem. Cur autem fœtum nondum animatum, si ex eo matri periculum mortis immineat, medicamentis expellere liceat, (a) non alia causa reddi potest, quam ea, quia fœtus est veluti actualis aggressor, & proxima, ac directa causa mortis maternæ: Ergo jus habet mater se defendendi. At vero fœtus nondum in rerum natura existens vim nullam infert, contra quam Jure naturali se defendere liceat.

» (a) Medicamentis tamen directe tendentibus ad
» expellendum morbum, non vero directe tenden-
» tibus ad fœtus etiam inanimati expulsionem, cum
» probabilior, & hodie communior opinio teneat fœ-
» tum semper esse animatum.

7 Si ex usu conjugali probabile periculum mortis proli conceptæ timeatur, justa est causa negandi. Cæterum, si fœmina experta sit, se prolem vivam edere non posse, probabile est, nihilominus petere posse, ac reddere: Quia melius videtur puero, ut existat privatus visione Dei, quam ut omnino non existat.

8 Si causa nocumenti, quod proli infertur, temporalis sit, plerumque culpa venialis est, sine necessitate

conjugii actum exercere, V. C. tempore menstrui, tempore purificationis post partum. Etiamsi timeatur lepra infanti, si periculum incontinentiæ timeatur conjugibus, necessarium est petere, & reddere debitum: Quia ex una parte jus matrimonii id exigit, ne perpetua, vel valde diuturna continentia in conjugio servanda sit: Ex altera vero parte melius est proli, ut infirma nascatur, quam ut omnino non nascatur.

9 Conjugi petenti in ebrietate, aut amentia, sine peccato negari potest; cum non rationabili modo petat. Utrique conjuges in amentiam incidentes separandi sunt, donec ad mentem redeant.

10 Qui ante nuptias votum continentiæ ediderat, conjugii debitum a conjuge petere non potest ante dispensationem; quamvis petenti reddere teneatur. Ratio: Quia ad petendum debitum conjux non obligatur, sed solum ad reddendum. Soluto vero matrimonio continentia servanda erit. Deinde, conjuge in adulterium incidente, debet innocens votum suum perfecte servare; cum sine injuria conjugis possit, abstinendo etiam a redditione.

11 Qui post matrimonium ante ejus consummationem continentiam simpliciter vovit, nec petere, nec reddere potest, sed Religionem ingredi debet: Qui enim promittit finem, implicite etiam promittit executionem medii unici, si illud necessarium esse intelligat; unicum autem medium exequendi votum continentiæ simpliciter dictæ habet conjux, ut ante consummationem matrimonii Religionem ingrediatur: Ergo vovendo absolutam continentiam ad id se obligasse censetur. Secus vero dicendum, si id in mentem ipsi non venerit, vel non intellexerit.

Si conjux cum consensu conjugis continentiam absolute vovit, a conjugii actu abstinere debet, tam reddendo, quam petendo. Sin vero absque consensu votum edidit, servare illud debet, quatenus potest, videlicet ut nunquam petat, quamvis reddere teneatur. Mortua conjuge in continentia manere debet semper.

NB. Conjux, qui ante matrimonium votum continentiæ vovit, vel post matrimonium debitum se nunquam exacturum, plerumque debet alteri conjugi votum indicare, ne suspicionem odii, vel superbiæ concipiat. Quod si nihilominus votum valde onerosum sit alteri conjugi, puta, quia uxor præ verecundia petere non audet, quando vir voto obstrictus nunquam petit, vel si alteruter conjux, qui vovendi licentiam absolute concessit, jam pœnitens concessionis gravibus stimulis carnis agitetur, non sine incontinentiæ periculo, his casibus voti obligatio cessat, quatenus majoris boni impedimentum esse censetur. Tutius tamen est, petere dispensationem super voto ab habente potestatem.

13 Incestus commissus cum consanguineo, vel consanguinea conjugis intra primum, vel secundum gradum impedit, quo minus incestuosus matrimonio uti possit petendo, & innocens non tenetur reddere (idque locum habet, etsi incestus occultus sit) Ratio: Ubi cessat jus petendi, cessat etiam obligatio reddendi; conjux autem incestuosus in pœnam criminis amisit jus petendi debitum.

14 Certi casus sunt, quibus privatio juris debiti conjugalis propter incestum non incurritur. I. Si ignorantia a malitia incestus excusat, quia conjux ignorat, esse consanguineam conjugis, ad quam accedit. II. Si per violentiam conjux cognoscatur a consanguineo conjugis, vel si conjux gravi metu, V. C. mortis, adactus in crimen incestus consentiat. Ratio: Quia privatio juris petendi debiti Ecclesiastico Jure constituta est in pœnam incestuosi: Ergo, ubi incestus crimen non est, pœna hæc locum non habet.

15 Episcopus per consuetudinem dispensare potest super petendo debito cum conjuge incestuoso.

16 Nimia multiplicatio prolis ordinarie non excusat a redditione debiti conjugalis; eo quod multiplicatio prolium spectet ad præcipuum finem matrimonii, & melius est, ut vivat proles inops, quam ut non vivat. Validum tamen est pactum, & licitum, ea de causa initum, quamdiu incontinentiæ periculum non imminet.

17 Si culpa conjuncta petitioni conjugalis debiti proveniat ex circumstantia tenente se ex parte solius petentis, licitum est ei reddere, V. C. marito incestuoso, vel voto castitatis obstricto: Sin autem ex circumstantia tenente se ex parte actus conjugalis, reddere illicitum est; V. C. si conjux conjugi debitum petat in loco sacro sine necessitate, &c.

18 Si exigere debitum sit culpa tantum venialis, reddere nulla culpa est: Quia ordinarie adest causa excusans, V. C. ne uxor marito petenti displiceat, & odium, vel rixas commoveat. Quare in tali casu plerumque etiam obligatur ad reddendum.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Meminisse debet Confessarius illius doctrinæ, qua dicitur quod dum monitio non est profutura, vel quod dum ex ea gravia scandala sint oritura, & aliunde pœnitens non habeat ignorantiam graviter culpabilem, idem Confessarius desistere debet a monitione facienda. Hinc merito inferunt Theologi non esse in talibus circumstantiis detegendam nullitatem matrimonii, seu conjuges non posse nec reddere, nec petere. Idem dicas, si Confessarius videat Conjugem privatum esse jure petendi, & tamen prudenter timeat non cessaturum a petitione, etsi de tali privatione moneatur.

Idem observare debet, dum exercere actum conjugalem est venialiter malum, vel ratione finis, vel ratione temporis, vel ratione modi illum exercendi. In praxi videmus difficillime regulas perfectæ honestatis, & temperantiæ a Conjugatis servari, vel quia æstus libidinis ad omnes venereæ delectationis modos impellat; vel quia ille, qui intra omnes modestiæ limites se contineret, ab altero conjuge ibi sistere non permittitur. Dum ergo bona fides excuset, non facilis sit Confessarius in detegenda malitia actus, maxime si venialis sit; & multo magis si non desint Authores, qui omni vacare culpa affirment.

II. Advertat Confessarius, ne uxores sub specie pietatis, vel alio motivo, alienas se ostendant a reddendo debito Maritis; ex hoc etenim non raro illis permolestæ redduntur, ac occasionem præbent ad alias divertendi. Quod debitum est, etiam libenter est persolvendum; nec tristi vultu cum socio comedendum, ajebat in præsenti materia S. Franciscus Salesius *in Introductione Vitæ Devotæ 3. p. cap.* 39. E contra monendi sunt Mariti, ne proprias uxores fastidire demonstrent, & veluti coacte cum illis conjugium exercere. Id præbet etiam ipsis non levem occasionem alios amore impudico prosequendi. Accedit Conjugatos reddere debere, quoties unus ex eis virtualiter petit, & cum hoc pacto petere intelligatur, dum potest esse in periculo incontinentiæ, consequens est Maritum posse, non raro teneri ad reddendum suæ uxori, quamvis non petenti. Certum est quod si illam fastidire demonstret, & fere numquam petendo ad ipsam accedat, non facile ab eo uxor debitum exposcet conjugale; at interim, maxime si juvenis sit, & non valde pietatis exercitiis addicta; prudenter timendum sæpe in pericula incontinentiæ versaturam.

III. Non facilis sit Confessarius in suadendo votum castitatis conjugalis; nam id gravissimum erit uxori, si ipsa semper petere debeat, dum id facere non possit Maritus. Maritus etiam ægre feret numquam ab uxore debitum expostulari. Quod si ambo mutuo consensu velint vovere castitatem, & sibi invicem etiam obligationem reddendi remittere, nec in hoc concedendo facilis debet esse Confessarius, nisi utriusque conjugis jam a multo tempore virtutem probaverit; & ex profectu de virtute in virtutem prudenter judicare possit emittendum votum fideliter servaturos. Non ergo annuere debet statim ac tale desiderium ipsi proponunt; & quamvis initio conversionis, vel susceptæ vitæ spiritualis videantur omnia propter Deum supergressuri. Heu quam facile tepescere, vel etiam frigescere non raro apparet, quæ magna videbatur Charitas; & qui excellentiorem perfectionem videbantur appetere, ad dimissa vitia redire! Cautus proinde semper sit Confessarius, & a Patre luminum semper novam lucem enixe expostulet, qua pro se, ac Animabus, quarum ductor est, qualis sit vera Æternæ salutis via possit dignoscere.

CAPUT II.

De mutua Conjugum Cohabitatione.

1 HÆc est altera conjugum obligatio ad bonum matrimonialis fidei spectans, videlicet ut cohabitent, mutua obsequia præstent in administranda re familiari, educanda prole, & ad quæ proinde ab utroque Magistratu Ecclesiastico, & sæculari cogi possunt. Porro vir est caput mulieris, ac familiæ Ephes. 5. quibus proinde imperare potest, quæ ad convenientem domus administrationem spectant.

2 Maritus uxorem, & familiam alere debet: Nam ob hanc causam dotem accipit. Si autem pauperem duxit, sibi imputet; nihilominus enim alere tenetur. Veruntamen indotata uxor magis tenetur laborare, quam dotata. Sin vero dos marito expresse, vel tacite promissa, sed non soluta fuerit, licet is uxori nihilominus cohabitare teneatur, & conjugii debitum reddere, non tamen eam alere obligatus est, nisi inops sit, & a parentibus ali non possit; cum etiam vice versa uxor dives marito inopi alimenta præstare cogatur. Præterea uxorem a marito sine necessaria causa recedentem maritus alere non tenetur, quamvis dotem ab ea acceperit: *Qui enim non facit, quod debet, non recipit, quod oportet.* Uxoris autem officium est, ut maneat in consortio, & obsequio viri: Quare, si id præstare noluit, merito ei alimenta subtrahuntur. Secus est, si ob viri sævitiam, aliamve ejus culpam recesserit, item, si ob aliam causam discedere compulsa fuerit, V. C. ob mariti amentiam, morbum contagiosum, vel etiam

ob

ob proprium delictum in exilium missa: In ejusmodi casibus maritus ad alimenta ipsi præstanda obligatur.

NB. In defectum mariti, ad uxorem, & familiam alendam obligati, pater ejusdem alimenta necessaria ministrare debet. Quod si uxor ob culpam suam, puta, adulterii, rejecta a marito per divortium bona aliunde non habeat ad sui sustentationem, tunc ad Judicem pertinebit, ei a marito necessaria obtinere, si dotem mulieris in delicti pœnam lucrari velit.

3 Vir domicilium arbitratu suo eligit, ac mutat; uxor autem eum sequi debet, juxta c. unaquæque 13. q. 2. *Unaquæque mulier sequatur virum suum, sive in vita, sive in morte*. Quæ causa est, cur uxor acquirat forum mariti sui; item, quod dos non exigatur in loco contractus, sed domicilii, quod maritus tunc habuit. Sed limita. I. Si in pactis matrimonialibus certus locus habitationi constitutus fuit, non potest deinde maritus discedere, nisi causa de novo superveniens, & ante non prævisa id exigat. II. Si sine magno incommodo animi, & corporis uxor maritum sequi non possit, etiam justa de causa V. C. voti sui exequendi peregrinantem, aut ad bellum proficiscentem. Secus, si facile sequi possit; tunc enim jus matrimonii id postulat: Vel nisi mulier sciens tali viro nupserit, ideoque tacite se ad id obligarit; tunc comitari debet, si sine animæ periculo possit.

NB. Licet vir, & uxor in eo jure pares sint, quod neuter absque consensu alterius ad longum tempus discedere debeat, nisi in necessitate, V. C. si Princeps maritum ad bellum evocet; attamen in hoc maritus superior est uxore, quod ille arbitratu suo, etiam uxore invita, brevem instituere possit peregrinationem; sed non vice versa uxor sine necessitate absque viri consensu peregrinari potest.

4 Conjux conjugem exulantem, si nihil contra fidem matrimonii peccavit, sequi debet, nisi moralis impotentia, seu difficultas excuset. Fateor tamen, frequentius occurrere posse causam, ob quam tale uxoris infortunium maritus sequi non teneatur.

5 Conjux conjugem ab alia persona retentum vendicare sibi potest.

6 Marito concessum est, uxorem delinquentem moderate castigare, moderatius tamen, quam liberos: Etsi enim viro subdita sit, est tamen socia, & adjutrix domesticæ administrationis, ideoque quodammodo par: Quod si uxor gravissime deliquit, actis castigatio Judici committenda est.

7 Suppono, quod punire alterum per modum vindictæ actus sit jurisdictionis, ad potestatem superiorem pertinens, comparatione subditorum; quæ potestas jurisdictionis exinde quasi naturaliter promanat, quod plures homines in unam societatem, vel familiam coeunt: Non enim posset talis societas diu conservari, nisi esset in ea potestas coercendi, & puniendi singulos tanquam membra totius corporis, si a rectitudine honestatis declinent. His suppositis dico, quod paterfamilias habeat jus delicta domesticorum moderate, & leviter puniendi. Ratio: Quia potestas puniendi provenit ex conditione Communitatis: Quare, cum civitas, seu Respublica sit perfecta Communitas, ideo, qui præsunt civitati, habent potestatem inferendi pœnas graves mortis. At vero familia domus est Communitas imperfecta: Quare, qui præest familiæ, videlicet paterfamilias, & participative etiam materfamilias, habent potestatem coercendi, & pœnas inferendi domesticis tantummodo leves; cujusmodi est V. C. subtractio cibi, verberatio aliqua, spectata personæ qualitate.

8 Carcerem privatum constituere, sub capitis pœna prohibitum est Cæsareo Jure: Non prohibetur tamen paterfamilias in casu alicujus delicti filiam, vel servum ad breve tempus includere, etiam punitionis causa.

9 In punitione domesticorum tria concurrere debent. I. Causa puniendi, in tantum, ut pœna commensuretur delicto. Atrocia crimina etiam potest paterfamilias punire, sed leviter, & intra limites potestatis suæ, ut interim Magistratui jus publice puniendi integrum maneat, si ad ejus tribunal deferatur. II. Conditio personæ punibilis: Nam sunt quædam personæ domesticæ, quas propter ætatis maturitatem, & status libertatem non decet verberare; sicut nec mechanici, qui per constitutam mercede laborant, a Magistris suis verberari se patiuntur. III. Recta intentio punientis, videlicet non ex odio, sed ex charitate erga delinquentem, ut emendetur.

10 Fratres, aliique propinqui, licet natu majores, non habent jus puniendi consanguineos propter defectum Superioritatis. Excepto: Si eorum curæ, ac potestati seu expresse, seu tacite commissi sint, V. C. fratres pueri in domo fratris ætate majoris habitantes. Verum per modum correctionis potest frater V. C. sororem moribus levem, etiamsi suæ curæ specialiter non commissa sit, coercere, & castigare ad cavenda damna sorori impendentia, si non castigetur.

NB. Uxor plebea tenetur coquere, lavare, non vero nobilis; ejusmodi enim labores serviles dedecent statum ejus. Alias observandum, quod, quidquid mulier V. C. nendo lucratur, sibi acquirit (a); maritus enim tenetur eam alere ex dote. Quod si indotata nupserit, aut ex materia a marito subministrata aliquid conficit, tunc opus ad maritum spectabit.

„ (a) Hanc doctrinam ego admitterem in casu quo „ nere vel quid simile exercere sit supra conditionem „ seu statum uxoris.

CAPUT III.

De fide Tori servanda.

1 HÆc est tertia obligatio ad bonum fidei conjugalis pertinens, ut conjux ad aliam personam copulandi causa non accedat, quamdiu conjux ejus vivit. Unde ad alias nuptias transire non licet priusquam certum nuntium, aliamve moralem certitudinem non unius nuntii, aut testis solum acceperit de morte mariti. Ratio est: Quia, quamdiu non habetur moralis certitudo, sed dubium aliquod manet de conjugis morte, periculum est, ne secundum matrimonium invalide contrahatur, & fornicarie consummetur: Ergo tutior interim pars tenenda, & a nuptiis abstinendum est.

2 Propter probabilem (non certam) credendi causam, quod conjux mortuus sit, non est alteri conjugi, saltem in externo foro, permittendum, ut matrimonium aliud contrahat: Quia hæc est praxis Conciliorum, & SS. Canonum Constitutionibus conformis. Ratio vero est: Quia Judex, præsertim Ecclesiasticus, bonum publicum Ecclesiæ, & reverentiam Sacramentorum præferre debet privato commodo: Si autem in tali casu licentia secundi matrimonii denegetur, solum timeri potest periculum incontinentiæ, quod tamen mulier cum Dei gratia vitare potest. Si autem licentia concedatur, & publica Ecclesiæ approbatio, majus imminet periculum publici scandali, & irreverentiæ, &c. si forte prior maritus adhuc vivat.

3 Quod si tamen mulier ex valde probabili persuasione, ac præsumptione, & justissima credendi causa, quod maritus mortuus sit, adeoque bona fide, si nemo se illi opponeret, ad secundas nuptias transiret, nihil in tali casu peccaret. Quamobrem Confessarius in conscientiæ foro id ipsi permittere, & Judex in externo, si post celebratas nuptias causam intelligeret; neque mulierem punire, neque a secundo marito separare deberet, donec cognitum esset, priorem maritum adhuc vivere. Ratio est: Quia in moralibus, in quibus plerumque certitudo omnino haberi non potest, homini ad instituendas actiones suas sufficere debet probabilissima, licet non omnino certa opinio, seu præsumptio.

CAPUT IV.

De Bono Prolis.

1 PRolis generatio est præcipuus finis actus conjugalis, quem proinde conjuges implicite saltem intendere debent: Nisi per accidens ob sterilitatem, aut senectutem desperetur proles, idque intendi non possit; cum nemo operans intendat ad id, quod fieri non posse arbitratur.

2 Licitum est conjugio uti ob vitandam incontinentiam, non tantum in conjuge, sed etiam in se ipso. Nam matrimonium post lapsum hominis in peccatum a Deo ordinatum est in remedium concupiscentiæ; 1. Cor. 7.

3 Solius corporalis sanitatis causa conjugio uti videtur esse veniale: Nam hæc est sanctorum hominum persuasio, carnalem commixtionem non vacare culpa, & deformitate, nisi cohonestetur bono prolis, aut bono fidei.

4 Propter voluptatem, tanquam finem operationis, conjugio uti est veniale. Ratio: Quia non bonum delectabile, quod est naturæ sensitivæ congruum,

sed bonum honestum; quod naturæ rationali consonum est, humanarum actionum finis esse debet: Et cum voluptas a natura indita sit gratia operationis naturalis acuendæ, promptiorisque efficiendæ, profecto cum naturali rerum ordine pugnat, qui operationem ad voluptatem refert, id est, ideo operatur, V. C. cibum, potum, somnum &c. capit, ut voluptate fruatur.

CAPUT V.

De filiis legitimis, & illegitimis, ac horum Legitimatione.

1 Filii, & filiæ vel legitimi sunt, vel illegitimi; Legitimi sunt, qui ex vero matrimonio suscepti sunt, vel qui suscepti sunt ex matrimonio non vero, attamen in facie Ecclesiæ celebrato, & bona fide, saltem unius conjugis, consummato. Etsi enim post illorum conceptionem matrimonii impedimentum detegatur, pro legitimis tamen benigna Juris dispositione habentur; dummodo bona fide, saltem alterius parentis, concepti sint, quamvis post litis contestationem super impedimento matrimonii, sed ante Judicis sententiam. In dubio etiam ob favorem liberorum præsumendum est, quod bona parentum fide ex putatitio matrimonio concepti fuerint.

2 Conceptos illegitime matrimonium subsequens purgat, si parentes conceptionis tempore ad contrahendum inhabiles non fuerant; & id intelligendum est quoad omnia, ut nimirum in hæreditate, feudo, primogenitura, non minus, quam alii legitimi succedere, itemque ad Ordines, beneficia, dignitates Ecclesiasticas, etiam Episcopales, absque ulla dispensatione promoveri possint: Quia benigna Juris dispositione, ac veluti fictione matrimonium subsequens trahitur retro ad tempus conceptionis liberorum.

NB. Quod si parentes tempore natæ (*non item conceptæ*) prolis ad contrahendum inter se habiles fuerint, probabilior, & Juri conformior Sententia est, quod talis (V. C. ex conjugato conceptus, natus autem post mortem mariti; vel conceptus ex Clerico, Sacris Ordinibus initiato, natus vero post dispensationem Summi Pontificis) sequente matrimonio non legitimetur. Ratio: Quia leges solum attendunt ad copulam, quæ, si habita est inter personas impeditas, nolunt eam purgari subsequente matrimonio; sicut colligitur ex illo: *Si vir, vivente uxore, aliam cognoverit, & ex ea prolem susceperit, licet post mortem uxoris tandem duxerit, nihilominus spurius erit filius.* Idque verum est, etiamsi mulier virum, quocum copulata est, ignoraverit, esse conjugatum.

3 Filii illegitimi alii sunt naturales, alii non naturales, sive spurii, inter quos Canonico Jure hoc discrimen est, quod illi suscepti sint a parentibus, *inter quos tempore conceptionis matrimonium consistere poterat*; non naturales vero ex coitu damnato suscepti fuerint. Sed secundum Jus Cæsareum naturales ii solum censebantur, qui nati erant ex concubina unica domi retenta, quacum matrimonium contrahi potuisset; non naturales autem, si cum eorum matre matrimonium contrahi non potuisset. Reliqui autem dicuntur nothi adhuc hodie, qui non habuerunt certum patrem.

4 Jure Canonico omnibus illegitime natis, etiam spuriis, seu ex damnato coitu ortis, parentes necessaria alimenta præbere debent; licet Cæsareo Jure aliud decretum reperiatur.

5 Cura alendi legitimam prolem ad patrem pertinet, cum ob eam rem dotem accipiat, ut onera matrimonii sustineat, familiamque alat; præterquam quod mulier proprio lacte natos suos nutrire debeat. Quod ad illegitimam prolem attinet, mater eam primo triennio, postea pater alere tenetur.

6 Si mater ob paupertatem, vel infirmitatem puero lactando vacare non possit, aut si nobilis sit, cui secundum morem patriæ dedecori vertitur, prolem lactare, patris impensis nutrix adhiberi debet.

7 In defectum patris, aliorumque ascendentium per lineam paternam, mater, aliique per lineam ejus ascendentes prolem inopem alere coguntur; intellige, si proles laborando se honeste non possit sustentare.

NB. Nomine alimentorum comprehenduntur victus, vestitus, habitatio, & cætera, quæ ad corporis sustentationem necessaria sunt pro cujuslibet status conditione. Recte vero testatur Gail. lib. 2, observ. 89, quod pater filio spurio recte donet, aut testamento relinquat, quod sit instar alimentorum; sicut & filiæ dotem competentem eodem jure dare non prohibetur.

8 Alimenta ea, quæ absolute necessaria sunt ad vitam, parentes filiis suis quibuscunque, & quantumvis sceleratis, naturali Jure debent. Non repugnat tamen, filium, vel filiam ob crimen, propter quod jure exhæreditari posset, etiam post pueritiam privari posse omnibus alimentis etiam necessariis, excepto casu necessitatis. Estque Sententia Vasquez.

9 Filii naturales, si nec proles legitima adsit, nec uxor superstes, succedunt patri suo ab intestato in duabus unciis, & una cum illis mater æquali portione.

10 Testamento, vel donatione concessum est patri, legitimam prolem habenti, naturalibus filiis suis una cum eorum matre unicam tantum unciam hæreditatis relinquere; sin vero mater absque liberis superstes sit, semiunciam. Si autem liberi legitimi non extent, permissum est patri, illegitimos naturales ex asse hæredes instituere, vel, quomodo ei placuerit, bona sua eis donare; dummodo ascendentes, si supersint, legitima non priventur.

11 Matri, spectato Jure communi Cæsareo naturales liberi una cum legitimis tam ab intestato, quam ex testamento succedere solent; excepto feudorum jure.

12 Etiam nothi, seu vulgo concepti, matri, & parentibus maternis, nisi ea illustris sit, una cum legitimis succedunt secundum commune Jus Cæsareum: Ad patris vero successionem non admittuntur; cum eum vel omnino non, vel saltem honeste demonstrare non possint.

13 Qui ex damnato coitu orti sunt, ascendentibus suis nec ab intestato, nec ex testamento succedere possunt; sed nec ascendentes ad ejusmodi filiorum successionem admittuntur.

14 Alii vero præter ascendentes spurium hæredem instituere possunt. Imo etiam avus, deficiente prole legitima, nepotem legitimum, aut naturalem ex spurio filio natum instituere potest; modo id non faciat intuitu patris. Deinde, si testator bona relinquat executori, gravando eum, ut inter pauperes distribuat, potest executor etiam dare filiis spuriis testatoris, si pauperes sint. Fratres illegitimi, etiam vulgo concepti (imo secundum quosdam etiam ex coitu punibili) sive uterini, sive ex eadem matre nati sint, eorundemque filii, ac nepotes inter se consanguinitatis jure succedunt; sed fratres non uterini ab intestato inter se non succedunt. Ratio: Quod in illegitime natis censeatur esse jus cognationis ex parte matris; non item agnationis ex parte patris. Neque refert, etsi filius a Principe legitimatus sit: Quia intelligitur in ordine ad succedendum patri, non item aliis consanguineis. Potest tamen frater fratrem illegitimum, etiam spurium, hæredem testamento instituere.

15 Habent autem hæc omnia locum etiam in foro conscientiæ, adeo ut si filius naturalis, aut spurius aliquid ex hæreditate accipiat, cujus secundum leges incapax est, restituere teneatur: Quia non est lex proprie pœnalis in criminis pœnam tantum lata, sed est incapacitas dominii, seu juris cujuscunque acquirendi ob justam causam. Interim hæres legitimus non prohibetur spuriis aliquid sponte concedere: Quia tunc non jure hæreditatis, sed gratuitæ donationis accipiunt.

16 Legitimatio, sive natalium restitutio fieri solet per rescriptum Principis, vel alterius a Principe potestatem habentis. Ea duplex est. Una ad Ecclesiastica jura, Ordines, beneficia; quam solus Papa, tanquam supremus in Ecclesia Princeps, cuicunque voluerit illegitimo, jure proprio, & ordinario conferre potest. Non solet autem Summus Pontifex legitimare alterius Principis temporali jurisdictioni subjectos, nisi forte indirecte, ac casualiter, si quando gravis causa Reipublicæ Christianæ ita exigat. Altera igitur est legitimatio ad civilia jura, puta, hæreditatum successiones, officia, ac dignitates; qualem quilibet Princeps in temporalibus, aut Respublica libera suis subditis, etiam propriis liberis, quin & Clericorum filiis, etiamsi ipsi quoque Clerici sint, arbitratu suo conferre potest.

17 Porro ejusmodi generali legitimatione civili consequitur filius illegitimus, ut instar legitimorum succedat in hæreditate parentum, & consanguineorum aliorum; non item in paterna nobilitate, feudo, primogenitura, nisi speciatim expressum fuerit. Quia *in generali concessione non veniunt ea, quæ quis non esset verisimiliter in specie concessurus*. reg. 81. in 6. Unde nec potestate alicui legitimandi data censeri debet concessum, ut ad feuda illegitimos legitimet.

18 Su-

18 Spuriorum non est proprie dicta legitimatio, sed potius dispensatio quædam.

19 Episcopi communi jure dispensare possunt cum illegitime natis ad Ordines minores tantum, & simplicia beneficia.

20 Qui habet potestatem legitimandi, censetur etiam habere potestatem dispensandi cum illegitimo in ordine ad certum effectum; non tamen vice versa: Qui enim potest, quod majus est, potest etiam, quod minus est, si id in majore continetur. Deinde dispensatus ad Ordines non eo ipso etiam ad beneficia dispensatus censetur: Quia ad disperata non fit bona illatio, præsertim in materia strictæ interpretationis.

21 Religiosi natalium defectu laborantes ipso jure dispensati esse censentur ad Ordines Sacros, non vero ad dignitates, & Prælaturas.

22 In dubio quisque censeri debet legitime natus; quia, ut Aristoteles testatur, non unum, sed multiplex pariendi tempus homini a natura datum est. Nam & septimo mense, & octavo, & nono parere potest, quod plurimum, decimo: Nonnullæ etiam mulieres undecimum attingunt.

23 Si post nuptias contractas exacto mense septimo, item, si post mortem, aut divortium nondum adveniante fine mensis undecimi proles nascatur, pro legitima haberi potest.

CAPUT VI.

De Bono Sacramenti.

1 PEr bonum Sacramenti intelligitur indissolubilis nexus conjugum, ut neuter ab altero separari debeat. Matrimonium tamen non est ita indissolubile, ut ejus dissolutio naturali Juri proprie repugnet: Nam, *quibus causis res constituitur, eisdem etiam dissolvitur.* c. omnis, 27. q. 2. Et Deus absoluta potentia in lege naturali dispensare non potest: Si enim lex naturalis est, sequitur ex naturalibus, & per se notis principiis, quæ, cum immutabilia sint, stantibus rerum naturis, etiam, quod ex eis deducitur secundum se, immutabile esse constat; atqui Deus olim dispensavit cum Judæis, ut ob rationabilem causam licitum esset repudium conjugis, seu dissolutio matrimonii quoad vinculum. Adde, quod hæc divortii consuetudo postea etiam ad gentes defluxerit.

2 Matrimonium, præsertim consummatum, ex prima Dei institutione indissolubilitatem habet sacri mysterii causa, nimirum propter futuram Verbi divini Incarnationem, quæ etiam Adamo prophetico spiritu revelata fuit, dicente: *Hoc nunc os ex ossibus meis, propter quod relinquet homo patrem, & matrem, & adhærebit uxori suæ, & erunt duo in carne una.* Gen. 2. Quem locum etiam Christus Matth. 19. citat, & interpretatur eo fine, ut matrimonium a prima sui institutione indissolubile, atque ita deinceps observandum ostenderet: *Itaque ait, jam non sunt duo, sed una caro. Quod ergo Deus conjunxit, homo non separet.*

3 Majorem autem firmitatem habet matrimonium consummatum, quam ratum, ad eum modum, quo majorem firmitatem habet conjunctio Christi cum Ecclesia secundum carnem assumptam, quam conjunctio Christi cum Ecclesia per charitatem, quippe quæ per mortale peccatum solvi, & auferri potest.

4 NB. Matrimonium ratum, & non consummatum per Religionis Professionem omnino solvitur; idque Ecclesiæ authoritate, quam per traditionem accepimus. Si enim matrimonium Jure naturali, aut divino per vota solemnia solveretur, idipsum etiam fieret per vota simplicia; quandoquidem votorum solemnitas, & a simplicibus discriminatio solo Ecclesiastico Jure introducta est; atqui per vota simplicia non solvitur hodie matrimonium ratum: Ergo id non ad Jus divinum, quod immutabile, & constans est, sed ad Ecclesiæ authoritatem referri debet. Eapropter Judici præcipitur, ut conjugi, de Religionis ingressu ante consummationem matrimonii deliberanti, bimestre spacium definiat, intra quod vel propositum Religionis exequatur, vel debitum reddat. Et licet probabile sit, quod conjux, etiamsi nolit ingredi Religionem, per bimestre possit negare debitum; tamen contrarium est probabilius: Nam extra casum, quo alter conjux Religionem ingredi cogitat, Canones nunquam restringunt conjugi jus, & potestatem exigendi carnalem copulam. Quod si uxor deliberans de ingressu Religionis interea per vim opprimatur a marito, matrimonium indissolubile quidem redditur quoad vinculum, sed probabile est, nihilominus uxorem posse ingredi, & inter viduas profiteri; nisi exinde proli incommodum timeatur: Quia *nemo sine culpa jure suo privari debet*. Uxor autem, eo bimestri spatio per Canonis beneficium libera a debito reddendo, habet jus ingrediendi Religionem: Ergo.

4 Authoritate Papæ matrimonium ratum ob causam gravissimam solvi potest. Probatur ex praxi: Nam sæpe hoc factum est; & Summus Pontifex ob gravem causam solvere potest vinculum Professionis Religiosæ: Ergo etiam matrimonium ratum. Probatur conseq. ex illo vulgato: *Si possum vincere vincentem te, possum etiam vincere te*. Igitur si authoritate Ecclesiæ solvi potest vinculum Religiosæ Professionis, per quod solvitur matrimonium ratum, sequitur, eadem Pontificis authoritate matrimonium ratum solvi posse.

5 Neque vero per hanc dissolutionem solvitur lex divina, sed sicuti in voto, ac juramento proxime, ac directe remittitur jus Deo acquisitum per commissionem Ecclesiæ, ejusque Summo Pastori factam Matth. 16. indirecte vero, & consequenter aufertur lex divina de voto observando, quippe quæ eo ipso desinit, quod vinculum legitima potestate ablatum est: Ita similiter lex divina jubet vinculum matrimonii, etiam nondum consummati, perpetuo consistere, præterquam si Ecclesiæ dissolventis authoritas accedat. Ea autem accedente directe quidem solvitur vinculum matrimonii, sed lex divina tantum indirecte, & per accidens amovetur, quando apponitur conditio, per quam lex divina obligare jam desinit. Neque sequitur, quod Pontificia authoritate essentia Sacramenti mutetur, sed fit, ut per authoritatem Ecclesiæ dissoluto contractu, in quo ratio Sacramenti fundatur, vir, & mulier desinant esse sacrum symbolum.

6 Nuptiæ secundæ, tertiæ, quartæ &c. tum veteri, tum nova Lege concessæ sunt. Est de fide, & patet ex Apostolo 1. Cor. 7.

7 Conjugium unius viri cum pluribus simul uxoribus non ita naturali Juri repugnat, nulla ratione, V. C. Dei dispensatione, cohonestari possit. Ratio: Quia talis polygamia ex proprio objecto malitiam non habet, sed solum ex adjunctis incommodis, quæ in certis casibus abesse, vel aliis majoribus commodis compensari possunt. Accedit, quod intrinsece mala, & Juri naturali adversantia a Deo concedi nunquam possint. Constat autem, Deum olim concessisse Patriarchis, ut plures simul uxores licite accipere possent, idque ad multiplicandum genus Abrahæ.

NB. Concubinæ Patriarchatum dicebantur, non quod legitimæ uxores non essent, sed quia non cum legalibus instrumentis acceptæ erant in communionem bonorum, ut familiæ gubernatrices, eorumque filii bonorum paternorum hæredes esse possent, sed solum in societatem tori; sicut colligitur Gen. 25.

8 Polygamia, seu matrimonium cum pluribus uxoribus est contra primævam ejus a Deo factam institutionem Gen. 2. *Quamobrem relinquet homo patrem suum, & matrem, & adhærebit uxori suæ; & erunt duo in carne una*: Si autem vir unus duas uxores habeat, non erunt duo in una carne, sed potius divisio in plures carnes. Vide Matth. 19

Polygamia plurium virorum ad unam uxorem majorem deformitatem prefefert, quam unius viri ad plures uxores, & plura etiam incommoda secum fert, quamvis non ita, ut Deus absoluta sua potestate eam concedere non posset. Nam Deus permittendo polygamiam non proprie in ea dispensat, sed affert conditionem, per quam illicita esse desinat; ad eum modum, sicuti si jubeat innocentem occidi, vel rem alienam domino suo auferri.

10 Pœnæ civiles, quæ directe, ac principaliter in odium secundarum nuptiarum institutæ erant (V. C. ut mulier intra annum luctus nubens fiat infamis, ut posteriori marito non possit donare, aut testamento relinquere ultra tertiam partem, ut nihil a marito per donationem lucrari possit, & ferme etiam aliarum successionum incapax sit) Canonico Jure sublatæ sunt; quippe repugnantes libertati matrimonii a Christo permissæ 1. Cor. 7. Rom. 7. Quæ vero pœnæ directæ, ac principaliter in favorem liberorum prioris matrimonii decretæ sunt, in suo vigore manent. Ratio: Quia non sunt proprie dictæ pœnæ, sed potius provisiones, ac favores liberorum, nec simpliciter a secundis nuptiis retrahunt, sed tantum sub conditione, si conjux bonis occasione prioris matrimonii provenientibus potiri

velit. Tales pœnæ, seu potius provisiones sunt, I. Conjux transeundo ad secundaa nuptias amittit proprietatem bonorum provenientium a conjuge defuncto, ut proinde neque ea alienare, neque ultima voluntate cuiquam relinquere possit, sed filiis prioris matrimonii ex æquo inter ipsos dividenda relinquere cogatur. II. Conjux ad secundas nuptias transiens non potest suo conjugi donatione, aut ultimæ voluntatis dispositione plus relinquere, quam ulli liberorum prioris matrimonii. III. Mater transiens ad secundas nuptias privatur tutela liberorum ex priore matrimonio susceptorum: Quia suspicio est, male administraturam esse propter affectum ad novum maritum, & ex ipso suscipiendam prolem. IV. Si mater ad secundas nuptias transeat, meretur, ut educatione liberorum prioris matrimonii privetur. V. Si mulier hæres ab intestato extitit alicujus liberorum ex priore matrimonio, non acquirit plenum dominium, sed solum usumfructum bonorum, quatenus ea ex paterna substantia proveniunt; quare ea alienare omnino prohibetur, sed aliis ejusdam matrimonii liberis reservantur, si superstites sint: Attamen ex testamento filii, imo etiam ab intestato, si alius filius, aut filia non superstit, pleno jure succedere potest.

11 Probabile est, quod constitutiones istæ locum non habeant in marito ad secundas nuptias transeunte, eo quod, si Imperator etiam patrem in sua illa constitutione comprehendere voluisset, id expressisset: Sed neque in uxore secundo nubenti locum habere videntur ante Judicis sententiam. Ratio est. Quia tametsi, quatenus ad liberorum provisionem spectant, favorabiles sint, tamen comparatione ipsius transeuntis ad secundas nuptias exosæ sunt, & quodammodo pœnales, seu ad similitudinem pœnalium, juxta illud: *Et hæc communis viri, & mulieris mulcta sit posita*. Ad mulctam autem nemo obligatur ante Judicis sententiam. Deinde leges illæ, quamvis favorem liberorum contineant, semper tamen nituntur odio secundarum nuptiarum, quasi illæ minus honestæ sint, & junctæ cum aliqua injuria erga priorem maritum, impietate erga liberos: Quamobrem etiam pœnæ, ac mulcta appellantur.

NB. Hinc resolves: Si vir susceptis ex priore matrimonio liberis, defuncta uxore divite, aliam pauperem duxit, licet Jure civili prohibeatur, illi plus, quam uni liberorum suorum relinquere; attamen coram Deo nihil peccaturum, si supra id, quod lege concessum est, moderatum quidquam mulieri clanculum donet, quo post mortem suam se honeste alat. Cum enim id extraneo cuivis donare, aut legare possit absque peccato, cur non etiam uxori indigenti, & de se, ac liberis suis bene meritæ? Et licet filii beneficio legis civilis dictam donationem excedentem rescindere possint; priusquam tamen rescindatur, puto, eam consistere, ut naturalem effectum pariat transferendi dominii rei donatæ in uxorem secundum justam donatoris defuncti voluntatem.

CAPUT VII.

De Divortio.

1 Divortium (non acceptum pro separatione conjugum dissoluto eorum matrimonio quoad vinculum, tit. ff. & C. de divortiis, sed acceptum pro separatione conjugum solum quoad torum, & habitationem) mutuo interdum consensu fieri potest causa pietatis, vel alia honesta, V. C. ne proles supra facultatem multiplicentur, dummodo absit periculum incontinentiæ; sicut colligitur ex Apostolo 1. Cor. 7. Et SS. Patres exempla memorant conjugum fidelium mutuo consensu continentiam voventium: Quamvis propter periculum incontinentiæ consultum non sit conjugibus continentiam vovere, nisi præmissa matura deliberatione, & longa experientia, quod facile continentes ambo esse possint.

2 Conjux Religionem ingredi potest cum consensu alterius conjugis simul ingredientis, vel in sæculo edito continentiæ voto permanentis; modo tunc ejus ætatis sit, ut extra probabile periculum incontinentiæ versetur. Idemque dicendum est, si maritus Sacrum Ordinem suscepturus sit. Colligitur ita ex Matth. 19. *Omnis, qui reliquerit domum, vel fratres, aut sorores, aut patrem, aut matrem, aut uxorem, &c. centuplum accipiet.*

3 Ad Episcopum pertinet dispicere, utrum uxor in hoc casu extra incontinentiæ periculum existat. Quare convenit, ab eo ad majorem securitatem licentiam petere; quamvis etiam sine petita licentia Professio valitura sit.

4 Si conjux absque conjugis consensu Religionem profiteatur, Professio nulla est: Quare revocari, imo sponte egredi potest; post mortem tamen conjugis ad alias nuptias transire prohibetur. Ratio: Quia præsumptio est, quod vovens se voluerit obligare eo modo, quo potuit, secundum illud: *Si non valet, quod ago, volo, ut valeat, sicut valere potest.* At vero maritus invita uxore ad duo se obligare potest, nempe ad non petendum debitum, & ad continentiam servandam post mortem uxoris: Quare, cum hæc duo in Religiosa Professione tanquam pars in toto comprehendantur, ideo præsumptio Juris est, quod saltem hæc duo promittere voluerit maritus, si Professio ejus non valeret. Quæ tamen præsumptio in conscientiæ foro veritati cedere debet, si animus vovendi continentiam non erat, nisi dependenter a Professionis valore.

5 Si conjugatus cum consensu alterius conjugis, nec Religionem ingredientis, nec in sæculo votum continentiæ edentis, profiteatur, officio Ordinarii revocari potest ad uxori debitum reddendum; ea autem mortua ad Monasterium redire cogitur, quia Professio valida fuerat.

6 Si conjux licentiam ingrediendi Religionem conjugi libere concessit, censetur se obligasse ad perpetuam continentiam, imo & ad Religionis ingressum, si juvenis, aut de incontinentia suspectus sit. Necesse tamen est, quod fuerit conscius Juris, ita disponentis; quod de uxore in dubio non præsumitur, quippe ignara Juris.

7 Si unus conjugum adulterium commisit, alter eo ipso acquirit jus instituendi divortium quoad torum, & habitationem, remanente tamen substantiali vinculo; frustra enim sibi quis fidem postulat servari ab eo, cui fidem a se præstitam servare recusat. Quæ causa est, cur Christus Matth. 5. & 19. hanc solam divortii causam permittit: *Dico autem vobis, quia, quicunque dimiserit uxorem suam, nisi ob fornicationem, mœchatur.* Ratio est: Quia solum adulterium conjugis repugnat contractui matrimoniali per se, alterumque conjugem in perpetuum liberat a fide conjugali. Alia vero crimina, ob quæ (ut infra dicam) conjux repelli potest, per accidens se habent ad matrimonii substantialem obligationem; quare iis cessantibus recipi debet conjux.

NB. Intelligitur autem hic divortium non quoad vinculum, sed solum quoad habitationem, & torum; ut colligitur ex verbis Christi Matt. 10. Luc. 16. 1. Cor. 7. Nomine fornicationis, ac mœchiæ intelligitur omnis consummatus concubitus cum altero supposito; qualis etiam est sodomia, ac bestialitas. Quia justum divortium oritur ex eo, quod conjux carnem suam in alteram divisit contra naturam pacti matrimonialis: Talis autem divisio fit per fornicationem, sodomiam, & bestialitatem completam, non item per incompletam sine seminis effusione, multo minus per tactus impudicos, aut per peccatum mollitiei.

8 Maritus, & uxor jure divortii propter adulterium instituendi æquales sunt. Ratio: Quia jus divortii oritur ex violatione fidei conjugalis, ad quam conjuges æquali jure obligantur.

9 Separatio conjugum quoad torum propria authoritate fieri potest: Quia Jus naturale, ac divinum ob causam adulterii divortium fieri permittit. Separatio tamen quoad habitationem propter adulterium Ecclesiæ sententiam requirit, cum talis separatio in publicam notitiam venire soleat. Excipe: Si etiam crimen adulterii publice notum sit, vel maritus alio prætextu sa separare possit, V. C. peregrinationis longinquæ, sed sine redeundi proposito, ita, ut scandalum evitetur.

10 Si conjux in causa non notoria a conjuge sine judicio Ecclesiæ repulsus sit, ante omnia eum Judex, cujus officium imploratur, in pristinum statum restituere debet, & postea causam divortii cognoscere, compulso altero ad probationes proferendas. Secus est, si causa divortii, puta, adulterium, notoria sit, seu per evidentiam facti, seu per confessionem Rei. Nam hoc casu repulsa uxor non restituitur. Ratio: Quia petenti restitutionem obstat exceptio de notorio defectu Juris, seu proprietatis.

11 Si conjux repulsus fuerit prætextu impedimenti dirimentis, V. C. ob consanguinitatem, petita restitutione, si probationes in continenti afferantur, restituendus est quoad omnia alia, excepto toro,

idque

sidque propter periculum fornicationis, si forte impedimentum subsit.

NB. Maritus sciens conjugis suæ adulterium, licet sufficienter probare nequeat, per se loquendo debitum reddere non tenetur, etiamsi illi a Judice sub Excommunicatione mandetur. Nam præceptum Ecclesiæ in falsa præsumptione fundatum non obligat in conscientia, quia præsumptio cedit veritati. Tamen, ne judicium Ecclesiæ contemnere videatur, condemnatus obedire debet, quatenus scandali vitandi necessitas postulat.

12 Conjux innocens post conjugis perspectum adulterium Religionem profiteri, vel Sacrum Ordinem accipere non prohibetur. Nocens tamen hoc non potest facere, si innocens statum non mutavit: Quandoquidem sententia divortii nihil incommodi innocenti afferri debet, quo minus conjugem adulterum revocare, ipsique reconciliari possit, si ita ipsi lubitum sit. Secus est, si innocens ingressus sit Religionem. Quod si tamen conjux adulter semel aut iterum monuerit alterum conjugem, ut post suam emendationem recipiatur, non exauditus, Religionem ingredi, vel Sacros Ordines accipere potest.

13 Certi casus sunt, in quibus conjugi divortium non permittitur propter conjugis adulterium. I. Si conjux vim passa sit; quia formaliter non est adulterium. Secus est, si gravi metu compulsa consensit: Nam mortem potius oppetere debet ex fidei conjugalis natura, quam in stuprum consentire. II. Si per ignorantiam ad non suam accessit; aut si uxor maritum probabiliter defunctum putavit, & ad alias nuptias transivit, aut in hoc casu cum aliquo fornicetur: Quia vacat culpa adulterii formalis, quod solum causa justa divortii est. III. Si alter conjux etiam criminis particeps fuit, vel etiam ipse fornicatus: Quia in hoc casu paria delicta pari veluti compensatione tolluntur.

Monet tamen Molina, maritum adulterum nihilominus posse criminaliter accusare uxorem de adulterio ad vindictam publicam; quia in ordine ad accusationem criminalem delicta paria non compensantur, præsertim cum leges permittant marito uxorem de adulterio criminaliter accusare, sed non vice versa uxori maritum suum. l. 1. C. ad L. Juliam, de adulteriis.

14 Si post unius, vel utriusque adulterium conjuges reconciliati sint, censetur jus matrimonii restitutum, perinde ac si crimen nullum antecessisset: Quare, si alteruter conjux postea fornicatur, alter acquirit jus divortii.

NB. 1. Si post sententiam divortii, Judicis authoritate factam, etiam alter conjux adulterium committat, non obligatur ad recipiendum conjugem, nisi Judex ex officio compellat, ad occurrendum probabili periculo incontinentiæ, Illud tamen fatendum est, quod conjux accusatus civiliter de adulterio ad divortium instituendum possit etiam post litem contestatam opponere exceptionem de lapsu alterius conjugis: Imo conjux, qui similiter fornicatus est, non potest bona conscientia divortium instituere, esto, crimen ejus occultum, & alterius notorium sit; modo etiam alter se emendare paratus existat.

NB. 2. Innocens præsumitur condonare nocenti injuriam, si familiariter cum tractet, cum illo commisceatur, &c. Si tamen re ipsa absuit voluntas condonandi, nihilominus in conscientiæ foro divortium instituere poterit, licet in externo foro non audiatur propter juris amissi præsumptionem.

15 Conjux a conjuge adultero separare se potest, sed non debet, ea necessitate præcepti per se, & ordinarie loquendo (quia, ut S. Augustinus ait, *permisit Dominus, non jussit*), nisi id necessarium sit ad procurandam emendationem conjugis, vel ad scandalum vitandum, ne maritus crimini uxoris sæpe relabentis indulgere videatur.

16 Conjux innocens post institutum divortium conjugem emendatum revocare suo jure potest. Ratio: Quia per Judicis sententiam innocens suo jure privari non debet; cum alioquin exceptio rei judicatæ proficeret Reo, contra quem lata fuit; quod iniquissimum esse ait Julianus l. evidenter, ff. de except. rei judicatæ. Sed tamen innocens non obligatur revocare emendatum; quandoquidem frangendo semel matrimonii fidem privatus est jure exigendi debitum conjugii: Ex charitatis tamen lege, si conjux in periculo incontinentiæ versetur, recipiendus est.

17 Aliæ causæ divortii instituendi sunt per accidens, utpote non provenientes ex violata fide matrimonii, ut proinde talibus causis cessantibus conjux recipi debeat. Prima harum causarum est lapsus in hæresim, convenienter Apostolo ad Tit. 3. *Hæreticum hominem post unam, & secundam correptionem devita.* Requiritur tamen pertinacia. Emendatum vero condemnatum tunc recipere non tenetur: Quia Ecclesia in pœnam hæresis privare potest aliis juribus, seu dominii: Ergo etiam jure illo, quod habet in corpus conjugis. Secunda est grave periculum animæ: Si enim licet ob periculum infectionis corporalis, V. C. lepræ, recedere, cur non ob periculum animæ, V. G. si maritus sit magus, si solicitet ad peccatum innocentem? tunc enim valet illud Christi Matth. 5. *Si oculus tuus scandalizat te &c.* Tertia est grave periculum corporis. Huc pertinent insidiæ, quas conjux alterius vitæ machinatur, vel alia magna conjugis sævitia, seu ex ira, seu ex ebrietate, &c. proveniens, ut sine probabili periculo gravis damni ipsi cohabitare non possit. Oportet autem esse grave malum in futurum impendens, & probabiliter inevitabile alteri conjugi, ut divertere ipsi liceat. Primo dico, *Grave malum*, cujus videlicet metus, ac trepidatio justa sit, & merito hominem prudentem, considerata personæ qualitate, moveat. Ejusmodi malum non tantum est mortis, aut mutilationis membrorum, sed etiam atrocium verberum. Præterea graves, & frequentes discordiæ quibus cohabitatio conjugi innocenti molesta redditur, sufficientem causam præbent divortio; cum grave malum reputetur perpetuo offensum habere eum, quocum semper vivere cogaris, & ea quo res tuæ pendent. Dixi secundo: *In futurum impendens.* Non enim sufficit ad divortium, semel aut iterum uxorem V. C. a marito præter consuetudinem ira ingenti commoto acriter nimis verberatam esse; nisi probabilis timor sit, ejusmodi malum sæpius imposterum sustinendum esse. Dixi tertio: *Probabiliter inevitabile.* Quia, si cautio sufficiens dari possit de malo imposterum non inferendo, non erit locus divortii. Sufficiens autem cautio censetur, per quam boni viri arbitrio satis consultum est incolumitati alterius; qualis cautio plerumque est fidejussoria, aut pignoratitia, interdum vero optima est juratoria, si vir probus juramenti Religionem quam maxime revereri existimetur. Cæterum hæc omnia discurienda relinquuntur arbitrio judicis.

NB. Si conjux in amentiam incidat, & alteri periculum vitæ non timeatur, licet molestum sit ei cohabitare, tamen molestia hæc toleranda est: *Quid enim tam humanum est, quam fortuitis casibus mulieris maritum, vel uxorem mariti participem esse?* l. cum dotem, & §. si maritus, ff. soluto matrimonio &c.

18 Si causa divortii propter grave periculum corporis, aut animæ notoria sit, propria authoritate separatio fieri potest, per se loquendo: Interim tutius est, imo ratione scandali vitandi plerumque necessarium, ut Judicis Ecclesiastici officium imploretur, nisi periculum in mora sit.

19 Facto divortio inter conjuges liberi ordinarie manere debent penes innocentem, expensis patris, si is causam divortio dedit: Sin contra, apud patrem, expensis matris locupletis, saltem post Judicis sententiam.

Limita hoc primo: Si innocens infidelis sit, tunc in favorem fidei tradenda est alteri conjugi fideli proles. Secundo: Licet vir divortio causam præbuerit, si tamen mulier ad secundas nuptias transeat, proles educanda ipsi non relinquitur. Tertio: Si mater, quæ causam divortio dedit, locuples sit, pater autem minus idoneus, proles relinquitur apud matrem. Similiter haud dubie dicendum, si pater, qui causam divortio dedit, locuples sit, mater autem pauper, quod proles patri relinquenda sit.

Regula in praxi observanda.

I. Si aliquis Conjux sua sævitia causam dederit divortii, adversus Confessarius esse incapacem absolutionis quoadusque ita non mutet mores, ut conjux, qui discessit, putet tuto posse ad illum redire, cum malum quod fecit reparare teneatur. Item si conjux morbo contagioso fuerit causa divortii saltem quoad thorum, debet omni diligentia illum a se removere, ne alter ab exercitio sui juris impediatur.

II. Non difficiliter accidere potest Maritum propria authoritate fecisse divortium, saltem quoad thorum ab uxore, quia ipsam adulteram judicaverit; & si non repellit ab habitatione, id facit ne propriam publicet infamiam, non tamen desinit eam torvis oculis aspicere, ac cum ea sæve se gerere. Primo igitur Confessarius moneat incapacem esse absolutionis, si crudeliter cum ea agat, quamvis propriis oculis ipsam adulterantem vidisset; gravis enim punitio non pertinet ad Maritum. Secundo, moneat

moneat incapacem esse absolutionis, si divortium fecerit etiam quoad solum thorum ex mera suspicione adulterii, nisi adeo esset violenta, ut contrarium prudenter judicari non posset, sicut dixi capite superiori. Certe gravis esset injustitia ob meram suspicionem cum uxore aspere se gerere, eamque a thoro repellendo privare ob incertum delictum jure certo quod habet. Tertio, si certum esset adulterium uxoris, interroget Confessarius Maritum, an ipse unquam fuerit adulteratus; & dum ipse in idem crimen inciderit, moneat ipsorum delicta compensari; ac proinde nullum jus habere uxorem non solum ab habitatione, sed nec a thoro repellendi, adeoque incapacem esse absolutionis, si cum ea perfecte non reconcilietur.

III. Confessarius, quantum fieri potest, removeat Conjuges a divortio faciendo, & solum videat ipsius causas e medio tollere. Quoties non fiat divortium pleno utriusque Conjugis consensu ad liberius Deo vacandum (hoc etiam raro admitti debet, & solum quoad personas probatæ virtutis) ex quacumque alia causa fiat divortium, origo est innumerantum malorum: putà irreconciliabilis odii inter ipsos conjuges, gravium rixarum inter utriusque consanguineos, detractionum &c. Insuper si filii adsint, et divortia Parentum ipsorum educationi quam maximum præjudicium infertur. Disponunt quidem leges in tali casu filios sive masculos, sive fœminas educandos apud Patrem, si non sit minus idoneus, Matris expensis, si locuples sit, quando hæc dederit causam divortii, sive apud Matrem, Patris expensis, si ipse, & non uxor, fuerit culpabilis: *Auth. si Pater, Cod. de divorj. fact.*, *Novell. 117. c. 7.*, *Gutter. can. qq. l. 1. c. 24. n. 19.*, *Laym. l. 5. tr. 10. c. 7. n. 19.* At si educentur filii apud Patrem, quantumvis idoneum, numquam satis providebitur ipsorum educationi: & maxime fœminarum, quia suis distractus negotiis numquam satis poterit vigilare. Si vero apud Matrem educentur, hæc non poterit satis illos cohibere, a vitiis immunes servare, maxime masculos, qui facti grandiusculi non solent Matrem timere, neque hæc potest satis scire quo pergant, ubi, & cum quibus morentur &c. Demum notet Confessarius non solum dissuadendum, sed omnino impediendum divortium, quoties conjux innocens nocentem expellendo, esset in periculo incontinentiæ, tenetur etenim adhibere media ad se præservandum a peccato; quapropter si non potest se continere, teneretur etiam post expulsionem revocare conjugem ejectum, quamvis ratione adulterii ab eo perpetuum divortium fecisset.

PARS QUARTA.

DE

Impedimentis Matrimonii tum dirimentibus, tum impedientibus tantum.

CAPUT PRIMUM.

De impedimentis Matrimonii in genere.

1 IMpedimenta matrimonii alia sunt *impedientia tantum*, illicitum scilicet matrimonium reddentia, sed tamen validum relinquentia: Alia vero *dirimentia*, non eo sensu sic dicta, quasi matrimonium ratum dirimant, sed quia impediunt, ne ratum fiat.

Spectata rei natura, & seclusis Ecclesiasticis Constitutionibus, omnis Magistratus sæcularis, qui absolutam potestatem habet ferendi leges ad subditos suos, potest eisdem impedimenta matrimonii tum dirimentia, tum impedientia tantum ob justam causam decernere: Quia matrimonium humanus contractus est, in naturæ officium, & ad propagationem Communitatis institutus. Quare perinde, ut alii contractus, subjacet dispositioni Magistratus, quatenus necessarium judicatur ad bonum cujusque Reipublicæ, ut personæ aliquæ inter se contrahere prohibeantur. Neque obstat, quod matrimonium sit Sacramentum: Quia ratio Sacramenti superveniens non mutat, sed potius ut materiam supponit humanum contractum, quo immutato per humanam potestatem consequenter etiam desinit esse materia Sacramenti. Simile quidam cernere est in aliis Sacramentis: Etsi enim homines materiam eorum a Christo institutam mutare non possint directe, possunt tamen destruendo vinum V. C. per aquæ effusionem, ut desinat esse materia Sacramenti.

2 Nihilominus tamen his non obstantibus Ecclesia hanc potestatem statuendi impedimenta matrimonii Principibus Christianis respectu fidelium interdixit, sibique propriam reservavit, sicut & alias causas matrimoniales; quia ita decuit, postquam contractus matrimonii ad Sacramenti dignitatem elevatus est. Sed hæc non impediunt Principes Ethnicos, quin pro matrimoniis subditorum suorum leges ferre, iilque certa impedimenta statuere queant; cum apud eos Sacramentum non sit.

3 Fideles subjecti Principibus Ethnicis non videntur adstringi impedimentis matrimonii secundum leges illorum civiles, idque ideo, quod non exce-dat potestatem indirectam Ecclesiæ; omnes ubique terrarum degentes Christianos eximere legibus civilibus, & subjicere Ecclesiasticis, quod attinet ad matrimonii validitatem, aut invaliditatem; quippe cum plurimum propter Sacramenti dignitatem intersit, in hac re uniformitatem inter omnes Christianos existere.

4 Impedimenta matrimonii non nisi universalibus Ecclesiæ legibus decerni possunt; non item particularibus statutis Episcoporum. Ratio: Quia causæ, quibus valor matrimonii vertitur, semper gravissimæ judicatæ sunt, ut proinde universali Pontificio Jure definiri debeant.

5 Matrimonium cum impedimento dirimente scienter contrahere, est mortale: Quia est violatio legis justæ in re magni momenti. Est etiam sacrilegium: Eo quod taliter contrahentes ad velandum scelestum suum contractum abutuntur ritibus, ac nomine Sacramenti non sine ejus injuria, ac irreverentia.) Excipe tamen: Nisi gravis metus cogat ita celebrare. Talis enim non peccat, cum revera non habeat animum vere contrahendi, sciens, se absolute, & efficaciter non posse, sed tantum promittendi, quatenus ex sua parte potest; cujusmodi promissio in tali necessitate non potest esse illicita, dummodo absit animus ita invalide contractum matrimonium consummandi.

6 Copula habita cum persona, qua cum matrimonium ob Ecclesiasticam Constitutionem consistere nequit, tunc accipit specialem malitiam necessario in Confessione explicandam, si impedimentum constitutum fuit præcipue propter copulam, quasi illa indecentiam habeat in ordine ad virtutem, puta, Religionis; ut videre est in impedimento voti solemnis, cultus disparitatis &c. aut contra virtutem pietatis, ac reverentiæ erga sanguine junctos; ut in impedimento consanguinitatis, affinitatis, &c. Secus vero res se habet, si impedimentum positum fuit non propter indecentiam copulæ, sed ob aliam causam, puta, criminis punitionem, vel matrimonii libertatem tuendam; ut videre est in impedimento criminis, raptus, &c. Quare, si quis hoc casu cum muliere tanquam cum conjuge conjungatur, simplicem fornicationem committit; nisi id faciat in contemptum Ecclesiæ.

CAPUT II.

De Impedimento Erroris.

1 ERror personæ contractum matrimonii naturali Jure irritum reddit. Ratio: Quia error circa substantiam, sive objectum substantiale vitiat omnem contractum; persona autem determinate cognita contrahenti solet esse substantiale objectum contractus matrimonialis: Ergo error circa personam vitiat contractum matrimonii. In Sacramentis vero aliis, V. C. Baptismatis, error circa personam, putando esse Petrum, cum sit Joannes &c. Sacramentum non vitiat: Quia virtualis ministrantis intentio esse debet baptizandi, confirmandi hominem præsentem, ac capacem, quicunque ille sit. Quod si tamen errans actualiter intendat contrahere cum muliere proposita, quæcunque illa sit, valet matrimonium; sicuti & valida est emptio, si falso existimans esse Bucephalum, velit tamen emere hunc equum, quicunque sit: Nam ejusmodi error speculativus tantum censetur, non practicus; quippe haud vitians objectum substantiale actus voluntatis.

2 Error circa qualitatem, tametsi ex dolo alterius contrahentis proveniat, & det causam contractui, matrimonium non infirmat: V. C. Si quis contrahat cum Caja, simulante se sanam, virginem, cum sit leprosa, corrupta, &c. Quia talis error non tollit voluntarium simpliciter, nec ullus Canon extat, quo infirmetur tale matrimonium, quippe substantialiter consistens. Limita hanc Assertionem, primo: Nisi contrahens actualem voluntatem habeat non accipiendi mulierem hanc in uxorem, nisi sana, aut virgo sit. Secundo: Nisi error qualitatis etiam in errorem substantiæ, sive personæ redundet; si videlicet aliquis existimet, se cum alia persona contrahere, non ea, quam exterius accipit, ideoque neque consentiat cum hac contrahere: Quia non cognoscentis, aut errantis non est consensus. Id vero tunc evenire solet, si per qualitatem unam, vel plures certa persona describatur, animoque designetur, quæ visu alioquin

ignota

ignota est ; ut si consentias animo ad accipiendam eam, quæ est inter filias Sempronii primogenita, offeratur autem postea Caja, quæ primogenitam se mentitur, non valet matrimonium, tametsi ponamus, primogenitam ante mortuam esse. Secus est, si Caja hæc visu prius nota, & ad matrimonium determinata fuisset, tametsi postea simules se primogenitam, cum non sit, valebit tamen matrimonium, nisi actualis intentio fuisset, saltem animo retenta, non accipiendi eam, nisi primogenita sit. Quod vero matrimonium Ecclesiastico Jure irritum sit, quod gravi metu injusto cogente est celebratum, non vero quod ob dolum, ratio est : Quia, utrum vis injusta gravis intervenerit, plerumque coram Ecclesia demonstrari potest ; at vero dolus ferme occultus est : Quare, ne multa matrimonia dubium valorem haberent, expediebat, ea non infirmari, quando spectato naturali Jure subsistendi vim obtinent.

3 Error circa qualitatem conditionis servilis, si alter contrahentium ingenuus est, vel liber, matrimonium irritum reddit : Quia convenit, ut matrimonium contrahentes æqualem corporum suorum potestatem inter se conferant ad generationis finem &c. Liber autem homo plenam sui corporis potestatem alteri dat, obligans se ad individuam vitæ societatem : At vero mancipium hoc non potest facere ; quandoquidem in potestate domini sui constitutus ab eo vendi, & in terras longinquas ablegari potest. Si tamen liber, sciens alterius, quocum contrahit, servilem conditionem, eam sponte remittat, valebit matrimonium.

4 Mancipium a domino prohiberi non potest, quominus matrimonium contrahat ; quamvis debita servitia nihilominus exigi possint, etiam ablegando ab uxore : Quia jure suo utitur. Peccabit tamen dominus contra charitatem, si conjuges probabili periculo incontinentiæ exponat. Quare Judicis Ecclesiastici officio interdici illi poterit, ne servum conjugatum ita impediat dominus, ne nunquam, aut vix unquam uxori cohabitare possit.

5 Coloni originarii, & adscriptitii, quales etiam dantur in Germania (qui ita dominis terræ obligati sunt, ut recedere illis non liceat, nisi remissione gratis facta, aut pretio remissionis persoluto) proprie non sunt servi, sed potius liberi homines. Quare, quæ in hoc Capite de servis dicta sunt, ad eos non pertinent.

CAPUT III.

De Impedimento Voti.

1 VOtum solemnis Professionis in Religione approbata non tantum solvit matrimonium ratum, sed etiam dirimit contrahendum. Ratio : Quia placuit Ecclesiæ, eos, qui vitæ perfectioris statu suscepto stabili se obligatione Deo, & Ecclesiæ consecrant, inhabiles efficere ad statum matrimonii, Religiosæ ejusmodi obligationi valde repugnantem.

2 Vota simplicia in Societate Jesu matrimonium contrahendum dirimunt, sed antea contractum, & ratum non dissolvunt.

3 Votum solemne, quod S. Ordini annexum est, matrimonium ratum non solvit ; dirimit tamen, ac impedit contrahendum. Ratio vero discriminis est, cur Ecclesia velit per Professionem Religionis matrimonium ratum dirimi, non item per susceptionem Ordinis : Quia per Professionem censetur fieri perfectissima traditio sui ipsius, & reciproca obligatio cum Religione, ideoque mors quædam spiritualis, ac veluti alterum spirituale matrimonium, cui merito prius secundum carnem initum cedere debet ; cujusmodi perfecta traditio in susceptione S. Ordinis non reperitur.

NB. Excommunicationem ipso facto incurrunt Religiosi utriusque sexus, & Clerici in Sacris constituti, qui matrimonium contrahere præsumunt, & quicunque cum Monialibus contrahere non verentur.

4 Clericus in Sacris, de facto matrimonium contrahere præsumens, est suspensus ab Ordine ; quamvis Episcopus post pœnitentiam possit cum ipso dispensare, si bigamus factus non est.

5 Votum simplex continentiæ in sæculo est impedimentum impediens tantum, non dirimens. Ratio est : Quia per tale votum homo in facie Ecclesiæ non censetur mutare statum, cum nullam promissionem acceptante Ecclesia edat. Unicus tamen casus excipitur : Si uxor edito continentiæ voto licentiam marito dederat Sacros Ordines suscipiendi, eo defuncto ne valide quidem ad secundas nuptias transire potest.

6 Qui cum voto simplicis continentiæ matrimonium contraxit, ante impetratam dispensationem conjugii debitum petere prohibetur. Non ita vero, qui post votum Religionem ingrediendi, ac profitendi matrimonium contraxit, ac consummavit : Talis enim neque petere, neque reddere prohibetur ; cum nondum habeat votum castitatis, sed votum de vovenda castitate solemniter, a cujus voti expletione impeditus est, donec matrimonium solvatur.

CAPUT IV.

De Impedimento Consanguinitatis.

1 COnsanguinitas est *vinculum personarum, quæ ab eodem, eoque propinquo stipite, seu progenitore per carnalem generationem descendunt*. Explicatur. Omnes gentes agnoscunt vinculum aliquod, ac veluti naturalem obligationem animorum, junctam cum similitudine corporum, inter eas personas intercedere, quæ ab eodem stipite, seu progenitore, eoque propinquo oriuntur : Unde & propinquitas sanguinis dicta est. Qui vero a communi stipite remoto descendunt, consanguinei vocari non solent ; alioquin omnes homines inter se consanguinei erunt, quippe ab eodem parente Noe, & Adamo descendentes. Ratio hujus rei est : Quia virtus generativa propensa quidem est ad generandum simile sui, verum quo magis a communi stipite, seu generante per succedentes generationes quibusdam quasi gradibus progressio fit, eo magis similitudo, seu proportio sanguinis minuitur.

2 Cognatio, & agnatio differunt, sicut genus, & species. Nam cognati, sive, quod idem est, consanguinei, non omnes agnati dicuntur, sed ii tantum, qui per virilis sexus cognationem juncti sunt, & idcirco idem nomen, eandemque familiam sequuntur, sive mares sint, sive fœminæ, videlicet Titius, & filii ejus, filiæque, germani fratres ejus, fratrumque filii, ac filiæ agnati dicuntur.

3 Linea consanguinitatis (*ordinata conjunctio personarum consanguinitatem inter se habentium*) triplex est. Primo : *Descendentium* ; quæ est secundum habitudinem principii ad eos, qui inde derivantur. Secundo : *Linea Ascendentium* ; secundum habitudinem eorum, qui derivantur ad principium suum, liberorum ad parentem. Tertio : *Linea transversa* ; quæ est habitudo eorum, quorum neuter ab altero, sed uterque, aut omnes ab eodem principio descendunt.

Gradus consanguinitatis definitur *distantia unius personæ ab altera in eadem linea, sive scala consanguinitatis*. Finguntur enim gradus hi ad similitudinem scalarum, quas ita ingredimur, ut a gradu in gradum proximum, qui ex illo quasi nascitur, transeamus.

NB. Pro linea ascendente, & descendente traditur hæc Regula utroque Jure recepta. *Tot sunt gradus in linea descendente, vel ascendente, quot personæ, una dempta*. Quare pater, & filius primo gradu juncti sunt ; avus, & nepos secundo gradu ; proavus, & pronepos tertio gradu ; abavus, & abnepos quarto, & sic deinceps.


4 Transversa duplex est : Una æqualis, quæ est inter personas a communi stipite æqualiter distantes, videlicet inter fratres, & sorores, inter patrueles, & consobrinos, & inter horum filios, ac nepotes. Pro hac secundum Juris Canonici constitutionem hæc Regula recepta est. *In linea transversa æquali, quot gradibus personæ singulæ a communi stipite distant, totidem inter se distant*. Quare, cum fratres, & sorores uno tantum gradu a suo patre, vel matre distent in linea recta, sequitur, uno etiam gradu inter se distare : Patrueles autem, & consobrini sunt in secundo gradu lineæ transversæ ; quia in linea recta duobus gradibus a communi eorum stipite, avo, & avia, distant. Deinde filii, & filiæ patruelium, & consobrinorum tertio gradu juncti sunt ; quia in linea recta tribus gradibus a proavo, vel proavia, communi ipsorum stipite, distant. Nepotes autem patruelium, & consobrinorum quarto gradu juncti sunt ; quia in linea recta a communi stipite, suo abavo, vel abavia, quatuor gradibus remoti sunt. Alia est lineæ transversa inæqualis inter personas inæqualiter distantes a communi stipite, videlicet inter patruum,

vel

vel amitam, & fratris filius; inter magnum patruum, vel magnam amiram, & fratris eorum nepores, inter magnum propatruum, vel magnam proamitam, & fratris eorum pronepotes, qui omnes inter se agnati sunt. Et similis ratio est de relsquis cognatis, videlicet avunculo, & matertera, magno avunculo, & magna matertera, &c. cum sotorum filiis, nepotibus, & pronepotibus. Pro hac linea secundum Jus Canonicom hæc Regula tecepta elt: *In linea transversa inæquali, quot grndibns, quæ remotior est persona, n communi stipite distat, totidem gradibus personæ ipsæ inter se distant*. Quare patruus, vel amita in secundo cognatiunis grado est cum liberis fratris sui, & avunculus, vel matettera io secundu gradu cognationis est cum liberis sororis suæ; quia nepotes hi duobus gradibus in linea recta distant ab avo suo, cujus filius fuit eorom patruus, aut filia amita vel abavia sua, cujus filius fuit avunrulus, & filia matertera. Similis ratio elt cum magno patruo, magna amita, magno avunculo, magna matertera, qui tertio gradu conjuncti nepotibus sui fratris, & sororis, &c.

Consauguinitas hodie intra quartum gradum lineæ ttausversæ tam æqoalis, quam inæqualis matrimouium conrrabendom impedit, ac dirimit: Jare autem antiquo ad seprimum usque gradum impedimentum hoc extendebatur.

SCHEMA CONSANGUINITATIS.



Consanguinitatis schema hoc extensum tantum est ad gradus quatuor, videlicet intra qoos secundum jus Canonicum est impedimentum dirimens, adeo ut Hypotheticus ille, seu mas sit, seu fœmina, cum nulla harom personarum nuptias contrahere possit, prohibente consanguinitatis jute.

Ad intelligendum schema antecedens:

NB. Primo. Gradus consanguiniratis personarum omnium, in hoc srbemate positatum, intelligendi sunr cum ordine ad Hypothetirum, ita ut V. C. Hypothetici proavus sit ipsi conjunctus io rertio gradu; patruus Hypothetici sit ipsi conjunctus in secundo gradu; abnepos Hypothetici sit eidem conjunctus io quarto gradu. Potest quidem etiam abnepos in schemate positus comparari cum abavo, sed respectu Hypothetici, ut dicatur, quod abnepos Hypothetici conjonctus sit octo gradibus, cum abavo Hypothetici, quia in linea recta novem personæ positæ reperiuntur; quare, uoa dempra, manent personæ octo: Totidem igitur gradus sunt, juxta primam Regulam hoc Capite traditam.

NB. Secundo. Pro linea recta quatuot tautum gradus tum ascendentium, tum descendentium positi sunt, ut videlicet esset norma, seu regula lineæ transversæ, cujus quatuor tautum gradus secundum Jus Canonicum matrimonio impedimentum præstant. Alioquin autem vera est sententia Jureconsultorum; *Quod nuptiæ consistere non possint inter eas personas, quæ in numero parentum, liberorumve sunt, sive proximi, sive ulterioris gradus sint; usque in infinitum*. Sed ideo in linea recta gradus ulteriores assigoare intermisimus, quia moraliter vix accidet casus, ut ascendens unam ex descendentibus oltra quatuor gradus in matrimonium accipere possit; & si accideret, repellendus otique foret.

CAPUT V.

De Impedimento Affinitatis.

1 AFfinitas est *propinquitas personarum ex copula carnali proveniens*. Ea elt duplex: Una, quæ ex legitimo toru originem trahit; altera, quæ ex illegitimo, puta, fornicatione, adulterio, stupro. Neque interest, utrum caroalis copula fiat cum volente, ao ignorante, ebria, coacta; dummodo per emissionem seminis io oaturale vas mulieris. Cum enim vir, & mulier per hujusmodi conjunctionem efficiantur veluti una caro, idque non tantum in legirimo conjuglo, sed etiam in fornicatione, s. Cor. 6. hinc sequitur, quod, si Titius, & Caja carnaliter conjungantur, omnes consanguinei Titii secundum

eumdem

eumdem gradum; quo consanguinei ipsius sunt, fiant etiam affines Cajæ, & omnes consanguinei Cajæ fiant affines Titii.

2 Affinitas, quæ ex legitimo toro est, intra quartum gradum matrimonium impedit, ac dirimit. Sensus est: Quod Titius matrimonium nec valide, nec licite contrahat cum Cajæ defunctæ uxoris suæ consanguineis intra quartum gradum, neque Caja cum consanguineis defuncti mariti Titii etiam intra quartum gradum. Affinitas ex illegitimo toro impedit, ac dirimit matrimonium duntaxat intra secundum gradum. Sensus est. Si Titius fornicatur cum Caja, inhabilis fit ad matrimonium contrahendum cum Cajæ sorore patruele, consobrina, matertera.

3 Affinitas orta ex incestu cum consanguinea conjugis intra secundum gradum impedit a debiti conjugalis petitione, non tamen a redditione. Nec refert, utrum incestus occultus sit, an publicus.

4 Affinitas, quæ per accidens est inter personas, quarum neutra per copulam carnalem affinitati per se causam præbuit, nullum matrimonio impedimentum præstat, ac proinde talis affinitas etiam inter virgines consistere potest. V. C. Si Titius, & Caja carnaliter copulentur, ratione hujus copulæ, adeoque per accidens consanguineus Titii contrahit affinitatem cum consanguineis ipsius Cajæ; quæ tamen affinitas matrimonium inter ipsos nec impedit, nec dirimit. Quamobrem nihil obstat, quo minus duo unius familiæ fratres matrimonium contrahant cum duabus alterius familiæ sororibus. Et potest aliquis successive plures uxores accipere, quarum mariti fratres germani erant. V. C. Galla, & Cæcilia nupsere duobus fratribus, poterit Sempronius Gallam viduam effectam ducere, eaque mortua viduam Cæciliam. Deinde pater sponsi ducere non prohibetur matrem, vel filiam sponsæ. Similiter aliquis ducere potest matrem, vel filiam vitrici sui, aut novercæ suæ.

Præterea, si Caja habeat fratrem Sempronium, cui nupta est Placidia, Titius vero ducat Cajam, tunc Titius contrahit affinitatem proprie, ac per se cum Sempronio, per accidens vero cum Placidia.

Denique erant duo fratres, Julius, & Augustus; ille duxit Cajam, hic Semproniam: Mortuo Julio, Titius duxit Cajam viduam; hac vero mortua, mortuo item Augusto, non prohibetur Titius secundas nuptias celebrare cum relicta Sempronia: Quia Titius, & Sempronia per accidens tantum affines sunt ratione defunctorum priorum conjugum Augusti, & Cajæ, qui per se, ac proprie affines erant; siquidem Augustus erat frater Julii, cujus conjux erat Caja.

NB. Plures ejusmodi casus affinitatis per accidens occurrere possunt, pro quibus cognoscendis nota hanc Regulam: Si neque vir carnaliter cognovit consanguineam mulieris, cum qua ille nuptias contrahere cupit, neque mulier carnaliter cognovit consanguineum viri, tunc, si quæ inter eos affinitas, ea per accidens tantum est, matrimonii contractum non impediens.

5 Gradus affinitatis per se, ac proprie dictæ desumi debent ex arbore consanguinitatis proprii conjugis. Nam affinitas illa oritur ex carnali copula viri cum muliere, ita, ut, quot gradibus consanguinitatis personæ junctæ sunt viro, totidem etiam gradibus affinitatis jungantur mulieri, & vicissim, quot gradibus consanguinitatis personæ junctæ sunt mulieri, totidem etiam gradibus affinitatis jungantur viro. Quare, si vir personas sibi affinitate per se junctas cognoscere velit, mulieris, cum qua copulatus est, arborem consanguinitatis inspicere debet: Nam nullam ex consanguineis ejus intra quartum gradum (si copula conjugalis fuit) aut intra secundum gradum (si copula fornicaria fuit) in matrimonium ducere potest. Simili ratione mulier, si personas affinitate sibi per se junctas deprehendere velit, arborem consanguinitatis viri, quocum copulata est, inspicere debet: Nam nullum ex consanguineis ejus intra quartum, aut secundum gradum, juxta dictam distinctionem, in matrimonium accipere potest absque legitima dispensatione.

Pro faciliori captu hujus Assertionis nota hanc praxim. Si vir, & mulier inter se matrimonio jungi volentes timeant, ne impedimento seu affinitatis, seu consanguinitatis teneantur, imprimis inquiratur, utrum inter eos sanguinis conjunctio intercedat? Si affirment, tunc inspicienda erit arbor consanguinitatis, & considerandum, utrum a communi stipite æqualiter distent, an inæqualiter. Si æqualiter, sive unam, sive alteram personam compara cum stipite suo, & inspice, quotnam gradibus ab eo distet, totidem enim distabit a persona illa, quam in matrimonium accipere velit. Sin vero inæqualiter distent a stipite, tunc comparetur persona, quæ remotior est, cum stipite, & quot gradibus ab eo distat, totidem gradibus personæ contrahere volentes distabunt: Qui gradus, si sint quatuor, aut pauciores, adest impedimentum, ut sine dispensatione Summi Pontificis conjungi non possint; sin vero pluribus, quam quatuor gradibus, distent, nullum est impedimentum consanguinitatis.

Quod si vero dictæ personæ, vir, & mulier, respondeant, non esse inter ipsos sanguinis conjunctionem, sed tantum affinitatem, (loquor autem de affinitate contracta ex copula conjugali, non fornicaria) hoc casu quæratur, utrum dictæ personæ antea matrimonio junctæ fuerint? Si enim neutra harum personarum conjugata fuerat, sed primas nuptias contrahere velint, certum esse debet, nullum inter eas affinitatis impedimentum esse. Sin vero respondeant, alteram, vel utramque personam antea matrimonio junctam fuisse, tunc inspiciatur matrimonium illud, ex quo affinitas inter Jacobum, & Annam, qui modo conjungi desiderant, orta sit; quia V. C. Jacobus dicit, se habuisse uxorem Ursulam, cui Anna conjuncta fuerit. Tunc demum consideretur, utrum inter Annam, & Ursulam fuerit conjunctio sanguinis intra quatuor gradus: Nam in eadem distantia graduum erit impedimentum affinitatis inter Jacobum, & Annam; ut proinde sine Summi Pontificis auctoritate conjungi non possint. Sin vero inter Annam, & Ursulam nulla fuit sanguinis conjunctio, tunc dicta affinitas nihil omnino impedit, quo minus Jacobus Annam in uxorem ducere possit.

Quod si demum affinitas inter Jacobum, & Annam ex copula illegitima orta sit, quia V. C. Jacobus cognovit Ursulam consanguineam Annæ; tunc videatur, in quoto gradu Anna sit consanguinea Ursulæ? Si in primo, vel secundo gradu, quia videlicet est filia, soror, aut consobrina, adest impedimentum affinitatis inter Jacobum, & Annam: Sin vero Anna consanguinea sit Ursulæ in tertio, vel ulteriore gradu, non est impedimentum affinitatis, impediens matrimonium inter Jacobum, & Annam.

CAPUT VI.

Quousque Summus Pontifex dispensare possit in impedimentis Consanguinitatis, & Affinitatis.

1 NAturali Jure irritum est matrimonium, & consequenter indispensabile in primo consanguinitatis gradu lineæ rectæ. Nam omnes gentes liberaliter educatæ a tali conjugio tanquam inhonesto, ac turpi abhorrent; propterea quod proles naturali Jure magnam reverentiam, ac submissionem debeat parenti suo: Per carnalem autem copulam æquaretur parenti, quasi una caro cum ipso effecta, non sine debitæ reverentiæ, ac submissionis filialis jactura. Unde & invalidum est hoc matrimonium; ex ipso enim, quod tale matrimonium turpe sit, colligitur, Deum id prohibuisse. Et nemo per contractum valide se potest obligare ad actionem re ipsa illicitam, & peccato obnoxiam; matrimonium autem est contractus, quo jus, & potestas traditur copulæ carnalis: Ergo, si hæc in se turpis, ac peccato obnoxia sit, matrimonium validum esse non potest a Quod autem matrimonium illicite contractum ab obligato simplici voto castitatis tamen validum sit, causa est: Quia copula inter tales personas per se turpis non est, sed tantum per accidens ratione voti; id autem non obstat, quo minus se invicem ex virtute justitiæ obligare possint ad realem matrimonii traditionem. Quemadmodum hoc ipsum in aliis contractibus evenit, ut, si promiserim alicui equum me donaturum, postea vero alteri non simpliciter promittam, sed re ipsa tradam, posteriori jus, ac dominium acquiratur; quia fortius jus habet per traditionem completum. At vero copula inter primi gradus consanguineos semper turpitudinem in se habet, unico casu excepto; ut proinde talis copulæ promissio valida, seu obligatoria esse non possit. In extrema tamen necessitate, si talis copulatio ad conservandum genus humanum necessaria esset, cohonestaretur. Qua ratione excusat S. Ambrosius filias Loth a crimine incestus, ratas, nullum alium virum præter patrem ex incendio superesse, Gen. 19. Cum enim jus reverentiæ debitum parenti privatum sit, merito cedit publicæ necessitatis bono;

ideoque

ideoque Deus in tali necessitate, sublatis scilicet omnibus aliis hominibus, ipso lumine naturali dictante, facultatem conjugalis ineundi fœderis inter patrem, & filiam concedere censetur.

2 Probabilius est, matrimonium etiam in secundo, vel ulteriore gradu lineæ rectæ Jure naturali irritum esse, puta, avi cum nepte sua, proavi cum pronepte, &c. Ratio est: Quia nepotes non minus per se dependent ab avo, tanquam principio generationis suæ, quam a proprio parente, cum causa causæ sit etiam causa causati; consequenter nepotes avis suis non minorem reverentiam (cui usum conjugalem adversari diximus) naturali Jure debent, quam proximis parentibus. Quamobrem omnes bene institutæ gentes ejusmodi matrimonium tanquam scelestum abominantur.

3 Probabilius quoque est, naturali Jure irritum esse matrimonium in primo gradu consanguinitatis lineæ transversæ, videlicet inter fratres, & sorores: Quia pleræque etiam gentes tale matrimonium detestatæ sunt. Unde Abraham Genes. 12. satis putavit suspicionem conjugii a se remotum iri apud Ægyptios, si diceretur Sara ejus soror esse. Nam inter fratres, & sorores ob sanguinis conjunctionem est quidam naturalis pudor, ac reverentia, cui valde adversatur actus conjugalis, turpitudinem alterius revelans. Accedit, eos ab incunabilis simul habitantes valde ad concubitum inflammandos fore, nisi conjugia sibi a naturæ auctore interdicta esse persuasum haberent: Dempto tamen casu necessitatis, si alii præter fratres, & sorores ad humani generis propagationem non superessent; ut in exordio mundi. Probabilis tamen est Sententia eorum, qui asserunt: Licet secundum Jus naturæ indecent sit ejusmodi matrimonium, tamen non ita, ut eodem etiam Jure irritum existat. Cum enim a primordio humani generis talia connubia fierent, facile accidere potuit, ut ejusmodi consuetudo apud quasdam gentes, etiam propagata posteritate, permaneret: Et credibile est, Deum talia matrimonia tanquam valida permisisse, nisi positivo aliquo jure, propter naturalem indecentiam, irrita pronuntiata essent; sicuti de Judæorum legibus constat Lev. 18. Ex qua probabili doctrina inferunt Veracrux, Sanchez, si ex gentibus, quibus est consuetudo, talia matrimonia in primo gradu lineæ transversæ celebrandi (ut de quibusdam in Provincia Peruana refertur) ad Fidem Catholicam convertantur, non esse a tali conjugio separandos. Consultius tamen est, in hac re admodum gravi Summum Pontificem consulere.

4 Matrimonium in secundo gradu consanguinitatis lineæ transversæ indecens quidem esse videtur, si passim sine urgente necessitate instituatur (eo quod turpe plerumque sit cum cognata matrimonium contrahere propter reverentiam naturalem ipsi debitam; ut colligitur ex Levit. 18.) sed non ita, ut etiam Jure naturali irritum existat, aut ob rationabilem causam, præsertim accedente publica authoritate, cohonestari non possit; quandoquidem ex ejusmodi matrimonio nati sunt Moyses, & Aaron, Exod. 6. Et Abram duxit Saram filiam fratris sui Abram. Præcepta Levitici erant judicialia, nec contra Jus naturæ; unde etiam impedimenta matrimonii in secundo gradu affinitatis, & consanguinitatis sola Ecclesiastica sanctione fundata sunt.

5 Probabilius est, matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ rectæ esse Jure naturæ irritum, puta, inter vitricum, & privignam, socerum, & nurum, socrum, & generum, novercam, & privignum (dempto casu necessitatis) Prob. Quia omnes gentes bene institutæ talia quoque matrimonia abominatæ sunt. Et patet ex Apostolo 1. Cor. 5. *Auditur inter vos fornicatio, & talis fornicatio, qualis nec inter gentes, ita, ut uxorem patris sui aliquis habeat*. Confirm. ex Lev. 20. *Qui supra uxorem filiam duxerit matrem ejus, scelus operatus est; vivus ardebit cum eis*. Ratio: Quia vir, & mulier per conjunctionem carnalem fiunt veluti una caro. Unde sequitur, quod parem vere reverentiam, quam vir patri suo, etiam uxor viro, seu nurus socero exhibere debeat, &c.

6 Ex copula fornicaria oritur secundum Jus naturæ aliqua affinitas (ut proinde indecens sit, secluso Jure Ecclesiastico, concubinam patris sui ducere) sed non dirimens matrimonii: Quare Summus Pontifex in omni impedimento affinitatis ex copula fornicaria dispensare potest.

NB. Si ante susceptum Baptismum aliquis duxit filiam, matrem, vel sororem mulieris, quam fornicarie cognoverat, postea baptizatus separari non debet, si tale matrimonium secundum gentis suæ consuetudinem pro irrito censeri non solet: Quia secundum Jus gentium, ac naturale oritur quidem affinitas ex copula illicita, sed non tam perfecta, sicuti ex copula conjugali, neque tanta, ut matrimonio impedimentum præjiciet, quo minus valide, & ob justam causam etiam licite contrahatur.

7 Matrimonium in primo gradu affinitatis lineæ transversæ, licet indecens esse videatur gentium, & naturali Jure (ut colligitur ex Levit. 18. *Turpitudinem uxoris fratris tui non revelabis, quia turpitudo fratris tui est*. Id est: Quia una caro cum fratre tuo est; ideoque propter reverentiam erga fratrem indecens est copulari cum uxore ejus) non ita tamen, ut etiam irritum existat, aut ex rationabili causa, præsertim publica accedente authoritate, cohonestari non possit. Nam Jacob Patriarcha duas sorores duxit, Rachel, & Liam, Gen. 29. Imo postea Deuter. 25. præceptum fuit Israelitis, si fratrum unus sine liberis decessisset, ut alter relictam ejus uxorem acciperet. Et Ecclesia etiam ob gravem causam dispensavit cum variis Principibus.

8 Summus Pontifex in omnibus gradibus consanguinitatis, ultra primum, & in omnibus omnino gradibus affinitatis transversæ lineæ dispensare potest, V.C. ut quis ducat defunctæ uxoris sororem, materteram, vel consobrinam. Si autem affinitas ex copula fornicaria orta fuit, videtur dispensare posse etiam in primo gradu lineæ rectæ, videlicet ut quis ob causam urgentem ducat filiam meretricis suæ (*a*).

„ (*a*) Benedictus XIV. in sua Bulla *Pastor bonus* „ Bullar. Tom. I. n. 95. Declarat Summo Pœnitentiario in Urbe inesse facultatem dispensandi super „ impedimento occulto affinitatis ex copula illicita „ (nec distinguit gradus) quotiescunque absit ra„ tionabilis causa, *licet periculum revelationis, seu* „ *scandalorum non immineret in Matrimoniis tam con„ tractis quam contrahendis in foro conscientiæ*.

Difficilior est dispensatio, si distantia graduum in linea transversa inæqualis sit; puta, si vir velit ducere filiam avi, aut proavi sui, vel mulier velit nubere filio avi, vel defuncti mariti sui.

10 Difficilius dispensare solet Summus Pontifex super impedimentis consanguinitatis, quam affinitatis. Ratio: Quia major est conjunctio inter consanguineos, quam inter affines. Nam affinitas oritur ex eo, quod vir, & mulier veluti una caro per copulam efficiuntur; ideoque omnes consanguinei unius fiunt in eodem gradu affines alterius conjugum. Ex quo apparet, conjunctionem consanguinitatis esse priorem, magis per se, & tanquam mensuram affinitatis.

NB. Episcopus in casu necessitatis dispensare potest in impedimentis matrimonii contracti, si hæ conditiones concurrant. I. Ut defectus matrimonii dispensabilis sit. II. Ut defectus occultus sit. III. Ut matrimonium bona fide, saltem alterius conjugis, contractum sit. IV. Ut ad Summum Pontificem facilis accessus non sit. At vero, ut contrahatur matrimonium cum impedimento dirimente, non videtur Episcopus dispensare posse; sicut dixi Lib. 1. Tract. 4. C. 22. num. 4. (*b*).

„ (*b*) Benedictus XIV. in opere de Synodo Diœ„ cesana lib. 7. cap. 31. §. I. agens de Matrimonio „ jam contracto in facie Ecclesiæ inito bona contra„ hentium fide, & consummato, etiam si cum adest „ impedimentum occultum & non possit adiri Ponti„ fex, seu ab eo obtineri dispensatio ob conjugum „ V. G. paupertatem, rusticitatem, locorum distan„ tiam &c. nec possit separatio fieri sine scandalo, tunc „ ab Episcopo eam dispensationem tuto concedi posse „ affirmat, quam potest major Pœnitentiarius Urbis „ Romæ; in foro conscientiæ tantum.

„ Hanc etiam facultatem similibus rerum circum„ stantiis agnoscit in Episcopo cum agitur de Matri„ monio contrahendo, & non possit Matrimonium „ differri sine scandalo.

CAPUT VII.

De Impedimento Cognationis legalis.

1 Legalis cognatio est *propinquitas personarum ex adoptione proveniens*. Adoptio vero est *extraneæ personæ in filium, aut filiam, nepotem aut neptem legitima assumptio*. *Persona extranea* hic dicitur, quæ non est ex descendentibus; sive alioquin sit adoptantis consanguinea, sive non. *Legitima assumptio* dicitur:

tur : Quia legibus Civilibus constituta, & Canonicis approbata est. Quare necesse est, ut in legali adoptione, & inde orta cognatione servatæ sint conditiones, quæ Jure civili præscribuntur, videlicet, ut adoptans sit masculus, sui juris, major XXV. annis, ad liberos gignendos naturaliter non impotens; ut persona extranea, cum adoptatur, præsens sit adoptanti, & in adoptionem consentiens; denique, ut saltem octodecim annis minor sit suo adoptante, ideoque illum pro patre, spectata etiam ætatis ratione, habere possit: Cum hæc liberorum adoptio ad similitudinem carnalium introducta sit.

1 Duplex est adoptio: Una perfecta, in qua Principis rescripto persona extranea, sui juris existens, in alterius veluti patriam potestatem, familiamque transfertur, ut instar legitimorum natorum esse incipiat. Alio nomine dicitur *Arrogatio:* Quia in ea rogari solet adoptans, num velit adoptandum filium sibi legitimum fore? similiter & adoptatus, an id fieri consentiat? Altera est adoptio imperfecta, seu simplex, per quam extranea persona, in parentis sui potestate existens, ab alio in filium, vel filiam adsciscitur, ut tamen naturalis patris, vel avi potestate non egrediatur, neque patri adoptivo ex testamento necessario succedere debeat (sicuti arrogatus in quarta bonorum parte) sed tantum jus succedendi ab intestato habeat. Et talis imperfecta adoptatio impedimentum matrimonio non præstat. Ratio: Quia impedimentum cognationis legalis introductum est ob similitudinem, quam filii adoptivi gerunt cum legitime natis: Ejusmodi autem filiationis similitudinem illi proprie non gerunt, qui ex imperfecta adoptione sunt; quandoquidem in familiam, & potestatem patris adoptivi non adsciscuntur.

2 Adoptio autem legalis perfecta est matrimonii impedimentum dirimens, civili Jure constitutum, & Canonico approbatum.

3 Estque triplex modus impedimenti, proveniens ex adoptione legali: Primus in linea legali recta inter adoptantem, & descendentes adoptati, si in ejus potestate existant. Secundus in linea transversa inter adoptatum, & legitimos natos, ac nepotes adoptantis. Dico primo: *Natos legitimos*. Nam illegitimi non censentur esse in potestate patris sui; unde non oritur cum illis cognatio legalis, sicut neque cum emancipatis. Secundo: Ut excludam liberos adoptivos; quia fratres, & sorores adoptivi, si ex diversa familia sint, inter se contrahere nullo Jure prohibentur. Tertius modus est per modum affinitatis, inter adoptantem, & uxorem adoptati. At vero inter adoptantem, & filii adoptivi parentes nulla legalis cognatio intervenit.

NB. Est porro discrimen inter dictas species, sive modos cognationis legalis, quod prima, & tertia, etiam dissoluta adoptione per mortem adoptantis, vel emancipationem adoptati, matrimonium dirimat; non item secunda, sed quamdiu adoptatus in potestate adoptantis manet. Quare facilis est modus efficiendi, ut filius adoptatus cum filia adoptantis carnali contrahere possit, si eorum alteruter secundum formam civilium legum emancipetur.

CAPUT VIII.

De Impedimento Cognationis spiritualis.

1 Cognatio spiritualis est *propinquitas secundum Juris Canonici dispositionem orta ex administratione, vel susceptione Sacramenti Baptismi, vel Confirmationis*. Nam sicut per naturalem generationem homo formatur, & nascitur, postea vero roboratur corporaliter; ita per Sacramentum Baptismi reformatur, & renascitur, & per Sacramentum Confirmationis roboratur spiritualiter. Quamobrem etiam in spirituali regeneratione intelliguntur esse parentes spirituales, videlicet qui Sacramentum ministravit, & patrinos, quibus cum secundum Ecclesiasticam traditionem magna reverentia debeatur, ideo antiquitus in Ecclesia observatum fuit, ut hæc spiritualis cognatio, perinde ac carnalis, impedimentum esset matrimonii dirimens.

2 Cognationis spiritualis matrimonium dirimentis olim tres species erant, videlicet *Paternitas* inter baptizantem, confirmantem, & patrinos ex una parte, & baptizatum, vel confirmatum ex altera parte. *Compaternitas* inter baptizantem, confirmantem, patrinos ex una, & parentes baptizati, vel confirmati ex altera parte; & transfundebatur utraque cognatio a viro ad uxorem, ita, ut si conjugatus aliquam personam baptizaret, vel patrinus esset, uxor ejus similem cognationem cum eisdem personis, baptizato, vel confirmato scilicet, & parentibus eorum contraheret. Denique *Fraternitas* inter filios carnales baptizantis, confirmantis, patrinorum ex una, & ipsum baptizatum, vel confirmatum ex altera parte. Sed Jure novo Concilii Tridentini sublata fraternitate duæ tantum nunc sunt species cognationis spiritualis, paternitas, & compaternitas, earumque neutra ad uxores transfunditur. Unde Titius hodie non prohibetur sui baptizantis, vel confirmantis, aut patrini filiam, vel relictam uxorem ducere; sicut & pater Titii eandem relictam viduam Jure novo ducere potest.

2 Infidelis baptizans, etsi postea ad Fidem convertatur, & Baptismum suscipiat, non contrahit cognationem spiritualem; tum quia infidelis, imo etiam Catechumenus Ecclesiasticis sanctionibus non obligatur; tum, quia fundamentum cognationis Baptismus præteritus non amplius existit. Quare licet post conversionem, & Baptismum jam sit capacitas in subjecto, tamen non consurgit cognatio; quemadmodum neque relationes, ad quarum similitudinem hæc spiritualis cognatio explicari debet, consurgere possunt, nisi existente eo, in quo fundantur.

3 Si homo fidelis filium infidelis e sacro fonte suscipiat, & infidelis postea convertatur, ac baptizetur, oritur spiritualis compaternitas inter patrinum, & parentem prolis baptizatæ. Ratio: Quia secundum Juris dispositionem spiritualis cognatio immediate quidem contrahitur tantum inter baptizatum, & baptizantem; mediate vero, ac consequenter redundat (spectato Jure antiquo) in carnales filios baptizantis, & Jure etiam novo in carnales parentes baptizati, quamprimum illi hujus cognationis capaces sunt. Quare ipsa causa est, quod longe difficilius, imo vero nunquam Pontificia dispensatio fieri soleat in spirituali cognatione paternitatis.

4 Legatus, qui nomine alterius tenet infantem, vere patrinus non est, nec spiritualem cognationem contrahit; cum non suo, sed alieno nomine teneat. Unde non improbabiliter loquitur Sa, virum loco mulieris, & mulierem loco viri tenere posse. Sed consuetudo locorum in hac re attendenda est.

5 Qui autem Legatum, seu Procuratorem mittit ad suscipiendum infantem, vel confirmandum, videtur cognationem spiritualem contrahere: Quia is, cujus nomine alter e sacro fonte suscipit, vere patrinus est. Contraria tamen Sententia Henriquez, &c. probabilior etiam est, saltem propter authoritatem Doctorum, præsertim cum in casu qualitercunque dubio, & in Canonibus non satis expresso circa matrimonii impedimenta non irrationabiliter in partem negativam inclinare liceat.

6 Si sponsus de futuro prolem ex sponsa susceptam baptizet propter necessitatem, solvuntur sponsalia ratione supervenientis cognationis spiritualis, etsi baptizans nesciat suæ sponsæ prolem esse; quia nihilominus vere baptizans est, utpote habens intentionem Ecclesiæ conformem baptizandi hunc hominem, quicunque sit. Alia ratio est de patrino: Licet enim sponsus scienter levans e sacro fonte prolem sponsæ suæ cum ea matrimonium ante dispensationem contrahere non possit; secus tamen est, si nesciat, esse prolem sponsæ suæ, sed arbitretur, esse alium infantem. Ad hanc enim cognationem requiritur scientia, & animus suscipiendi, & spondendi pro eo homine, quem animo suo concipit. Unde error circa personam efficit, ut vere patrinus non fiat.

7 Si maritus cogente necessitate propriam prolem baptizet, vel ut patrinus suscipiat, nullum impedimentum contrahit. Quia juxta cap. ad limina, 30. q. 1. *Inculpabile judicandum, ad quod necessitas impulit*. Nam impedimentum petendi debiti a Sacris Canonibus constitutum est in pœnam delicti; parens autem nihil delinquit, si in necessitate patrinus filii sui existat. Quod autem sponsus de futuro propter necessitatem baptizans prolem sponsæ suæ propriam impedimentum contrahat, non id statutum est in pœnam, sed solum censetur moralis inhabilitas ad matrimonium, qualis inhabilitas etiam sine culpa contrahi potest.

8 Si parens sine necessitate prolem propriam baptizet, vel in Baptismo, aut Confirmatione teneat, graviter peccat; quia severe id prohibetur: Sed non est certum, quod a petitione debiti propterea impeditus sit. Certum tamen est, si conjux ex ignorantia juris, aut facti prolem conjugis baptizet, aut teneat, nullo peten-

petendi debiti impedimento affici ? Cum enim prohibitio illa in solo Ecclesiastico Jure fundata sit, ideo, qui eam ignorat, sicuti excusatur a culpa, ita & ab annexa pœna. Idem sentiendum est de pœna privationis debiti ob crimen incestus, si fornicans cum conjuge alterius nescit, prohibitum esse sub pœna privationis debiti petendi.

9 Si Sacerdos cum filia Confessionis fornicetur, etsi nullam cognationem contrahat spiritualem, tamen videtur circumstantia in Confessione manifestanda. Sed contrarium asserunt Sa, & Petrus Ledesma.

CAPUT IX.

De Impedimento publicæ Honestatis.

1 Impedimentum hoc provenit ex quadam quasi affinitate cum consanguineis sponsi, Canonico Jure introductum ob publicam honestatem morum: Unde hodie intra primum duntaxat gradum (olim intra quartum) cum consanguineis sponsæ, quamvis carnaliter non cognitæ, nuptiæ celebrari valide non possunt ob publicam honestatem.

2 Si sponsalia de futuro ex quacunque causa irrita sint, V. C. quia cum consanguinea, Moniali, &c. contracta, nullum ex iis impedimentum publicæ honestatis oritur.

3 Impedimentum honestatis, ex sponsalibus validis ortum, permanet, etiamsi illa postea solvantur quomodocunque. Quod si quis cum duabus consanguineis inter se, V. C. sororibus, se successive desponsaverit, prior ducenda est, non obstante posteriore desponsatione: Quia posterior desponsatio irrita fuit facta a sponsalibus prioribus: Ergo non est æquum, fieri veluti quandam actionem, scilicet priora sponsalia vicissim irritari a posterioribus.

4 Ex sponsalibus conditionatis, pendente conditione, non oritur impedimentum. V. C. si Sempronius cum Titia sponsalia contraxit sub conditione pendente in futurum, ac postea Cajæ ante eventum conditionis, quem expectare debuerat, absolute promisit, tunc nec ex primis, nec ex secundis sponsalibus impedimentum honestatis contrahitur. Quod si vero ponamus, Sempronium Cajæ promittere matrimonium sub conditione expressa, vel tacita, si conditio priorum sponsaliorum non eveniat, tunc ea non eveniente purificantur posteriora sponsalia cum Caja, ut deinde, ne valide quidem, Sempronius possit ducere Titiam propter impedimentum honestatis.

5 Ex matrimonio rato, & nondum consummato; etiam hodie oritur impedimentum publicæ honestatis usque ad quartum gradum, etiamsi illud irritum fuerit ex quacunque causa, duabus exceptis. I. Si irritum fuit ob defectum consensus. II. Si irritum fuit ob impedimentum publicæ honestatis.

6 Si quis ex duabus sororibus unam absolute sibi desponsavit in futurum, cum altera carnaliter deinde copuletur, neutram in uxorem ducere potest. Non primam; ob impedimentum affinitatis: Neque secundam; ob impedimentum publicæ honestatis.

CAPUT X.

De Impedimento Criminis.

1 Machinatio mortis conjugi facta cum proposito alterius determinati matrimonii contrahendi est impedimentum dirimens. Nec refert, utrum maritus, an uxor sit, cui mors machinatur, neque utrum machinatio mortis physice, an solum fiat moraliter per jussionem, consilium: Necesse tamen est, ut mors executioni mandata sit; quia verba legis pœnalis cum effectu intelligenda sunt. Ob solam ratificationem mortis non incurritur impedimentum criminis; quia id nullo Jure expressum est: Unde edictum de matrimonio non contrahendo, cum prohibitorium sit, ad eum casum extendi non debet.

2 Si uterque eorum, qui post mortem conjugis matrimonium contrahere desiderant, ad cædem illius cooperantur, aliud non requiritur ad contrahendum impedimentum, nisi ut mors sequatur: Sin vero alteruter tantum homicidii reus sit, requiritur etiam, ut adulterium interveniat, & ut uterque conjugi fuerit injuriosus. Si enim puella, quæ conjugato commiscetur, nesciat, cum conjugatum esse, nullum impedimentum contrahitur, tametsi puella conjugata sit: Quia Jura, quibus hoc impedimentum statuitur, faciunt mentionem adulterii; quod ex utraque parte tendit in injuriam conjugis, præbens occasionem mortis ei machinandæ. Quod si adulteri alio fine, quam ut inter se matrimonium contrahant, conjugem alterum trucident, V. C. ne eos in adulterio deprehensos accusare possit, non sunt impediti, quo minus postea nuptias inter se celebrent.

3 Si adulteri, vivente altero conjuge, matrimonium contrahant, vel de contrahendo inter se spondeant, oritur inter ipsos impedimentum dirimens. Ratio est: Ne ob factam promissionem, & spem alterius matrimonii contrahendi captetur occasio alterius conjugis occidendi.

4 Requiruntur tamen ad hoc impedimentum ex crimine adulterii cum promissione matrimonii plures conditiones. I. Ut vivente eodem conjuge fides data, & adulterium commissum sit. II. Ut ex utriusque parte adulterium formaliter committatur, id est, puella sciat, esse conjugatum. III. Ut copula perfecta interveniat, cum immissione seminis intra vas naturale. IV. Ut promissio matrimonii non ficte, sed serio fiat. V. Ut promissio seria ab altero acceptata sit; cum alioquin non habeat rationem pacti, & requiratur promissio mutua. VI. Ut promissio sit pura, ante mortem conjugis purificata; cum alioquin non sit simpliciter facta promissio, quippe adhuc suspensa. Unde adulteri, si non absolute promittant inter se, sed solum sub tali forma, *Non ducam aliam, nisi te*, non contrahunt impedimentum; nam sensus est: Si aliquam duxero, promitto me ducturum te. De qua re dixi supra P. 1. C. 1.

5 Quoad hoc impedimentum utriusque conjugis similis ratio est: Quia dispositum de uno correlativo censetur etiam dispositum de altero, si æqualis comparationis sint, & disparitatis nulla ratio appareat.

6 Si infidelis ope mulieris Christianæ maritum ejus occiderit, ac ad fidem convertatur, non potest mulierem illam in uxorem ducere. Nam mulier ob Ecclesiasticam constitutionem impedita est cum tali viro contrahere: Ergo per accidens, & consequenter ipse etiam vir cum muliere contrahere prohibetur.

7 Irrita sunt sponsalia, quæ vivente adhuc conjuge cum alia persona contrahuntur: Repugnant enim bonis moribus; quippe quibus occasio capi potest conjugis vitæ insidiandi. Quia simili ratione prohibitum est, ne beneficium Ecclesiasticum alicui promitti, aut conferri possit, antequam vacet.

CAPUT XI.

De Impedimento Impotentiæ.

1 Impotentia perpetua (non sterilitas) ad copulam perfectam naturali Jure matrimonium subsequens dirimit. Ratio: Quia contractus matrimonii essentialiter includit obligationem dandi inter se corpus ad copulam carnalem: *Impossibilium* autem *nulla est obligatio*. Dixi: *Impotentia perpetua*, videlicet quæ neque arte medica, neque consuetis exorcismis Ecclesiæ tolli potest; etsi possit tolli cum periculo vitæ, impossibilis censetur curatio. Similiter, si per incantationem: Quia, quod jure non possumus, id absolute non posse censemur. Imo, etsi per miraculum tolli possit, nihilominus, moraliter rem æstimando, impossibilis est curatio. Sanatio per exorcismos, etsi supernaturalis sit, non censetur tamen miraculosa.

NB. Etsi mulier per periculosam incisionem possit curari, irritum tamen est matrimonium.

2 Si mulier, quæ cum perpetua impotentia contraxit, postea per miraculum sanetur, nihilominus irritum matrimonium censeri debet: Neque convalescit, nisi vir novo edito consensu accipere illam decernat.

3 Eunuchi, & Spadones, qui utroque teste carent, ad matrimonium contrahendum inhabiles sunt; quia vero semine destituti sunt. Verum, si quis post matrimonium contractum Eunuchus factus sit, copulam imperfectam, ac missionem non veri seminis exercere non prohibetur: Quia, licet tales matrimonium contrahere nequeant, contracto tamen uti eis licet, quatenus id fieri potest.

Dixi autem in assertione, dirimi *matrimonium subsequens*: Nam, quod semel ratum fuit, licet nunquam consummatum matrimonium, nulla superveniente impotentia dirimitur.

NB. In dubio, utrum impotentia antecesserit matrimonium, præsumendum est, quod antecesserit, si copula nunquam haberi potuit, & nullis indiciis ostendi queat, quo tempore contracta sit impotentia.

4 Si impotentia post nuptias supervenit, matrimonium non dirimit; quare oscula, & tactus ad ostendendum affectum conjugalem conceduntur, modo absit periculum pollutionis: Quin etiam ad copulam conari ipsis licet, quamdiu spes probabilis superest ipsam aliquando perficiendi, licet præter intentionem pollutio contingat. Sin vero desperatum sit, abstinere tenentur ob pollutionem evitandam.

5 In dubio, utrum impotentia perpetua sit, ad experiendum triennii spatium Canonico Jure conceditur: Elapso triennio, & nulla secuta emendatione, authoritate Ecclesiæ ad vitandum scandalum separandi sunt, & potens ad alias nuptias transire potest, vel uterque, si utrumque erga alias personas potentem esse ostendi, vel præsumi possit.

NB. Quod si vero in tali separatione, & novi matrimonii permissione error commissus postea deprehendatur, quia conjuges ad invicem potentes erant, ideoque matrimonium validum existebat, tunc posterius putatitium dissolvi debet, & prius redintegrari. Præterquam quod conjux innocens fornicarii conjugis, qui, cum absolute impotens judicatus esset, alteri se non sine scelere copulavit, cohabitationem, & congressum jure respuere possit.

6 Constitutus in mortis periculo matrimonium contrahere potest, si potentia generandi vi morbi secundum se destructa non sit. Ratio: Quia, ut ponimus, infirmus morti propinquus habet potentiam actus conjugalis exercendi, licet per accidens impeditam, quo minus ob morbi vehementiam in actum deduci possit. Confirmatur. Morti vicinus potest inire matrimonium spirituale per Professionem Religionis: Ergo & carnale. Deinde praxis Ecclesiæ id ostendit, secundum quam morituros interdum adducimus, ut concubinas, quibus diu adhæserunt, in uxores accipiantur, partim, ut affectus eorum impudicus in conjugalem commutetur, partim, ut jam concepta, aut nata ex ipsis proles legitimetur.

NB. Propositum actus conjugalis exercendi ad matrimonium non requiritur; ut patet in matrimonio Beatissimæ Virginis Mariæ.

7 Si potentia generandi vi morbi, aut senio simpliciter destructa sit, censetur impotentia perpetua matrimonium dirimens.

Regulæ in praxi observandæ.

I. Si Confessarius advertat aliquid matrimonium nullum fuisse propter impotentiam, & certo non appareat esse perpetuam, moneat Conjuges per integrum triennium posse ad copulam conari, etsi seminent extra vas &c. fortasse enim, si non moneat, ex conscientia erronea se peccare putabunt. Si vero ab ipso initio constet de perpetua impotentia, vel de ea amplius dubitare non liceat post triennale experimentum, tunc prudens Confessarius videat, an velint simul cohabitare tamquam frater, & soror longe ab omni periculo incontinentiæ, & an talis bonitatis sint, ut credi possit ita cohabitaturos. In tali casu cohabitationem illis permittunt jura: *cap. consultationis de frigid. & malef.*, *cap. laudabilem ibid. can. requisisti* 33. q. 1. Cæterum in praxi talem cohabitationem periculo non carere docent communiter, & inter alios *Gutier. l. 1. can. qq. c. 16. n.* 18. Et quidem, quamvis conjugibus, quibus impotentia supervenit post matrimonium legitime contractum, liceant oscula, amplexus, tactus etiam, ut aliqui afferunt, cum periculo pollutionis, dummodo sine consensu in illam, ut videre est apud *Sanch. lib. 9. d.* 45., *Sporer. in Theol. Sacramental. p. 4. cap. 3. §. 4. n.* 645., hæc omnia illicita sunt iis, qui cum perpetua impotentia contraxerunt. Omnino proinde statim essent separandi, si vellent in eodem lecto cubare, vel aliqua ex prædictis habere; seu rationabiliter timeretur ab iis non esse cessaturos, qui timor, ut dixi, facillime aderit.

II. Si unquam accidat Parochum assistere debere matrimonio Hermaphroditi, utique poterit assistere, quoties contrahere velit juxta sexum prævalentem, & aliunde juxta alterum sexum habilis non sit ad matrimonium. Si vero juxta utrumque sexum sit habilis, non debet illius matrimonio assistere, si prius non compareat coram Judice Ecclesiastico, & juramento in perpetuum renunciet alteri sexui, juxta quem non contrahit.

CAPUT XII.

De Impedimento Ætatis.

1 MAsculus ante completum XIV. ætatis annum, puella vero ante completum XII. Canonico Jure inhabiles sunt ad matrimonium; nisi ob urgentissimam causam dispensatio fiat. Ratio est: Quod Ecclesia pro inconveniente habeat, ut matrimonium contrahatur ab iis, qui nondum pubertatem, & potentiam generandi assecuti sunt: Pubertas autem ea plerumque ætate, quam diximus, utrique sexui contingit: Ergo ea ætate, & non ante contrahere matrimonium possunt. Seclusa tamen lege Ecclesiastica, & spectato Jure naturæ impuberes, si rationis usum assecuti sunt, matrimonium valide contrahunt; cum impotentia eorum non sit perpetua. Et Pontifex in his impedimentis dispensare potest; quamvis non facile soleat. Quod si vero certis indiciis constet, puerum, aut puellam ante dictam ætatem carnalis copulæ potentiam assecutos fuisse, a matrimonio repellendi non sunt; cum in eis malitia ætatem suppleat. Sicut S. Gregorius narrat, quod puer novem annorum nutricem suam impprægnarit.

2 Si post legitimam ætatem masculus, vel fœmina nondum pubertatem consecuti sunt, valide quidem matrimonium contrahere censentur, sed exspectandum est tempus perfectæ ætatis, in puero annus decimus octavus, in puellis annus decimus quartus, ut experiri liceat, num vere potentes sint.

3 Si masculus, vel fœmina ante ætatem pubertatis legitimam in carnis delicto deprehendantur, præsumptio esse solet, quod delictum non perfecerint. Si tamen certis indiciis constet, quod malitia, & coeundi potentia ætatem suppleat, puniri poterunt, tamen mitius, quam sit pœna ordinaria.

CAPUT XIII.

De Impedimento Raptus.

1 RAptus puellæ committitur, si ea de loco in locum causa libidinis exercendæ, vel matrimonii contrahendi per vim injustam abducatur. Quod crimen morte punitur, si fuerit honesta mulier.

2 Duplex est species raptus. Vel enim vis injusta infertur puellæ; vel parentibus, aut tutoribus, in quorum potestate puella est, licet consentiens in raptum. Et hic posterior non est proprie raptus: Quia raptus violentiam continet.

3 Si puella volens ex domo patris, vel tutoris nescientis, aut si antecedente tractatu matrimonii, vel sponsaliorum abducatur, non est proprie raptus, neque impedimentum matrimonii.

4 Inter raptorem, & raptam, quamdiu in potestate raptoris est, matrimonium, aut sponsalia valide non contrahuntur. Quod si rapta a raptore separata, & in loco tuto, ac libero constituta, illum in virum habere consenserit, tunc eam raptor in uxorem ducere potest; sed raptor, & omnes consilium præbentes, ipso jure excommunicati sunt.

Probabile est, impedimentum raptus locum duntaxat habere, si vis injusta puellæ inferatur ad matrimonium cum ea contrahendum.

CAPUT XIV.

De Impedimento ex Cultus, seu Religionis disparitate.

1 MAtrimonium hominis baptizati cum non baptizato, etiam Catechumeno, Ecclesiastico Jure irritum est. Ita colligitur ex c. cave, 28. q. 1.

2 Matrimonium hominis Catholici cum hæretico, utpote baptizato, validum quidem est propter veram rationem Sacramenti, sed plerumque mortaliter illicitum; ut patet ex Concilio Chalcedonensi, Can. 14. Sed limita: Nisi hæreticus promittat, post nuptias fidem Catholicam suscepturum, & causa subsit, cur nuptiæ absolutioni ab hæresi anteponantur. Consuetudo etiam in Germania obtinuit, maxime in iis partibus, quibus Catholici mixti cum hæreticis communi jure vivunt, ut conubia inter se inire possint, si conjux Catholicus sine periculo perversionis libere persistere audeat in Fide Orthodoxa. Quæ limitatio admitti potest, si in aliquo casu morali evidentia constet, nullum esse periculum scandali, perversionis, aliorumque incommodorum, quæ cum tali matrimonio plerumque juncta sunt. In dubio vero, utrum ejusmodi mala sequi possint, ad Summum Pontificem, vel etiam Episcopum in Germania pertinebit, rem examinare, & contrahendi matrimonii licentiam dare (a).

„ (a) Benedict. XIV. In Tract. de Synodo Diœcesana lib. 6. c. 5. §. 5. censet nullibi etiam in locis Hæreticorum fas esse sine gravi peccato Catholico celebrare conjugium cum altero conjuge Hæretico. Ibi pariter quærit quid dicendum si postquam hoc Matrimonium coram Parocho Catholico iterum ineatur coram Parocho Hæretico ad evitanda scandala, ac statuit celebrari posse coram Hæretico tanquam Ministro politico, non vero tanquam Ministro Sacro.

3 Im-

3 Impium, & irritum est pactum additum matrimonio Catholici cum hæretica, ut liberorum alii patrem fidelem, alii vero matrem hæreticam sequantur: quandoquidem ad utrumque pertinet cura, liberos suos omnes in Fide, ac Religione vera educandi.

4 Si impedimentum dirimens matrimonii notorium est, vel in notitiam Ecclesiæ venturum, eo sublato, oportet Parochum, & testes iterum adhibere ad validandum matrimonium. Idem quoque dicendum, tametsi solus Parochus vel testes requisiti impedimentum extra Confessionem cognitum habuerint; quia non poterant talibus authoritatem, vel testimonium matrimonii præbere, quod sciebant esse nullum. Quod si vero impedimentum omnino occultum sit, necesse non est, Parochum, & testes iterum adhibere, sed ipsi conjuges prioris impedimenti conscii inter se per consensum, verbis, vel facto declaratum, matrimonium validum efficere possunt: Cum enim ratio, quæ movit Concilium Tridentinum ad cassanda matrimonia clandestina, ut impedirentur gravia peccata, & incommoda ex iis oriri solita, in dicto casu penitus cesset, quin potius e contrario incommoda, & scandala non exigua sequerentur, si matrimonia, quæ publice pro validis habebantur, iterum coram Parocho, & testibus celebrare oporteret, merito colligimus, Tridentini Decreto, quatenus tum prohibitorium, tum cassatorium est matrimonii clandestini, casum illum, quo matrimonium occulte invalidum revelari debet, nequaquam comprehendi.

5 Matrimonium irritum reddi validum potest quocunque conjugum consensu, verbis, aut factis declarato; modo ejus impedimentum cognitum habeant.

CAPUT XV.

De Impedimentis non dirimentibus.

1 IMpedimenta, quibus matrimonium illicitum, non tamen irritum redditur, sunt primo: *Interdictum Ecclesiæ*, sive inhibitio Ordinarii ob justam causam, V. C. pendente lite de valore matrimonii. Secundo: *Tempus feriatum*, videlicet ab Adventu Domini usque in diem Epiphaniæ, & a Feria IV. Cinerum usque in Octavam Paschatis inclusive; ut videre est in Tridentino Concilio Sess. 24. c. 10. de reformatione matrimonii. Ubi notandum est, non prohiberi ipsum matrimonii contractum, præmissis etiam denuntiationibus, in dictis temporibus celebrari, si nuptialis benedictio, & solemnis traductio sponsæ cum signis lætitiæ &c. intermittatur, Attendenda tamen est Ecclesiarum consuetudo, quæ apud nos est, ut Parochus his temporibus matrimonio, intermissa, vel in aliud tempus dilata benedictione, non assistat, nisi necessitas urgeat; ut si quis in periculo mortis constitutus, vel statim discessurus concubinam ducere velit, eique ad spiritualem salutem matrimonium expedire videatur: quamvis etiam hoc casu mos est, ut, si fieri possit, ab Ordinario licentia petatur. Tertium locum tenet *Cognatio spiritualis*, contracta ex Catechismo baptizandi, ab eo scilicet, qui pro persona baptizanda Sacerdoti respondet; contrahit enim impedimentum, quo minus cum tali persona matrimonium licite contrahere possit; quamvis ita contractum valeat, si verus patrinus non sit, qui in Catechismo tenet; quia puer V. C. ob necessitatem baptizatus fuerat, & solum cæremoniæ in Ecclesia adhiberi debent. Sed Sanchez probabiliter docet, hoc impedimentum omnino sublatum esse per Tridentinum Concilium Sess. 24. c. 2. de reformatione matrimonii. Quartum tenent *Crimina* quædam, ob quæ quasi pœnitentiæ loco abstinentia a conjugio antiquis Canonibus decreta erat. I. Uxoricidium. II. Presbytericidium. III. Matrimonium cum Moniali scienter initum. IV. Si quis propriam prolem de sacro fonte susceperat in fraudem conjugalis usus. V. Qui ob peccatum publicam pœnitentiam peragere debuit. VI. Raptus sponsæ alienæ. VII. Incestus cum consanguineis conjugis, aut sponsæ adhuc viventis. Veruntamen Sotus, Corduba, Navarrus, Coninck, testantur, hæc impedimenta criminum per diuturnam consuetudinem omnino sublata esse. Quintum locum tenent *Sponsalia*. Ea enim legitime contracta, nisi justa de causa dissolvantur, impedimento sunt, quo minus licite matrimonium cum alia contrahatur. Ultimum locum tenet *Votum simplex castitatis*, vel Religionis amplectendæ, aut matrimonii non ineundi: nam cum tali voto illicite, quamvis valide, matrimonium contrahitur; sicut constat ex dictis hoc Tract. ead. P. 4. C. 3. n. 6.

Denique memoriæ juvandæ causa *pro impedimentis* matrimonii *dirimentibus* hi Versus retinendi sunt:

Error, Religio, triplex Cognatio, Crimen,
Cultus disparitas, vis, Ordo, Ligamen, Honestas,
Raptus, Clandestina fides, Expers coeundi,
Ætas, Affinis, solvunt connubia cuncta.

Pro impedimentis vero *non dirimentibus* iste Versus:
Interdico, Dies, Crimen, Sponsalia, Votum.

Informationem pro Parochis, quomodo se gerere debeant cum sponsalia contrahentibus, vide Lib. 5. Tr. 10, Part. 5. c. 4. de matrimonio clandestino, n. 15.

F I N I S.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

Prior numerus indicat paginam, secundus columnam, Litteræ vero majusculæ II. indicant secundum Tomum. Littera R. significat *Regulas in praxi observandas*.

A

B

K

Rele-

C

Conci-

D

Ille-

Mu-

& cum

S

Sedi-

T

V

Ultio.

INDEX RERUM NOTABILIUM.

F I N I S.

ERRATA CORRIGE

								ERRATA	CORRIGE
Tom. I.	pag.	2.	col.	2.	lin.	24.		peccatum sit peccatum	videatur ipsi peccatum
		3.		2.		8.		*S. A.*	*a S. A.*
		10.		1.		34.		sir	sit
				2.		28.		perfectionem	perfectiorem
		12.		2.		2.		rectitudinem	rectitudinum
		13.		1.		40.		mortaliter	moraliter
				2.		66.		omissione peccati	omissionis peccato
		20.		2.		29.		post	potest
		23.		2.		35.		concedentes	comedentes
		40.		1.		12.		sex	seu
		41.		2.		79.		*legitime*	*legitimi*
		47.		2.		25.		sacerdotalis	sacerdotalis
		48.		2.		*penult.*		delicatum	delictum
		55.		2.		78.		impetrare	imperare
		73.		2.		24.		provocare.	provocare?
		76.		1.		8.		inustatio	invitatio
		79.		1.		37.		Dominum	Dominium
		88.		1.		1.		voluntaria	involuntaria
		100.		2.		41.		causæ	cusæ
		106.		1.		67.		vel abstinere a Sacramento	*deleantur*
		108.		1.		80.		persona	personæ
		116.		1.		23.		injuriam	injuriarum
		122.		1.		47.		illegitimus	illegitimis
		130.		1.		56.		ne	sine
						63.		sactum	pactum
		135.		2.		12.		exercere	excedere
		149.		2.		51.		æqualitatem	inæqualitatem
		151.		2.		18.		solemnitas	solemnitates
		158.		1.		12.		exorta	extorta
Tom. II.	pag.	10.		2.		11.		*existimabat*	*existimabit*
		30.		2.		4.		revelationes	reservationes
		33.		1.		66.		parantes	parentes
		43.		2.		62.		sunt adorabiles	non sunt adorabiles
		65.		2.		64.		se	seu
		90.		1.		8.		iste	est
		91.		1.		*ult.*		Cap. 7.	Cap. 8.
		107.		2.		86.		otiosa	odiosa
		110.		1.		1.		videlicet	si videlicet
		119.		1.		30.		trigesimum	vigesimum
		141.		1.		32.		dominio	domino